VIRI CONSULTISSIMI ... ANDREAE ALCIATI JURISCONSULTI MEDIOLANENSIS...

Andrea Alciati, Hubert : van Giffen, Anton Matthaeus, ...

BIBLIOTECA NAZIONALE
6
28 B
12
VITTORIO EMANUELE

:oo.

VIRI CONSULTISSIMI
Quem Cultissimum vocat Gaspar Scioppius
de *stil. hist. p.* 124.

ANDREÆ ALCIATI

Jurisconsulti Mediolanensis contra Vitam Monasticam

AD

Collegam olim suum, qui transierat ad Franciscanos,

BERNARDUM MATTIUM

EPISTOLA.

Accedit Sylloge epistolarum

GIPHANII, VULCANII, TYCHONIS BRAHE, SCRIVERII, PONTANI, VOSSII, SIBRANDI SICCAMÆ, GRONOVII, BOXHORNII,

Aliorumque virorum Clarissimorum, quæ variam doctrinam continent.

Accedunt alia adhuc quædam, ut & Vetera aliquot Testamenta, Seculo XIII. *& initio sequentis scripta.*

Primus omnia in lucem protulit, adjectis passim

NOTIS,

ANTONIUS MATTHÆUS,

Juris in Illustri Academia Lugd. Bat. Antecessor.

LUGD. BATAV.

Apud FREDERICUM HAARING, 1695.

Ex libris Bmi D. Josephi Prassi

Patritii Hydrunti

ILLUSTRI, NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO,

DOMINO DOMINO

NICOLAO WITSEN,

Amstelodami urbis potentissimæ jam tertium Consuli,

Ordinum Hollandiæ, & Senatus Ordinum perpetui, qui Hagæ Comitis Assessori,

Ad Regem magnæ Brittanniæ Wilhelmum olim Legato,

Curandis rebus & constituendis Societatis Indiæ Orientalis Præfecto,

Fausta omnia & felicia, urbis regimen semper prosperum, famam vitæ incorruptam, gloriam nominis immortalem, multos annos in terris, & cum Christo summum bonum & æternitatem in cœlis.

NOBILISSIME, AMPLISSIME, ET GRAVISSIME VIR

Inter alia monumenta, quæ olim Petri Scriverii, tuo nactus beneficio insignem etiam epistolam Consultissimi olim viri, singularis judicii, & præcellentis doctrinæ, & cujus fama & eruditio tot ope-

ribus a se editis vivit vivetque per seculorum memoriam, Andreæ Alciati, qua Bernardum quendam Mattium, virum eruditum, & collegam olim suum, socium factum Franciscanis, a vita monastica, quam ingressus erat temere, & amicis prorsus inconsultis, ad pristinam professionem gravissimis argumentis & rationum multarum pondere conatur retrahere, postquam magna cum voluptate eam totam excussi, publico non amplius, nam hactenus nondum visa, invidendam existimavi. Lectu dignissima est, & reconditæ eruditionis, eorum vitam & mores, qui quærentes secessum velut soli volunt vivere, eorum artes & studia, & summam animi vanitatem ob oculos passim ponens. Frustra ab iis ait obtendi pietatem, obtendi virtutem, & religionem in Deum, sub obtentu virtutis etiam pessima perpetrari, Deo multo chariorem, multo acceptiorem eorum vitam & instituta, qui sacris soluti Christianorum vivunt more, quam qui clero adscripti & cœnobium ingressi verbis tantum & vestitu pietatem præ se ferunt. Vitam ait monasticam nec a Christo institutam, nec commendatam ab Apostolis,

lis, nec cognitam aut dilaudatam ab iis, qui secuti eos in ecclesia primitiva, viris sanctissimis, eam etiam amplexos nihil minus imitari quam Christi & Apostolorum institutum & sanctitatem, nec competere iis eas laudes, quibus Plinius afficit Christianos, serius nomen monachorum in ecclesiis auditum, amplexos quidem quosdam monasticum institutum, cum Constantinus Magnus sacris nostris initiatus, sed habentes præ oculis nihil aliud quam Deum, labore manuum victitantes, & multum iis, qui hodie id profitentur, dissimiles. Justinianus cum imperaret ob horrendos bellorum motus & divisam Italiam inter flammas & sanguinem, S. Benedictum, unde Benedictini jam, quæsivisse secessum, sed secessum ad tempus, ad prius vitæ institutum, & eo unde discesserat, cessantibus tandem bellis reversurum fortassis. Exemplo autem Benedicti, cum a Guelphis & Gibellinis, qui passim totam Italiam ad exitium vocabant, nullus locus satis tutus, ordinem Franciscanum a Francisco tot clades & eam temporum calamitatem pertæso institutum, sed jam ita mutatum, ut Franciscus eum, si resurgat, agniturus

Plin. 10. *epist.* 97.

non ſit. Eum humilis tantum animi, demiſſi, & moderati, & ut doctrinam Evangelicam ſequerentur ſuos admonuiſſe, Regulam ſcriptam a diſcipulis, a Bonaventura inventum habitum, ab aliis ritus & cæremonias, calopodia addidiſſe Bernardinum Senenſem, omnes cum novi aliquid, quod cenſerent obſervandum, invenirent quotidie, diſtractum ordinem in partes, ut alii Obſervantes, alii Amadeani, alii Clarenſes, alii aliter dein dicti, odiis inter ſe certantes, & ita invicem diſſentientes, ut Chriſtianus cum Turca. Ethnicis eos comparat, nec abſimiles ait Cynicis. Eorum avaritiam & plus habendi cupidinem, eorum faſtum, deſidiam, ambitionem, mollitiem, multis verbis perſtringit, Tali otio ait deditos, ut nec egenis ſuccurrere, nec ulli quicquam prodeſſe, & ne parentibus quidem ipſis ſolatium aliquod præſtandi nanciſci poſſint facultatem, nulli bono ſeceſſum eſſe, malis artibus intentos ſolitudinem quærere, & ne a quoquam poſſint conſpici ſecedere e conſpectu, ſe conclavi concludere, Epicuri illud dogma eſſe, ſed quod multis improbatum, λάθε βιώσας, bonum neminem poſſe fieri, ſi eum ne-

nemo agnoſcat, ut nec priſtinæ ſanitati reſtitui poſſe quenquam, ſi morbum celet, ſi ſupprimat, meliorem eſſe eum, qui non peccat cum poſſit, quam qui peccandi propter Regulam facultatem non habet; ſtudiis bonarum artium, literaturæ, & humanitatis præſtari maximum impedimentum a monaſticis inſtitutis, non θεολογίαν, ſed ματαιολογίαν in cœnobiis addiſci, non evolvi ibi, ut oportet, fidei noſtræ inſtrumenta, non eorum interpretes, Ambroſium, Auguſtinum, Nazianzenum, Hieronymum, ſed quæ credulis obtruſerunt Angelus Clavaſius, Scotus, Bonaventura, & ſiqui id genus alii. Gloriari monachos de paupertate, ſed gloriari nequicquam, ſolam paupertatem, ſi non concurrat in Deum pietas, viam evadendi ad Deum non eſſe, gloriari de paupertate, & tot mirandis ſubſtructionibus, tot prædiis & poſſeſſionibus ſuperare etiam potentiſſimos, rem ferendam non eſſe. Diſceſſiſſe etiam multum a Franciſci inſtitutis Franciſcanos oſtendit. Nec veretur arguere eos ſordium, ineptiarum, animi impotentiæ, ſuperbiæ, impietatis. In quæ poſtquam effudit ſe invictis uſus argumentis, converſus rurſum

 ſum

ſum ad Mattium hortatur, ut reſipiſcat, ad priſtinum redeat inſtitutum, matriſque ſenium & paupertatem lucro ſuo, quantum poſſit, propellat & ſublevet, nec metuat, nequis levitatem aut inconſtantiam exprobret. Nulla eum adhuc lege intra clauſtrum coerceri, habere annum probationis, eum nondum exiiſſe, recedendi proin veniam ſine infamiæ ullius metu liberrimam adhuc dari. Et hæc ſumma eſt epiſtolæ, quæ ut puto & eo dignior, cujus ratio habeatur, quod ab homine Pontificio adverſus opiniones & receptas ſententias, quas obſervant Pontificii, ad Pontificium eſt ſcripta. Scripta intra quatriduum anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo tertio. Seſquiſeculum jam ex quo abdita & ſuppreſſa hæc prorſus latuit. Nec id quiſquam miretur. Non ea Auctoris mens. Nec edendi aut publicandi ei unquam conſilium. Nec eum in finem ſcripta, ut ſcriptorem oppreſſum linguis hominum virgiſque, inutili otio abutentium, nefandis eorum odiis proſcindendum objiceret. Magno interim & ſingulari in amicum affectu latenter hæc ad eum data, ut abunde indicant verba: *Hujus itaque exemplo admonitus haud-*

haudquaquam auderem iſta ſcribere, niſi tuam in me benevolentiam noſſem, teque vel amicitiæ cauſa nulli ſcripta hæc noſtra traditurum opinarer. Unde hæc ad Scriverium juxta ſcio cum ignariſſimis. Magna legi cum voluptate quam primum tuo, vir Illuſtris, beneficio vidiſſem, ratus nihil indignius, ſi non, poſtquam legiſſem, & alii legerent, quæ legiſſem, & quidem ſummo cum fructu. Inſigne eſt argumentum. Rationes invictæ. Juſtum tamen volumen cum implere non poſſet, ut eſſet, quæ quodammodo lectori tædium eximeret, quædam rerum varietas, & alias aliquot addidi, ex adverſariis partim avi mei, Daniæ olim Regis & Ordinum Gelriæ Hiſtoriographi, Medicinæ & Matheſeos in Gymnaſio Harderviceno Ordinarii Profeſſoris, Joh. Iſacii Pontani, partim etiam aliunde, & ipſius Pontani, & virorum Clariſſimorum, Vulcanii, Voſſii, Canteri, Giphanii, Gronovii, Tychonis Brahe, Sibrandi Siccamæ, & aliorum. Omnes autem, quotquot ſunt, propter variam doctrinam dignas nemo non judicabit, quæ e ſitu & tenebris in lucem publicam protrudantur. Adjeci alia adhuc quædam, quæ mox Syllabus indicabit,

ut & vetera aliquot Teſtamenta ante an-nos cccc. aut præter propter jam ſcrip-ta, ex quibus mox quis cognoſcat, & quæ ſcribendi tum ratio, & quæ paſſim tum pietas, quæ morientium tum cura, conantium quantum poſſent effuſo in clerum ære mercari vitam æternam. Tu autem Nobiliſſime, & Ampliſſime Vir, qui cunctis excultiſſimi, optimi, & præſtantiſſimi viri ornamentis inſtructus non Politicas tantum artes, ſed doctrinam etiam inſignem, literarum & artium non vulgarem peritiam, morum etiam gravitatem, & moderationem eximiam ſatis felix ſic attuliſti ad regendam Rempublicam, de eo optime judicabis, utrum fallar, & an quid fecerim, quod ſit operæ pretium. Tuum eſto judicium, quod inſtar omnium mihi erit. Tu ſi probes, quod feci, quid Momi dicant non curo. Felicem diu te Deus ſervet, Nobiliſſime vir. Servet diu potentiſſimam, cui præes, civitatem, & ſeu ſagi ſeu togæ ſit negotium cum æmulis, te ſupremus rerum arbiter, in cujus manu ſunt & proſpera & adverſa mortalium, potenti ſua dextra tueatur, defendat, protegat, & egregio publico in multos adhuc annos ſal-

ſalvum præſtet valentemque. Faxit utinam ſummum Numen, ut ingenii tui illa vis & nominis gloria immortalis non Hollandiam tantum pervolet, ſed & Belgium fœderatum, & totum terrarum orbem. Ita vovet, ſic optat

Nobiliſſ. Ampliſſ. & Illuſtris tui nominis

Cultor Devotiſſimus

ANTONIUS MATTHÆUS.

CAN-

LECTORIS.

Dedissem plura hujus generis (nam satis abundeque est) sed de his quid judicii tui incertus abstinui. Commodius alias id fiet. Argumenta epistolis præfixi ipse. Ad menda attendi, quantum potui. Sed vix unquam tam felix quis, ut nec unum relinquat. P. 6. pro βλιτομαμνίαν lege βλιτομάμμαν. Locus est apud Aristophanem ἐν νεφέλ. καὶ σε καλοῦσι βλιτομάμμαν, ἀντὶ τοῦ μωρὸν &c. Cetera corriges per te ipse. Sequetur brevi, si Deus annuat, Manuductio ad jus Canonicum, quæ ejusdem originem, institutiones, ac fundamenta, & quicquid in eo primum ac præcipuum complectetur. Et hoc est quod volui. Tu interim vale & judica prout placet.

Duaren. 1. *disp. anniv.* 54.

Erunt fortassis, qui hæc velut λεπτολογήματα ad humanitatis studia magis, quam ad juris civilis scientiam, quam profitemur, spectantia, flocci non facient. Verum hi considerent velim, nihil me quod a munere & officio jureconsulti (cujus personam sustineo) alienum esse putem facere: sed Labeonem Antistium imitari potius, qui scrutandæ verborum proprietati & origini usque adeo deditus fuit, ut libros tres Posteriorum ejusdem, rerum ad illustrandam linguam Latinam conducentium, plenos fuisse quidam scripserint &c.

SYL-

SYLLABUS EPISTOLARUM

QUAS

SYLLOGE

CONTINET.

XIII. *De*

XXXIV. *Flo-*

LXII. *De*

XCIV. *Eva.*

CXXV. *De*

CLXIII. *Sa-*

II. *Te-*

II. *Testamentum Margaretæ viduæ Rudolfi Poschs* Ann. CIↃ.CC.XCII.

III. *Testamentum Stephani ecclesiæ Trajectensis Decani* Ann. CIↃ. CC.XCV.

IV. *Testamentum Wonnæ viduæ Ioannis Sophiæ civis Trajectensis* Ann. CIↃ. CC.XCVII.

V. *Testamentum Werneri Presbyteri Vicarii ecclesiæ S. Johannis* Ann. CIↃ. CCC. III.

VI. *Testamentum Alveradis Dominæ de Coudekercke* Ann. CIↃ. CCC. V.

VII. *Testamentum Wilhelmi de Egmonde* Ann. CIↃ. CCC. X.

VIII. *Testamentum Elisabethæ Dominæ de Heemskerck* Ann. CIↃ. CCC. XI.

IX. *Testamentum Gerardi Albi Canonici* Ann. CIↃ. CCC. XII.

X. *Testamentum Gerardi de Reden ecclesiæ S. Ioannis Præpositi* Ann. CIↃ. CCC. XVIII.

XI. *Testamentum Henrici Vrencke Canonici & Thesaurarii S. Petri Trajectensis.* Ann. CIↃ. CCC. XXII.

XII. *Testamentum Dn. Cunegundis de Virnenborch viduæ viri nobilis Iohannis in Erkele,* Ann. CIↃ. CCC. XXVIII.

XIII. *Testamentum Walteri de Zulen Canonici Trajectensis* Ann. CIↃ. CCC. XXVIII.

XIV. *Testamentum Florentii Præpositi Trajectensis* Ann. CIↃ. CCC. XXXIII.

XV. *Testamentum Iacobi presbyteri de Alsmeer* Ann. CIↃ. CCC. XLII.

AN-

ANDREÆ ALCIATI V. Cl.
Contra
VITAM MONASTICAM
Ad
COLLEGAM
Olim ſuum
BERNARDUM MATTIUM
EPISTOLA.

ANDREAS ALCIATUS
J. C.
BERNARDO MATTIO S.

Ἐν τοῖς ὑποπεπλαγμένοις νομίζειν τὰ παρὰ τῆς ἐκκλησίας καθολικῆς οὐκ ἀδόκιμα.

Cum me Valterus Corbites utriuſque noſtrum amantiſſimus ſuis literis certiorem feciſſet mutaſſe te vivendi inſtitutum, & in Minoritarum familiam tranſiſſe, & gilvo indutum, fune accinctum, calopodiis innixum, horulas illas cum ceteris decantare, exiſtimabam impii illius Samoſateni libros me legere, quibus tot inferſit fabulas, tot nugamenta, rerum nihilominus ipſarum veritatem titulo profeſſus: neque enim in mentem meam incidere poterat, ut Mattium

tium crederem in Divi Jacobi cœnobium se aliquando intrusurum. Cæterum ubi perlectis literis non ludere eum, sed serio agere, TEMPLATE veris scribere deprehendi, quantum me putas attonitum exanimatumque stetisse? Erat forte tunc nobiscum Calvus, qui ubi nuncium hunc ei narravi: Quam bellus, inquit, Alciate, dissimulandi artifex es, qui mihi mendacissimas res persuadeas, animo quoque prosterneres. Sed certe *Cretensis adversus Cretensem*, ut in proverbio est, nihil profeceris. Verum & ille ubi literas perlegit, non dicam me tristior, sed tum ita acerbitate nuncii animum remisit, ut duas per horas nihil effari potuerit. Illumne tanta eruditione perpolitum, tam comi natura, tanta facundia, tam suavibus moribus, tam acri ingenio, tam infinita probitate eo delapsum, ut his amicis, quibuscum unam mentem in duobus corporibus habebat, contemptis, spretis, inconsultis, in talem tenebrarum oblivionisque locum secesserit? At certe si nostrum alter Ticini tunc fuisset, qui te nunc amictus involvit, procul abesset, orationeque & efficacibus argumentis convicissemus, in errorem quam maximum incidere, sibique nihil consulere, qui tui similis in illam observationem secedit. Quod si id de te rationibus obtineri non potuisset, accessissent preces, teque vel a tam sævo proposito revocavissent, vel una tecum sub eadem militia nomen dare nos compulisses, ut sicut in humanitatis studiis, in juris civilis disciplina symmistæ & concordes semper fuimus, ita in hac quoque palæstra easdem leges sequeremur. Sed nescio quonam

nam malo fato actum sit, ut illum negotiationes suæ in alium locum tunc abduxerint, nos autem crebra advocationum studia, irrequieta patrocinandi studia, in patria continuerint, ut in tempore huic malo remedium aliquod afferre non potuerim. Si enim rumusculo aliquo corycæisve auribus quicquam hujus rei subauscultassem, nihil mihi moram fecisset, quin protinus ad te tanquam ἀλεξίκακος aliquis advolassem, nec me quanquam spissigradissimi causidici punctum temporis retinuissent, donec te aliquo veratro tibi restituissem. Tametsi enim me nequaquam prætereat, quam laboriosum, & difficile sit, pertinaces hos in religione animos reflectere, & de cursu suo revocare, tamen non dubitassem, quin rationibus, argumentis, persuasionibus, precibus te undique oppugnatum tandem expugnassem. Maxima quippe rei est insita pectoribus hominum religio, cujus vires hujusmodi esse veteres illi autores ostenderunt, ut affectus quoque paternos superaret, ut non ex alia causa traditum sit quandoque a patre suo immolationi deditam Iphigeniam, invito tamen reluctanteque, quam ut inde exemplum mortales acciperent sub prætextu religionis pessima plerumque facinora homines conari, pietatemque non tantum in amicos, sed in eos etiam qui vinculo naturali junguntur exuere. Quam improbitatem in mysticis Judæorum ab OptimoMaximoqueDeo improbatam inde cognoscimus, quod ex oraculi jussu Abrahamum filium suum jam jam pro victima immolantem cum arcuit Deus, non minus charitatem paternum-

que affectum probare se ostendit, quam immensam & vix credibilem parentis erga se obedientiam. Sed summus Poëtices Philosophiæque autor Lucretius non immerito gravem quendam hominem laudibus extollit, qui cum gravissima superstitione mortales afficerentur, & præ cœlestium timore, nec solis lunæque cursus, nec elementorum naturam investigare auderent, primus spretis hisce terriculis, vera ratione innixus totis velis in earum rerum cognitionem differri non dubitavit. Cujus exemplo quasdam ipse superstitiones revellerem, nec commentitiæ quorundam fabulæ, quo minus id tentarem, deterrerent, si modo non difficiles te præstiturum mihi aures non diffiderem. Non enim is sum, qui judicii tui summum acumen non cognoscam. Sed vereor ne tu quoque ceterorum vestigio inhærens, jam corruptis brevi hoc commercio moribus, aliquid sine stomacho audire non possis, nisi quod in rem tuam faciat, consiliumque tuum tanquam optimum probet. Qua in sententia nisi te, dum hæc legis, perseveraturum non crederem, haud quicquam laboris assumpsissem. Non enim aliud facere viderer, quam si de Herculis manu clavam extorquere pararem, aut ipse imbecillis viribus cum Hydra certamen aliquod molirer. Cum enim divinus ille Plato Sophistam quendam fuisse Hydram prodidit, vaticinabatur credo, & unum aliquem vestrum animo volutabat, cum quo quisquam de suo dogmate disputare ausit. Quotquot argumenta reseces rursus pullulant, & mille syllogismis fortiores insurgunt. Ipse certe in

Plato. Hydra.

resecas.

in palæſtram tecum deſcendere non auſim, ne quamvis meliorem cauſam tuerer, eloquentiæ tamen tuæ ſuccumbam, Iſocratiſque illud dicere me compellas, qui cum Ariſtophontis oratione vinceretur, juſtiores ſe partes fovere exclamavit, ceterum adverſariorum actorem eſſe potiorem. Solum itaque tecum acturus ſum, non ut phalerato ſermone aut ſubdolis argutiis tecum agam, ſed rationes tibi noſtras breviter percenſeam, nudamque ante oculos tibi veritatem proponam, quam ſcio te quoque aliquando agnoviſſe, mecumque in ambulationibus illis noſtris de ea ſæpius collocutum. Sed non ſatis perſpicio, quonam modo poſt tuum ab urbe Roma diſceſſum ſententiam mutaveris, Judæumque illum ſis imitatus, qui cum nullis rationibus flecti potuiſſet, ut Chriſti ſacris initiaretur, cum reluctante amico Romam iviſſet, deprehendiſſetque ſacerdotum avaritiam, libidinem, ſcelera, ſtatim Judaiſmum exuit, Chriſtique factus eſt cultor, quoniam exiſtimabat, niſi Chriſtus non ſolum ſummus Prophetes, ſed veriſſimus etiam Deus eſſet, haudquaquam poſſibile fuiſſe, ejus cultus tam diu ut duraret, cum illum etiam nequiſſimi quidam homines inter primos tractarent. Tu enim, ut cum Mediolanum veniſſes mihi retuliſti, in tua hac peregrinatione per monaſteria fere ſeptem hoſpitatus es, & vel eo forte argumento ſocialia hæc inſtituta optima eſſe cognoviſti. Quæ, quamvis a multis indoctis & nullius judicii viris obſervata, non labefactantur tamen, ſed indies potius augentur. Verum non ſit, quod tu in

Mediolanum.

in hoc fallerere, quandoquidem nec negare ausim aliquos in illis, ut in omni hominum genere, bonos justosque esse, & quorum meritis Deus ceterorum pravitatem donet, ut tamen in *Bias.* omni mortalium quocunque cœtu Biantis oraculum, quo plures malos esse dixit, verum est, ita in his quoque cœnobitis verissimum quotidie deprehenditur. Sed hoc est quod ipse contendo multo acceptiorem Deo illorum vitam, qui sacris soluti Christianorum more vivunt, eumque degendi modum amplectuntur, qualem tu prius sequebaris. Quod nisi expressim tibi probaverim, nihil moror, quin dementem me, & quod Aristophanes ait βλιτομαμμίαν dicas. Nec enim in universum damnare istas tibi fratrias ausim, tum quod lubet meliora suspicari, & aliquos in eis optimis moribus instructos vitæque sanctitate pollentes existimare, tum quod illud mihi cavendum video, ne simul omnes concordes aliquid in me machinemini, devotionibusque & diris non *Diogenes.* aliter mecum agatis, quam Diagoram Melium decretis aliquando suis Athenienses injuste persecuti sunt. Erat is vir erga Deos piissimus, & qui nihil prius cœlestium vero cultu duceret. Cæterum capta ab Atheniensibus insula Melo, quæ illi patria erat, cum Athenas concessisset, & depositam pecuniam amicus ei denegasset, adeo Diis illis gentium inimicus factus est, ut θεόμαχος diceretur. Cum in diversorio quandoque esset, & nulla coquendæ lenti ligna haberet Herculis simulachrum, quod forte fortuna aderat, ignibus imposuit, hocque carmine in Deum cavillatus est:

est: *Hic lentem coque, bissenoque alium adde laborem*. Idem hinc arcana illa Atheniensium mysteria, quæ in vulgus edere nefas esset, divulgavit omnibus, sacerdotumque sicuti corvorum oculos confixit. Sed & usque adeo contempsit, ut complures a religione diverteret, & ne amplius initiarentur persuaderet. Quapropter civium decreto proscriptus, addita illi mercede, qui vel captum adduxisset, vel reluctantem ferro cecidisset. Hujus itaque exemplo admonitus haudquaquam auderem ista scribere, ne crabrones quod dicitur concitarem, nisi tuam in me benevolentiam nossem, teque vel amicitiæ causa nulli scripta hæc nostra traditurum opinarer. Cum satis tibi esse factum existimare posses, si quæ rationibus ipse vera convincere de te sperem, his literis declaravero. Quamvis enim soleat dici pro veritate pugnandum esse, nec quicquam subtimescendum, dum juste agas, ejusmodi tamen tempora sunt, ut etiam nobis aliquid remittendum sit, ne ceterorum omnium odia incurramus. Quapropter consultissimus quisque Ciceronis exemplo cum plebe loquitur, cum se ipso sentit. Si enim non recte sibi consulere bonam horum fraterculorum partem, si meliores ceteris eos non esse prædicare auderem, non dubitarem fore, quin sicut a Centauris Cignus sic eorum calopodiis ipse tandem opprimerer. Nemesios igitur verendæ illius Deæ simulachri interim recordor, quod altera manu frenum retinere, altera cubitum a pectoribus existimatur, ut videlicet exemplum inde accipiamus linguam freno, bra- *Nemesis.*

chium manu inhibendum, ne in aliquem aut mali quicquam dicatur, aut re ipsa fiat. Sequitur
Seneca. enim (quod ex Ann. Seneca accepi) maledicos ultor a tergo Deus. Quod tibi idcirco prius enarrare volui, ut quicquid a nobis dictum disputatumque fuerit non existimes a malevolo animo proficisci. Si enim persuasione hac tenereris exempla hæc ipsa omnem auctoritatem perderent, nihilque tecum omnino proficerem, idque dubio procul summa cum injuria. Multum etiam tua te falleret opinio, qui me tam brevi de cursu meo recessisse existimares. Non enim te latet superioribus annis quanta inter nos amicitia fuerit, quam profecto nihil aliud quam similitudo morum inchoavit, confirmavit, confirmatam auxit. Nec etiam te præterit, quam tu ipse etiam soleres esse candidus, sine tectoriis, sine fuco, quamque ipse vicissim tecum expectoratus, & sinceri prorsus animi. Merito igitur ea debes, quæ ad te scribo, arbitrari a me tibi candidissima mente liberoque ingenio scripta, qui non aliud agere velim, quam consilium tibi meum in hac tua nova & inexpectata institutione patefacere, eaque tibi communicare. Quæ tametsi alias a me animadversa, nunquam tamen cuiquam prodidi, æternoque silentio transmissurus fuissem, nisi me amicitiæ jura etiam tacenda scribere impellerent. Primum itaque omnium, mi charissime Matti, hoc velim tecum ipse cogites, num prisci illi nostræ religionis heroës, quales fuere Apostoli, atque ab his in primitiva ecclesia sancti illi Antistites eam vitæ tenuerint viam, quam vos prosequimini.

ni. Etenim nemini non notum eſt vetus illud axioma, quod omnis Chriſti actio ad noſtram inſtitutionem pertinet. Sed quum humanæ vires imbecilles atque fluxæ ſint, cum omnia agere ejus exemplo non poſſimus, proximum fuit cum duodecim tum ceteros imitari, illudque omnibus viribus conari, ut illis quam proximi accederemus, & hinc id ego ex te quæſierim, num vos ita faciatis? Non opinor affirmare id audebis, quippe ſi ita faceres manifeſto mendacio convinceꝛere. Vos autem cum parvi quædam graviora pendatis, mendaciorum tamen delicta formidare videmini. Igitur, ut quod a concionatoribus veſtris nunquam audivi ipſe ſtilo exequar, poſt Chriſti crucem celebremque illum reſurrectionis diem diſperſi palantes Apoſtoli alii alio viam mortalibus oſtenderunt. Sed quoniam & conſtitutionibus & majorum decretis quælibet civitas eos, qui novam religionem inducerent, puniebat, palam id fieri non potuit, ne ſtatim de medio ſublatis autoribus, qui pauci erant, non æque facile incrementum noſtra fides acciperet. Quapropter quibuſdam in rectam ſemitam deflexis cœtus quoſdam conſtituere cœperunt, quibus illi convenirent, antelucaniſque horis Chriſto laudes concinerent. Hinc exordium cepit eccleſia, quæ vox Græco nomine nihil aliud quam cœtum conventiculumve ſignificat, ut non exiſtimes, quod indocti faciunt, id auctoritatis in urbe Roma Petrum habuiſſe, quam nunc ejus ſucceſſores habent. Præerat ille eccleſiæ & collegio illi Chriſtianorum, quod in urbe erat, quorum numerus fortaſſe quingentos

Eccleſia primordia.

non excedebat. Ad hos extant Pauli quædam epistolæ, quibus quam tenuis res eo in principio esset satis ostenditur, & ne credas opulentos divitesque eos fuisse, continuis operibus urgebantur, ut se alerent, nec, uti vos nunc habetis, Tabellarii Nunciique erant, qui Romam indefesso cursu ad ordinis generalem Magistrum pro obtinenda prærogativa properarent, sed epistolas illas, quæ firmissimæ sunt nostræ fidei columnæ, anus una, cui nomen Phœbe, detulit. Tanta erat in iis frugalitas, ut possemus non absurde, si præsentium hominum conventus augustis illis & sanctissimis quicquam simile habere possunt, flagriferorum scholis, quibus nostra ætate ut plurimum mechanici utuntur, ecclesias illas comparare. Igitur, qui in eis nomen dederant, a vitiis abstinebant, nullius delicti rei habebantur, & tametsi certa lege, quo minus uxores ducerent, non prohiberentur, nihilo tamen secius rari ducebant. Indifferentis victus erant sicuti & habitus. Qui ex eis melior haberetur, in Episcopum creabant. Mores & vitæ sanctitas non pecunia aut nobilitas conspiciebantur. Ex his tot sunt martyres propagati, tot confessores. Nemo pro Christi fide mortem subterfugere dubitabat. Ubi se numero auctos viderunt, palam & ubique viam veritatis docere, eloquentia & miris exemplis, quos poterant, in sententiam trahere, non edictis Principum, non præsentibus cruciatibus absterreri. Num itaque vos ita facitis? Omnis fere Asia cum magna Europæ parte Turcarum armis opprimitur, quis est de vestris, qui in eas

re-

regiones secedat? aliquot ex Othomannis in sententiam trahat? ecclesiam, hoc est, cœtum aliquem orthodoxorum constituat? pro Christi cultu pugnet? Nemo certe quod non aliam ob causam facere dubitatis, quam quia vos Turcarum minæ a tam pio proposito absterrent. Veremini fortasse latumias aut eculeum. Quod si ita est cur non maxime vobis irascor, nisi fortassis faciliorem lucro captando augendæque dignitati occasionem in Christiano orbe stantes expectatis. Sunt in Bohemia perversi dogmatis sectatores Hussitæ, & quisnam vestrum eo profectus est, ut in rectam eos viam deduceret? Audistis quandoque & Principes quoque plures hanc ob causam de regno periclitantes. Audistis orthodoxos quoque plures ab iis percussos cecidisse, remque, ut inter Barbaros æquum fuit, per gladios tractatam. Sed vos vobis ipsis consulitis, nec in tam atrox periculum & præsentem cædem salutem vestram projicere securum ducitis. Nec tam iniquus ipse judex esse volo, ut hoc qnoque de vobis requiram, & immolari vos velim, eaque tormenta pati, quæ prisci illi ἐκκλησιαστικοὶ ferebant. Non enim me latet magis imbecilles vos veteribus illis esse, nec tanto cum ardore pro vero cultu agi, quanto ipsi etiam adversus Imperatores pugnabant. Sed certe æquum fuit, ut sicut apertum Solymis in Christi cenotaphio delubrum incolitis, unde vobis eleemosinam magnam ingensque emolumentum de viatoribus comparatis, ita quoque in eis regionibus idem moliremini, in quibus non lucri spe sed zelo fidei vos devectos nosse omnes

Hussitæ.

omnes possent. An non cùm patrum nostrorum memoria deprehensa in Ægeo mari peregrinorum, qui ad Solymos tenderent, a Turcis navis fuit, interminatumque illis esset, nisi Christum Deum abnegarent, fore ut navis mergeretur, cujus rei signum erectus index esset, nemine manum extendente sub aquas demersi suffocatique sunt? Non vides quam grata eorum fuerit erga Deum servitus, qui eos in suæ benignitatis martyrio libenter admittat? Non idem fortasse eventurum fuit, si eam navim ordines isti fratrum tenuissent. Sed ut ad rem redeam ejusmodi quidem prisci illi religionis nostræ patres erant, unde tot præclara ingenia exorta sunt, quæ literis, quæ eloquentia dogma nostrum illustrarunt, qui sanctitate assiduoque malorum toleratu inconvincibiles ostenderunt se, nec his inter se hæresibus divisi ipsi erant, ut alii quidem albi, alii nigri, alii gilvi, alii aliis coloribus, sectis, nominibus, distinguerentur. Omnes fratres erant solo nomine Christiani dicti. Idcirco & charitate, & amore, & probitate tam conjuncti, ut nec eorum quidem inimici quicquam reperirent, quod in eis damnarent. Hinc C. Plinius gentilis vir, qui & eos quandoque cruciatibus subdidit, nihil in eis accusat, præterquam quod Christum colerent, non enim in scelus aliquod obstringi, non furta, non latrocinia, non adulteria committere, non fidem fallere, non appellanti depositum abnegare, promiscuum eos cibum & innoxium capere. Quæ omnia si de vestris ordinibus nunc diceret, non satis scio quam

Plinii de Christianis testimonium 10. epist. 97.

de

de omnibus vere, sed certe de plurimis falsum diceret. Quam ob causam fieri videmus, ut sicut concors illorum firmaque omnium virtus & multos in suam sectam trahebat, sic nostra tempestate plurimorum improbitas etiam optimos a vobis alienet, & sit ceteris, ut Græca voce utar, scandalo. Cæterum quoniam illorum virtute jam res Christiana mirum in modum creverat, & jam Constantini lege templa sua pagani claudere erant jussi, unusque Christus omni in orbe cantabatur, fuere qui a secessum amaverunt, unde monachi dicti sunt, quorum institutum ita Hieronymo placuit Rufinoque, ut in hoc albo nomen dederint. Non erant hi, quales nostri temporis, furva tunica induti, caput cucullione contecti, solitarii a laicis, inter se minus frequentes, carnem perosi, pastillos, scriblitas, placentas, pisces pretiosissimos comedentes, latifundiis ditissimi. Sed qui

Constantinus.

Hieronymus.

a. Ægyptus monachos primum vidit. Mox Syria & Oriens. Occidens paulo serius. Nec deduci potest origo altius quam a Diocletiani, aut quod verius fortassis, Constantini ætate. Qua monachi demum nomen paulatim increbuit. Loquens de Hilarione in vita ipsius Hieronymus, *Quod postquam*, inquit, *auditum est, & longe lateque percrebuit, certatim ad eum de Syria & Ægypto confluebant, ita ut multi crederent in Christum & se monachos profiterentur; necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachum ante sanctum Hilarionem in Syria noverat.* Idem *ad Esaiæ cap.* 19. *Hæ enim vel maxime gentes monachorum florent examinibus, Ægyptus & Mesopotamia, & pari inter se pietate certantes.* Fugæ laborumque cum profugus Athanasius socios haberet monachos Romam ex oriente eos primum

qui vestimentis in promiscuo genere uterentur; divitias contemnentes, solius Dei laudibus insisterent, sudore alioquin suo victitantes, quippe qui legerim eorum aliquot vili mercede cæmenta & terram bajulare solitos, qua se alerent, & ut quod superflueret ceteris inopibus largirentur. *Augustinus.* Nec aliter vivebant, quos Augustinus quandoque instituit, qui nunc solum nomen tenent, mores & habitum mutaverunt. Primus qui similem monachis fratribusque hisce nostris modum instituerit, quantum ex historia deprehendi, fuit *Benedictus.* BENEDICTUS. Hic cum Gotthorum bellis cum *Belisarius.* Belisario flagrantibus Italia deserta incultaqne esset, flammaque & ferro omnia vastarentur, monachos hos pro tempore instituit, cessantibus bellis fortasse, ut arbitror, ad primos mores re-

ver-

mum invexit, ut de laudibus Marcellæ idem *pr. Nulla eo tempore nobilium fœminarum voverat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arrianæ hæreseos declinantes quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tum viventis, monasteriorumque in Thebaide, Pachomii, & virginum ac viduarum didicit disciplinam.* In desertis tamen primum. Unde & passim lucifugæ. Urbes serius habitarunt. Ambros. *epist.* 62. ad Vercellensem episcopum. Rutil. Numatianus *vers* 439.

Processu pelagi jam se Capraria tollit,
Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.

Altesesserr. 1. *ascetic.* 2. *& seqq.*

a. Obiit

versurus. Verum post ejus mortem aliud consilium successoribus fuit. Ditati enim primum a Longobardorum regibus, mox a quibuscunque aliis, quicquid vel male partum, vel pravis artibus conflatum erat, ægrotantium testamentis accipiebant, quod videlicet alia ratione nemo salvus esse posset, nisi vel pauperibus vel monachis rei suæ aliquid impenderet. Verum Benedicti exemplo trecentis abhinc annis, cum perniciosæ Guelphorum Gibellinorumque factiones Italiam pessundarent, nullaque civitas, vel potius domus, non aliquo hujusmodi scelere laboraret, pertæsus temporum iniquitatem [a] Franciscus ordinem hunc vestrum instituit, quem tamen postea ita mutavere, ut si revivisceret minime eum esse agnosceret, quem ipse instruxerat. Certis legibus discipulos ille suos non adstrinxit, solum moderationis & demissi animi admonuit, evangelicamque doctrinam ut sequerentur imperavit.

Longobardi reges primi ditarunt cœnobia.

Guelphi. Gibellini.

Franciscus.

Regula Francisci.

a BO-

[a] Obiit S. Franciscus Assisii anno 1226. 5. *Octobr.* ut Miræus ad eum annum. Paucis annis dein post Franciscani jam Ultrajecti & fundatum ab iis templum. Bullam habeo fundationis, quam anno tertio Pontificatus Innocentius dedit Papa IV. Nec Ultrajecti tum tantum, sed per totum terrarum orbem. Sic Matthæus Parisius, qui horum temporum æqualis, *Sub his*, inquit, *diebus fratres Minores, favente Papa Innocentio, subito emergentes terram repleverunt, habitantes in urbibus & civitatibus deni & septeni, nihil omnino possidentes, de Evangelio viventes, in victu & vestitu paupertatem nimiam perferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt.*

a. Or-

Bonaventura. *a* BONAVENTURA, quem elegantiori vocabulo Eutychum dicimus, habitum, quo nunc utimini, instituit. Pastorali enim gregarioque vestimento prius Minoritæ utebantur. Addidit ut accepi calopodia *b* Bernardinus Senensis, quem tamen ferunt inventum suum damnasse. Bernardinus. Quum Mediolani Philippum Vicecomitem, qui tunc rerum potiebatur, convenisset, petiit sibi locum concedi, quo monasterium suæ observationis ædificaret. Philippus Vicecomes. Haud difficulter annuit Princeps, sed ut summa & incomparabili prudentia erat, subdidit fore, ut quandoque eum petitionis suæ pœniteret miram discipulorum suorum ingratitudinem vix ferentem, qua inclytissimus Dux minime deceptus est. Hic ego Franciscum ab elegantissimi scriptoris Merulæ calumnia defendam. Merula. Scribit ille historiæ *lib.* VI. haud satis recte eum fecisse, qui cum civilibus odiis infectas mentes cerneret, gliscentiaque indies domestica arma, pacis prædicatione, frequentibusque con-

a. Ordinis hic Minorum Magister generalis ac postmodum Cardinalis episcopus Albanensis, Alexandri de Ales discipulus & auditor, in Sanctorum catalogum relatus Ann. 1482. a Sixto IV. Pontifice. Inter cetera, quæ edidit, & quæ recenset Jacob. Philippus Bergomas *Chronic lib* 13. fabulam etiam scripsit seu Legendam S. Francisci. Onuphrius Panuinius virum vocat doctissimum & miraculis clarum in vita Sixti IV. Fides sit penes ipsum.

b. Ordinis Franciscani professor & reformator. Obiit sexagenarius apud Aquilam Marsorum urbem Ann. 1443. 20. Maji. Elogium habet Jac. Philippus Bergomas Chronic. lib. 15.

a. Ni-

concionibus huic malo obviam non iverit, & ut intrepidus morum censor, gravisque criminum objurgator erat, non eloquentiæ viribus, non pietatis commemoratione, non quacunque arte civiles dextras a sanguine retineret, qui, inquit, in Apennini jugis maluit cum fraterculis suis speculari, quam hujus mali aliquid levare, & hoc fortasse ne Pontificiam Majestatem læderet, unde maxima hujus mali pars emanabat. Nimis maledicus es Merula felleque litum gladium in Franciscum detorques. Anne arbitraris, si summus Pontifex male egisset, taciturum Franciscum, ne eum læderet? Erras certe. Non ita in Evangelio præcipitur. Non ita Johannes Baptista Herodem timuit, nec etiam in prophanis Sotades Philadelphum, cum Arsinoën sororem in uxorem accepisset. Nam iratus Rex pedore & situ eum confecit. Ipse existimo Italiæ calamitatem magnam versantem animo Deum non sivisse, ut quod jam in fatis erat Franciscus vel tolleret, vel diminueret. Sed ut in Franciscum non satis æquo jure Merula inclamat, ita non injuria est sectatores insectatus, qui frivolis quibusdam quæstionibus Philosophiæ incumbentes castam vitæ institutionem neglexerunt, malueruntque seditiones quasdam vicissim concitare, quam perpetuo vitæ tenore semitam observare. Hinc Francisci comes nescio quis Helias, dum in ejus locum subrogari gestit, non minores in eo commilitio turbas invexit, nec leviora factionis studia, quam inter prophanos tunc maxime debacchabantur, ut jam tunc præsaga mente posset cognosci fore, ut aliquando in multas partes Impera-

Herodes. Sotades

Helias.

Francis-canorum divisio. *Pauper.* *Dives.*

peratores vestri cohortes suas dividerent, fierentque ex Minoribus alii Observantes, alii Soluti, alii Amadeani, alii Clarenses, & non aliter simul *a* dissentirent, quam Christianus cum Tartaro, vel Turca cum Hebræo faciat. Nam in præsentiarum eo ob has simultates progressum est, ut fere alter alteri hominis loco non sit. Contendunt de calopodiis, & tanquam de aris focisque digladiantur, quasi unicuique non liceat, quoquo habitu voluerit, Deo inservire. Beati, inquit, Christus, pauperes spiritu, at nisi vos superbissimos spiritus gereretis haud quaquam hac de re tantis odiis certatum foret. Nec est is pauper qui facultatibus lapsus est, neque is dives qui pecunia abundat, sed potius is est vere dives, qui quam minimis eget, pauper qui plurimis. Nisi mens vestra alieni appetens, si eo quod penes vos est contenti essetis, nemo ditissimos negaret. Si pauperes vos esse fatemini, recte rei estis, quoniam non pauperes

a. Nigri monachi albis odio, Cistercienses Benedictinis, ut Samatitani Judæis. Petrus Cellensis *lib.* 8. *epist.* 9. *Forte dicitis, quid ad te de Clarevallensibus, cum Samaritani non coutantur Judæis, & nigra Æthiopissæ facies, & vestis differat ab illa veste, & facie, quæ apparuit Apostolis in transfiguratione Domini?* Benedictinis disciplina & religio paulo laxior, Cisterciensibus districtior. Nigra illi veste, hi alba jam olim usi. Petrus Cluniacensis adversus Cistercienses *lib.* 1. *epist.* 7. 8. *Et vos sancti, vos singulares, vos in universo orbe vere monachi, aliis omnibus falsis & perditis, secundum nominis interpretationem solos vos inter omnes constituitis, unde & habitum insoliti coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius fere mundi monachorum inter* nigros *vos* candidos *ostentatis.* Alteserr. *ad cap. ex. parte ext. de temp. & qual. ordinand.*

peres ſpiritu, ſed divites eſſe vultis, meritoque de vobis illud dici poterit, quod quandoque in Diogenem intorſit Plato, majore videlicet ambitione in ſordidis veſtibus Cynicum agi, quam ipſe in auro & argento ſollicitaretur. Cum ego vos Cynicis non comparem, qui ſi a rerum tolerantia laudari vultis, non debetis ægre ferre, ſi hujuſmodi viris ſimiles vos eſſe dixero. Et illi omnium divitiarum contemptores erant, & hyeme nudi agebant, ſtatuas frigidiſſimas amplexabantur, cibis delicatioribus abſtinebant, ut plane eorum imitatione fabrefacti videamini, niſi quod in eo quoque illi fortaſſis vincebant, quod canino prandio aſſueverant, & quod vola manus pro ligneo poculo uterentur. Interrogatus certe Diogenes cur Cynicus diceretur, quia mihi, inquit, aliquid porrigentibus adblandior, & canum more cauda adulor: in non porrigentes adlatro, inimicos autem male mordeo. Hac certe ratione non video, cur & vos Cynicos non appellem, quippe qui peculatores, fœdifragos, fœneratores in monaſterio frequenter & placidiſſime habetis. Quod exiſtimarem exemplo Chriſti vos facere, qui cum publicanis diverſatus eſt, niſi illi vos larga manu juvarent, legatis ſupremoque judicio locupletarent. Quod ſiquis liberalitate ductus aliquoties annuam vobis largitionem dederit, ſi pœniteat, iraſcimini, adlatratiſque, & quod meræ donationis fuit in obligationis neceſſitatem pertrahitis. Fuerunt etiam qui ex formula tanquam debitum in judicio repeterent. Sic quantum quiſque de ſuo vobis addit,

Diogenes. Plato.

Diogenes cur Cynicus.

dit, tantum amicus, ubi dare desierit, hostilia cogitatis, ut non in alios magis quam in vobis similes viros scripsisse facetissimum Poëtam τὸν Παλλαδᾶν existimem:

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν
ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ, εἶπε μόνον
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὔταρ ἔγωγε
οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Cui nos non absimile pauxillum de exemplari recedentes quandoque lusimus:

Cum quicquam dederim dominum fratremque salutas,
Cum nihil hoc solo nomine, frater, ais.
Pro rebus sic verba refers, sed cum amplius ipse
Non habeam donum, parce voces dominum.

Anne hæc Franciscum de superis prospectantem non iniquissimo animo ferre arbitramini, qui quas ipse Ordini leges dederat tam notabiliter contemni indignetur? Quamvis enim successorum ingeniis & hæ multum depravatæ sint, quicquid tamen in illis boni æquique est, verisimile est ab ipso promanasse. Tametsi in hac parte multa de Hebræis accepta sint, quædam inversa, quæ non satis ptofiteri ausim, an recte fuerint immutata. Scribit Theophrastus & longe post eum diffusius Porphyrius in libris *de abstinentia a carnibus*, a quibus nonnulla diversa eloquentissimus ille Philo etiam memoriæ posterorum tradidit, fuisse apud Judæos quosdam Philosophos, qui Essæi dicerentur, eos inter se summum amorem observantiamque habere, voluptatem omnem quasi

Theophrastus. Porphyrius. Essæorum vita & mores.

quaſi vitio non careat, aſpernari, modeſtiam atque tranquillitatem ab omni cupiditate & ſordibus remotam inprimis amplecti, uxores non ducere, alienos liberos, quos bonæ indolis cognoverint, adoptare, a teneriſque annis morum] ſuorum doctrinam imbibendam illis tradere. Quod ab eis ait fieri, non quia a matrimoniis abhorreant, ſed quoniam pellaces nimis fœminarum mores cavendos arbitrantur. Rurſus divitias omnes adeo ait ab illis deſpectui haberi, ut mira inter eos ſit paupertatis concordia, cum nemo præter ceteros aliquid poſſideat, ſed communia omnia habeant, alteroque aut ditior aut pauperior alter non ſit. Eademque omnibus, uti fratribus convenit, eſt facultas. Hi avidi durique corporis eſſe gaudent, quaſi id virum deceat, cum contra unguentis lotum eſſe muliebre arbitrentur, provideque ut ſummam mollitiem id effugiant. Communibus ſuffragiis ſibi præfectos atque obſonatores conſtituunt. Non omnes unam urbem colunt, ſed facile quocunque placuerit commigrant. Semper penes hæreſeos ſuæ viros hoſpitantur, a quibus tam alacri animo ſuſcipiuntur, ut una ſimul ſemper hoſpitaſſe illos quiſque opinari poſſit. Quapropter diſcedentes nunquam viaticum aliquod ſecum ferunt, veſtimenta & calceos, priuſquam vetuſtate & uſu conſumpta fuerint, non mutant, emptionis venditionis contractu abſtinent, veteremque permutationis conſuetudinem magis obſervant. Deum ſiquis unquam maxime coluit, illi ipſi ſunt. Antelucanis horis patria oratione eum ſalutant, ut ſolem

oriri

oriri faciat precantur. Ubi hoc fecerint a Præfectis ſuis ad artes operaque ſua exercenda ſinguli dimittuntur, & ubi per quinque horas laboraverint in unum conclave congregantur, frigidaque perloti in cœnaculum coëunt. In id præter initiatos quemque introire fas non habent. Ibi omnibus uno ordine ſedentibus panis in ſingulos quosque ferculum unum apponitur. Primus eorum ſacerdos dicta prius Deo oratione comedere incipit. Ante enim preces quicquam guſtare non licet. Ubi pranſi fuerint, gratias Deo agunt, ut quod ab oratione prandium auſpicantur in oratione quoque deſinat. Poſt hæc cœnatoriis veſtibus depoſitis ad opera rurſus exeunt. Eadem ratione poſt ſolis occaſum redeuntes cœnant. Clamorem tumultumque inter eos nunquam audivit quisquam. Cum enim omnium continentiſſimi ſint, ſuo quisque loco loquitur, ſtrepituſque idcirco abeſt, quem crapula ebrietaſque potiſſimum excitat. Non veſcuntur, aut bibunt, niſi quatenus vitam ſuſtineant. Alioquin in eo nulla eſt certa lex. Qui in hæc miniſteria ordinari volunt, non illotis pedibus ſtatim admittuntur, ſed poſtquam integrum annum foris ea lege vixerint tum demum initiantur, ita tamen ut cum eis adhuc vivere non liceat, niſi per biennium etiam continentiæ ſuæ ſigna monſtraverint. Tunc penitus admiſſi aliquo præeunte conceptis verbis jurant, inprimis Deum veneraturos, juſtitiam continuo ſervaturos, nemini nocituros. Ad hæc malos habere odio promittunt, non ſecus in hominem juſtum injuriam factam reputaturos, quam ſi

Eſſæorum probatio.

Eſſæorum jusjurandum.

si ipsi læsi essent, fidem, æquitatem, veri observantiam, probitatem custodituros, donec vixerint, animaque ad cœlestes transierit. Hæc Essæorum dogmata sunt, unde vestri autores maximam institutionum suarum partem accepere, tametsi quædam immutaverint, quæ tamen non video, cur ita mutari pervertique debuerint. Standum veteri lege esse, nisi evidens utilitas, ut ab ea recedamus, persuadeat, & veteres tradiderunt, & vulgo dicitur. Videamus quantum non dicam evidens utilitas hoc fecerit, sed apertissima irreligio in eo vos traxerit, quod invertistis. Laborabant Essæi propriis manibus, mechanicaque & vilissima officia exercebant, ut inde sibi victum compararent. Vos obtusi sedetis, præterque verbula, quibus linguam & vocem exercetis, nullum aliud opus facitis. Mihi quidem persuadebit nunquam aliquis posse hominem, quantumvis optimum, integrum diem cælestium speculationi incumbere. Fragiles enim humanæ vires sunt & dæmonum illusionibus multum obnoxiæ. Quapropter si tres aut quatuor aut plures horas ita quisque intentus fuit, necesse est aliquid de ea cogitatione remittat. Quod etiam facetissimum autorem Aristophanem non præteriit, apud quem ἐν νεφέλαις Socrates Strepsiadi seni persuadet, uti circumspectus quandoque subtiles illas cogitationes remittat, cauteque eas consideret. Qua in re ut ethnicos mittam Antonii μονάχου passim & per ora omnium circumfertur exemplum, cui non absimile Ovidianum illud:

Aristophanes. Socrates.

Antonius Heremita.

Ovidius.

Si nunquam cesses tendere mollis erit.

Igitur hac intermissione Essæorum more aliquid agendum fuerat, ut hoc modo tacitas illas, & quæ per otium plerumque subeunt, tentationes abigeretis. Siquidem ut Catullus ait, *Otium molestum est. Otium reges prius & beatas perdidit urbes.* Dixerit hic vestrum aliquis: Quid ad me si ea lege Essæi vivebant? Num ego Judaicæ superstitionis imitator sum? Recte quidem, nisi & consuetudo hæc vestra Apostolorum traditionibus adversaretur. Hinc in epistola D. Jacobus, *Quæ utilitas*, inquit, *fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, facta vero non habeat? num illum salvum facere fides potest? Quod si frater aut soror nudi fuerint & egentes quotidiano victu, dicat autem aliquis vestrum illis, Abite in pace, calescite & saturamini, non tamen dederit illis, quæ necessaria sunt corpori, quæ erit utilitas?* Quæ verba tibi præsertim Matti annotanda sunt, qui egente matre & fratribus derelictis ita secesseris. At saltem hujusmodi te in cœnobio collocasses, in quo aliquid elaborando egentibus posses acquirere, moveretque te illud ad Thessalonicenses Pauli, *Qui meministis*, inquit, *fratres laboris nostri ac sudoris; nocte omni ac die opus facientes, ob id ne cui vestrum essemus oneri, prædicavimus apud vos Evangelium Dei.* Sed & idem ad Corinthios priore epistola: *Ad hoc usque tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis vagamur sedibus, & laboramus operantes propriis manibus.* Quam consuetudinem & prisci

Catullus.
Otium.

a illi

a illi & sancti monachi sequebantur, non ut se tantum alerent, sed ut de eo quod supererat indigentibus subvenirent essentque auxilio. Quod & observasse Christum verisimile est, qui propter ea καὶ τέκτων καὶ τέκτονος υἱὸς fuisse traditur, quod etiam mechanica atque fabrilia opera exercuisset. At vos hæc tantum abest ut curetis, ut existimem nullam unquam æque grandem calamitatem pau- *Cur Christus fabri filius.*

B 5 perum

a. Etiam monachi laborabant & manu quærebant victum. Scholæ hinc in monasteriis, ergasteria, officinæ *nov.* 133. *cap. ult.* Vita D. Pachomii apud Rosweydum *cap.* 7. *Texebant quoque cilicia, & laborabant manibus suis juxta Apostolum, non tantum pro sua refectione vel requie, sed ut haberent, unde tribuerent necessitatem patientibus*: & mox *cap.* 47. *Tunc ingressus monasterium post orationem venit ad fratres, qui psiathos operabantur, sedensque cum eis cœpit & ipse texere.* Gesta Aldrici Cenomanensis episcopi apud Baluz. 3. *miscell. cap.* 17. *Fecit quoque in ipso monasterio refectorium novum, & cetera officina fratrum tam cellaria quam & alia officina mirabiliter & decenter construxit.* Epiphanius *hæres.* 80. *Præterea nullus est Dei famulus, qui non ad obtinendam justitiam*, ταῖς ἰδίαις χερσὶν, *propriis suis manibus, opus exerceat, quo in egentes beneficus esse possit: quod in unoquoque monasterio tam in Ægypto quam in aliis provinciis fieri cernimus.* Sic passim in Oriente. In Occidente non nego aliud visum plerisque. Visum opus id satis grande si preces ad Deum funderent. A Cluniacensibus Cistercienses, quod suis opus manuum commendarent irrisi. Sed præter omnem rationem, ut ostendit Barnardus *epist.* 1. *Opus manuum, quo Sancti Patres Eremitæ & antiqui monachi semper usi sunt, quo ipsi Apostoli victum sibi & aliis ministrabant, ita abjecistis, ut nec istæ omnes auctoritates ad operandum vos cogere possint, nec obedientia, quam juxta regulam Deo vos exhibere promisistis, delicatas otio manus de sinu ad opus extrahere valeat.* Altesferr. 5 *ascetic* 9.

perum miserorum ordinibus invectam, atque ea est, qua vos illos affligitis. Siqui enim ex vobis prius divites erant, hi non inopum non pauperum miserti, nihilque illis legantes, sed & fratribus & agnatis derelicto patrimonio in religionem vestram ingrediuntur. Et cum de vestro nihil in pauperes miserosque effundatis, eorum tamen eleemosynis vescimini. Quot enim arbitramini viros bonos & Deo addictos, qui inopum miserias suis facultatibus alioquin propellerent, nihil illis dare, sed ea omnia potius in vos prodigere. An non videtis, quibus & quam Deo acceptis bonis estis privati? Prædicat utique in Evangelio Christus eleemosynam tutissimam, eoque remedio viam ad superos parari ostendit & Paulus, & Divi interpretes uno ore miro consensu prodiderunt. Eo vos beneficio caretis, qui eam nulli præstatis, sed potius, quæ aliis præstanda forent, accipitis, nisi fortasse quisquam tantum de orbita recedat, ut par esse meritum dantis accipientisque existimet, quod quantum a veritate absit omnes perspicere possunt. Siquidem cum de facultatibus suis haudquaquam homines libenter diminuant, sed ut plurimum unusquisque rem augere satagat, qui dat, vere Dei gratia dignus est, quoniam difficulter datur. At qui accipit nullius est beneficii dignus, quando quidem & stulti libenter accipiunt, nemoque non in ore Hesiodi illud habet

Δόντι μὲν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ δ' ὔτις ἔδωκεν

Danti aliquis dedit, ast non danti non dedit ullus.

Quin

Quin etiam illud accepi, tametsi mendico vos aliquid dare velletis, lege tamen vestra quo minus id faciatis prohiberi, necessariamque hac in re magistri seu præfecti vestri indulgentiam. Quod æque difficulter crederem, nec etiam tam scrupulose cum aliis agitis, qui filiisfamilias matronisque in vos aliqua prodigentibus non soletis indicere, ut parentum maritorumque consensum prius impetrent, nisi idcirco factum opinarer, ut petenti a vobis aliquid amico excusatio nunquam deesse posset, daturis videlicet libenter, si in vobis esset, sed collegii psephismate arceri, ne quicquam inconsulto rectore dare liceat. Unde ergo multum gratiæ apud Deum adipiscimur facere non potestis. Unde vero nullius meriti res est, illam & facitis, & in ea quotidie exercemini. Sicuti enim qui fœnori dat gravissime peccat, qui accipit nullius delicti regulariter reus est, ita qui pauperi muneris aliquid largitur multum lucratur, centuplum illi Deus spondet, qui vero accipit opus nullum Deo gratum facit. Cæterum & in alia re ab Essæis illis patribus divertistis. Rari eorum uxores habebant, quia tutius arbitrati sunt sine muliere esse. Probavit id institutum Paulus, *ubi alligatus es*, inquit, *uxori, ne quære solitudinem. Solutus es ab uxore, ne quæras uxorem. Quod si uxorem duxeris, non peccasti, & si nupserit virgo non peccavit. Attamen afflictionem in corde habituri sunt hujusmodi.* Vos autem & Essæis & Paulo sapientiores uxore omnino abstinendum duxistis, idque lege ita vos arctante. Quam constitutionem non satis tamen damnare ausim, *D. Paulus.*

ausim, quum videam etiam sapientissimis fidei nostræ propugnatoribus placuisse. Quapropter *Chryso-stomus.* Johannes, quem ab eloquentia Chrysostomum dixere libro tertio, quem in vituperatores vitæ monasticæ edidit, consilium hoc maxime probat, *Hiero-nymus.* longeque & late defendit. Sed & Hieronymus nimiis certe & affectatis virginum laudibus tantopere extollit, ut nisi Pauli autoritate magis ducerer, cum eo fere sentirem, errare videlicet & perquam decipi, qui connubia sectantur. Verum & mihi ἀδέσποτον illud epigramma semper placuit, cujus sensum sufficit, nam Græce elegantissimum est, si utcunque expressero:

Ad Venerem properate omnes, nam tollere posset
Vitam hominum nimius virginitatis amor.
Idcirco uxorem capias, da pignora mundo,
Et cave sis spurci fautor adulterii.

Quam sententiam Paulus quoque sequi visus est, qui, *ob fornicationem*, inquit, *unusquisque uxo-* *Æneas Sylvius* *rem suam habeat.* Quapropter in Æneæ Sylvii sententiam ipse pedibus iverim. Is summus Pontifex creatus sub Pii secundi nomine solitus aliquando dicere traditur: *Sacerdotibus magna ratione ademptum connubium, sed majore quadam restituendum.* Quod apophthegma non esse non verissimum nemo, qui nostrorum temporum mores noverit, inficiabitur. Scribit Græcus autor *Proco-pius.* Procopius Romani imperii eversionem ea maxime de causa processisse, quod non illa virorum mul- *Hono-rius.* titudo in Italia sub Honorio Augustulove erat, quæ armis tueri imperium potuisset. Cum enim Christiana lege divortia prohiberentur, ne quos jun-

junxisset Deus, separaret homo, plerumque accidebat, ut talis vir mulieri jungeretur, qui cum alia quidem dissimilis naturæ gignere liberos posset, at eam, quæ sibi contigerat, reddere prægnantem nequiret. Quam sententiam cum & aliis rationibus ineptam falsamque ostendere possem, satis sit, quod malorum quorundam exemplo, nedum eos quibus sterilis uxor contigit, sed & illos, quibus nullam omnino habere permittitur, idcirco . . . . non contineri, ... quo minus magnam liberorum molem propaget. Sed & istud, qualecunque præceptum fuit, vix necessarium esset, si Essæos ipsos prorsus imitaremini. Eos tradit Eusebius Pamphili tanta tenuitate rerumque paucitate uti solitos, ut raro plus quam semel una dierum hebdomade alvi purgatione indigerent. Quam ob moderationem vivendique frugalitatem in eam animi patientiam devenerunt, ut nec ignibus, nec eculeo, nec alio tormentorum genere induci possent, ut adversus legem suam quicquam molirentur. Quam constantiam eo maxime tempore demonstraverunt, quo Romanorum armis appetiti fuere. Nullas enim lachrymas, quamvis acerrime plecterentur, emittebant, sed utcunque se morti offerre videbantur. Si autem hujusmodi abstinentia Minoritæ vos uteremini, haud vobis aliquid de connubiis constituendum fuerat, si verum est, quod Comicus ait, *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Et hæc quidem de Essæorum religione satis sint. Verum etiam non parum in Evangelicam legem committere mihi videmini. Duobus ea omnino præceptis clau-

Essæorum frugalitas.

clauditur, ut Deum primo diligamus vereamurque, mox proximum. *Proximus quis.* Est autem pro proximo habendus qui nostra eget ope. Igitur quantopere præceptum id Christiano viro observandum sit Paulus ubique prædicat. Quapropter unumquemque monet non tam quæ sua sunt ea quærere, quam quæ ad proximum pertinent. Thessalonicensibus mandat invicem se in bonum opus cohortentur, malos corrigant, infirmos sustineant, pusillanimes consolentur. Neque quisquam dicat. Quid ad me attinet aliorum perditio? Quandoquidem nos jussit Christus plurima nostrorum commodorum negligere, ut interim aliorum salutem curemus. Romanis idem affirmavit eos, qui fratrum salutem negligerent, in ipsum Deum delinquere, ejusque ædificium dejicere. Suntque multa apud eum id genus dicta, quæ & satis superque ostendunt, quantam proximi nostri curam habere debeamus, quamque illud quærere, ut simus ei adjumento, exemplo etiam veterum, qui nihil aliud Deum existimabant quam prodesse mortalibus. Hinc Græcis atque Poëtis vetustis, θεοὶ δωτῆρες, & apud Ciceronem non alia ratione in Jovis titulo maximo optimum præponi traditur, quam quod optimus beneficiis esset. Strabo quoque Amasenus Philosophus tum demum homines Diis simillimos esse scripsit, cum bene ceteris faciunt. *Qui Deo simillimi.* A Megalopolitanis ἀγαθὸν θεὸν Jovem dici Pausanias autor est. *Pausanias.* Quod si summus Deus idcirco habeatur, quoniam idem est erga homines beneficentissimus. Et ostenditur id eadem ratione ac sententia etiam Græco proverbio,

bio, ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον. Quod quid ſit expli-
catum in C. Plinii hiſtoria legere poſſumus. *Plinius*
Deus eſt mortali juvare mortalem. Et hæc ad *lib. 2.*
æternam gloriam via. Hac proceres ivere Roma- *hiſt. cap.*
ni. Hic eſt vetuſſimus referendi benemerentibus *7.*
gratiam mos, ut tales numinibus adſcribantur.
Igitur cum omni voce laudetur, qui proximum ſuum juvat, vos illud vivendi inſtitutum ſequimini, quo neminem ſublevare poteſtas vobis ulla eſt, divitiis enim & opibus haudquaquam uti permittitur, cum profundiſſima paupertate vos oppreſſos prædicetis. Hic ea nimirum re, qua maxime mortalis mortalem juvare poteſt, vos caretis. At dixerit aliquis: Orationibus precibuſque Deum vobis conciliamus, concionibuſque frequentiſſimis a peccatis abſterremus. Sed hîc cavendum eſt, ne talia dicenti illud ex D.
Matthæo intorqueatur: *Appropinquat mihi po-* *Matthæus.*
pulus hic ore ſuo, & labiis me honorat. Cæterum cor eorum procul abeſt a me. Sed fruſtra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum. Tum Pauli ex Corinthia priore aliud: *Ego cum veniam ad vos fratres non veniam in eminentia ſermonis aut ſapientiæ, non enim me judicavi quicquam ſcire inter vos, & prædicatio mea non erit in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtentatione ſpiritus & potentiæ.* Verum non eſt quod idcirco etiam proximo inde vos prodeſſe gloriemini, quandoquidem etſi in hæc monaſteria non deſcendiſſetis, ea tamen ratione quibuſdam auxilio eſſe non prohiberemini. Non igitur proximo prodeſtis, quia Minoritæ, nam eo modo poteſt quiſque ſim-

ſimplex ſacerdos quenquam juvare, ſed divitiis facultatibuſque veſtris idcirco nulli prodeſſe poteſtis quia Minoritæ. Hoc itaque veſtri ordinis delictum eſt. Quinimo in illud commilitium tranſitis, omnibus amicis, tanquam nunquam vobis noti fuerint, renuntiatis. Videmini vos
Cleo. Cleonem imitari, qui cum primum Reipublicæ ſe tradere conſtituiſſet, convocatis amicis vinculum cum illis velle ſe ſolvere dixit. Sed quod ille non omnino malo exemplo fecit (ſolent enim amicitiæ æquum quandoque & juſtum ſubvertere, quod in magiſtratu turpiſſimum eſt) vos nulla ratione facitis. Verum quid ego de amicis, cum in parentes quoque ipſos impiiſſimi ſitis. Et ſiquis unquam ex his fuit, tu potiſſimum Matti unus es, qui omnes humanos naturaleſque in matrem affectus videris exuiſſe. Sæpius enim ex te audivi matrem te anum & ad inopiam delapſam ſortitum eſſe, quam tuo lucro fovere, paupertatemque ejus ſuſtentare tibi neceſſarium erat, celebremque illam ἀντιπλάργωσιν in ea obſervare, quod tu minime in hoc vivendi genere facere poteris, quandoquidem, ſi in ſumma paupertate es detentus, non habebis quod illi des. Ut ta-
Seneca. men Annæus inquit, domus ipſa divitis magnam habet benefaciendi materiam. Quod & Græco
Phurnitus. Philoſopho Phurnito perſuaſum fuit, qui Gratias τῆς Εὐρυνόμης filias fuiſſe exiſtimavit, quoniam ampliſſimæ quæque domus maxima beneficia conferre poſſint. Quamobrem cum tu ſponte pauper effectus ſis, unde cuiquam tu officioſus eſſe poteris? Aderat tibi priuſquam initiarere

summa

summa largiendi honestaque hinc nomina faciendi facultas, honestissimumque Principis beneficio stipendium tibi constitutum habebas. Eam pecuniam optimis artibus lucrabaris, nec non minus cum magna nominis tui gloria, unde & honorarium dicitur, profitendo plurimis proderas, & ut ipsi caverent, & ut aliis tantundem facerent. Quæ dignior philosophia ista hac tua professione dici poterat? Princeps Senatus te valde amabat; in animoque illi erat in altiorem te gradum promovere; unde & plus indigentibus prodesse potuisses. At tu his omnibus oblivione transactis in religionem secessisti, in qua cum nemini fere usui esse possitis, vere vos inutilia terræ pondera cum Homero appellaverim. Quanquam & illud vereor, ne & ejusdem Poetæ sententia in te aliquando vera deprehendatur,

Homerus.

οὔ δὲ τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν,

Iliad. Δ. vers. 476.

qua omnis sententiæ vetustissimus autor eis *brevem vitam* contingere tradit, qui *in parentes impii* sunt, & nutricandi officium illis nequaquam rependunt. Hic me non latet, quanta mihi cum Chrysostomo lis oriatur, qui negat parentum reverentia minime quenquam retineri debere, quo minus monasticæ vitæ se totum dedat, quandoquidem ea securior sit, & omnibus aliis præferenda. Sed certe de his divinus ille vir loquitur, qui divites parentes deserunt suo suffragio nulla in re indigentes. Stulta enim & inepta nimis affectatione pater materve indolescunt, cum filium æquo animo ferre non possunt spretis omnibus deliciis in illam vitæ austeritatem transire. At te

Chrysostomus.

huic initiatum minime lugebit mater, minime plorabunt fratres, quod cum maxime illis auxilio esse debueras, & cum præsertim πρὸς ἄλφιτα illis proderas, eo potissimum tempore de bono illo instituto decesseris? Quomodo enim aut quibus opibus anum matrem nutricabis? Quibus literis, aut qua doctrina, ex duobus alterum fratrem institues? Tibi enim nec erit faciendi otium, nec combibones illi tui hoc sinerent. Quomodo facetissimum illum Leonem aliqua ope proteges, ut malignam paupertatem tandem aliqua ex parte propellat? Impiissimi certe estis, & in divina sanctorum patrum scripta expresse committitis. Age videamus num alia etiam in vestras hasce leges intorqueri possint, quibus ostendatur a recto vos tramite apertissime decessisse. Et ex plurimis id primo dixerim, non probari bonis viris solitarium istud vitæ genus, quod vos sequimini. Cum enim Christi exemplo malos per civitates observare debeatis, eosque, ut proximum decet, verbis & monitione castigare, cum eis quandoque conversari, ut probetis, vestrane admonitione ducti velint resipiscere, exemplumque de vobis accipere, minime hæc observare curatis, sed monasteriis vestris inclusi cum nemine verba facitis, nisi is vos adeat. Qui autem adierint, aut bonos esse oportet, qui auxilio exemplisque vestris non indigent, aut si mali sint, hi vobiscum consultaturi veniunt, quemadmodum fœnebrem pecuniam retinentes, ad cælestia vadere queant, vosque unam tantum rationem illam esse persuadetis, si ædiculam alicui Divo puta

Bo-

Bonaventuræ, vel Bernardino, vel cuivis alii in monasterio vestro construi fecerint, cadaver eo post redditam animam portari mandaverint, vestiario aliquid vestri templi legaverint. O miros vos Dei amicos, qui minimis hisce rebus impulsi Deum vestris partibus ita flectatis, ut etiam pessimos in cœlum admittat, quia in vestris delubris hujusmodi sunt! Igitur ceterorum commercio abhorrentes inter vos soli agitis, cellulisque inclusi totum diem statis. Quanto melius esset, si in conspectu omnium pietatis illa opera faceretis, ne inimici solitudinem vestram calumniari possint, Senecæque illud adducant, *Homo solus nequam est*. Non ita Julius Drusus Publicola unicum Romanæ paupertatis exemplum fecisse legitur. Hic cum domus ejus undique vicinis conspicua & in aperto esset, & minimo sumptu redemptot quidam eam se eversurum, & in aliam formam constructurum spopondisset, *Atqui tantundem*, inquit, *dabo, si eam ita ædificaveris, ut non solum vicinis sit, sed universis civibus exposita, ut omnes nedum vicini prospicere queant, qua domi meæ ratione vivatur*. Sic enim solent, qui modestia & frugalitate homines claros se faciunt. Omnia in propatulo habent, nihil reconditum, nihil secretum retinent. E converso sic pravorum negotiatores, cum emptoribus imponere volunt, in obscuro & tenebris operta se taberna condunt, ne inductus emptor lanæ turpitudinem possit agnoscere. Sic & qui turpia fœdaque perpetrant non se luci exponunt, sed intra conclave aliquod conclusi commorantur, ne

Seneca.

Julius Drusus.

qualis sit eorum actio, quisquam possit annotare. Αὐτὸς ἔφα, Qui male agit odit lucem. At subdiderit alius, Qui indigna cognitu, digna reprehensione agit, neminem nisi sui similem admittit, illudque cavet, ne cum quicquam male dixerit, fecerit, præsente arbitro agat. Quapropter hanc vere solitudinem non alia ratione in vobis civili lege damnatam credibile est, & tu qui jurisconsultus es interim audi, quam egregie monasteria hæc vestra leges approbent. *Piissimi felicissimique Imperatores* VALENTINIANUS, VALENS, & GRATIANUS *Lucio Præfecto Pretorio per Orientem: Quidam ignaviæ sectatores desertis civitatum muneribus captant solitudines ac secreta, & specie religionis cum cœtibus* μοναζόντων *congregantur. Hos igitur atque in hujusmodi deprehensos erui latebris consulta præceptione mandamus, atque ad munera patriarum subeunda revocari, ubi pro tenore nostræ sanctionis familiarium rerum careant illecebris, quas per eos censuimus vindicandas, qui publicarum essent subituri munera functionum.* Quam constitutionem tametsi non satis æquo in monachos animo Imperatores ipsi tulerunt, Justinianus tamen, qui eam sub titulo de decurionibus collocandam curavit, omni suspicione liber fuit, omnium ut Græci tradunt ὀρθοδοξότατος, & vir plane Christianus, qui tamen in vobis non solitudines solum damnat, sed & ignaviam exprobrat. A Philosophis acceptum Plutarchus scribit triplex esse vitæ genus, cujus quidem alterum activum dicitur, alterum contemplativum, tertium vero voluptatibus inhians, &

Justinianus.

Triplex vivendi genus.

& hoc quidem nemini non improbatum, in quo Epicurus excelluit. Activum vero si Philosophia caruerit ineptum esse, unde magnis delictis irretiantur homines. At contemplativum, in quo vos ut arbitror numeramini, prorsus est, ut ille inquit, inutile. Videtis quo vos ordine summi illi viri collocent, cum tamen existimetis vos esse sapientes, Horatianumque illud approbetis; *Egomet mî ignosco Mænius inquit.* Cæterum & ita degitis, ut ex hac solitudine vestra, si concionatores aliquot demas, omnibus fere sitis ignoti, ignobileque hoc potissimum modo ævum transigitis. Qua in re Epicuri illud dogma tantopere a gravibus viris reprobatum sequimini, λάθε βιώσας, quo ille ita tacite & per socordiam vivere nos jussit, ut nemo unquam vixisset. Quod præceptum quam absurdum sit ille ipse autor ostendit, qui non alia de causa illud edidit, quam ut per omnium ora celebraretur, quam ut aliquid supra ceteros scire videretur, cum eum non latere, sed in omnium conspectu esse deberet. Finge aliquem Dei in naturalibus opera admirantem, cum ejus prudentiam justitiamque docere possit, cum quid honestum sit, quid viro dignum prædicare, latere ne eum æquum fuerit? Non certe id aliud esset, quam si illud facere cogeretur, ne quem erudiret, ne ad virtutis imitationem excitaret, ne cui ad honestatem esset exemplo. Sic Epaminondas ad quadragesimum usque annum Thebanis incognitus nihil illis profuit. At contra cum ejus virtus cœpit agnosci, immortali memoria digna facinora confecit. Quod si id præceptum illis tan-

Epicurus.

Horatius 1. Serm. 3.

Epaminondas.

Epicurus. tum Epicurus dedit, qui mali essent, certe & longe deceptus est, quippe qui eos fieri bonos fere vetuit. Cum enim quisquam vel febri vel hujusmodi mala aliqua valetudine afficitur, & morbum supprimit, nonne vitium illud alere quodammodo dicitur. Qui enim potuerint eum medici curare, si se ipsum ægrotum prius non dixerit? Cum itaque sic vivatis, ut nemo vos vivere sciat, si juste agitis, æquum fuerit vestro exemplo nos incitari. Si injuste, vestra interest cognosci, ut a melioribus emendemini. Qui enim cognitionem hanc famamque de hominum vita tollunt, non aliud agere mihi videntur, quam qui apparato convivio lumen de medio auferunt, ut unicuique liceat sine reprehensore, quantum voluerit ingurgitare, crapulæque & vino per tenebras indulgere. Atque ea in solitudine eas vos pati pœnas non absurde quis existimaverit, quibus apud inferos plecti sontes fabulæ tradiderunt, & non alia quippe de causa apud eos λήθη palus esse creditur, quam quod una ratio malos plectendi hæc est, obscuritas videlicet & ignoratio, quibus ex oblivione in abyssum & vastum pelagus *Euripides.* præcipites eunt. Sane Euripides, cum mulieres ab aliorum commercio abstinere debeant, mille mulieribus virum præstare existimavit. Quoniam sicut illæ vel malo vel nulli usui sunt, ita viros oportet comi ingenio esse, unicuique prodesse, frequenti conversatione exemplum ceteris dare. Quamobrem in Evangelio Matthæi, *Sic luceat*, inquit Christus, *lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem*

ve-

vestrum, qui est in cœlis. Et ad Ephesios Paulus; *Ne commercium habeatis cum operibus infrugiferis tenebrarum. Quin ea potius redarguite: Nam quæ secreto fiunt ab ipsis turpe est & dicere. Sed omnia, quæ arguuntur a lumine manifesta sunt. Nam quicquid manifestatur lumen est.* Quibus verbis alio etiam modo vos taxat Apostolus, quandoquidem in hypocritas invehitur, a quorum delicto nec vos abesse multum crediderim. Prisci enim illi Anachoritæ & monachi indiscretis cum ceteris vestibus utebantur, minimeque cujus professionis erant ex indumento cognosci poterat. At vos gilvum elegistis, ea credo ratione, quod nativus ille velleris color, non arte, non tinctura fucatus. Sic enim quisquis ille fuit maximam ordinis vestri humilitatem declarare se mortalibus posse arbitratus est. At non satis recte Evangelii verba annotavit. *Ne sitis*, inquit Dominus, *solliciti vitæ vestræ, quid esuri sitis aut bibituri, neque corpori vestro, quibus indumentis usuri.* Vos autem cum de tunica illa vestra, quum de fune sollicitemini, hoc ostenditis, quod alium ferre habitum nefas ducitis, & in hoc omnes quasi in velabro olearii concordes estis. At certe cum eo vestimento a ceteris differre vos videri vultis, quid aliud est id quam esse hypocritam? Syllogismo forte isto ratiocinamini. Ordo Minoritarum a sancto homine institutus est, ejusque professores probi, boni, justique vulgo existimantur. Si ipse ex eis unus fuero, æque ac ceteri, bonus judicabor, cedentque tum de via omnes, & tanquam sanctum hominem respicient. At id hy-

ad Eph. cap. 5.

Syllogismus Minoritarum.

hypocritam agere eſt. Omnis ſane, qui præter alios ſupraque vulgum videri vult, ſimulator eſt, & ſe ipſum coram hominibus contra Evangelicæ legis autoritatem juſtificat. Ut ſicuti quandoque in Phariſæos & Sadducæos Chriſtus invectus eſt, non dubitarem, ſi eo in humanis agente veſtram hanc obſervationem vidiſſet, longe acrius quam contra illos in vos invecturum fuiſſe, integrumque convitiorum plauſtrum in torticolles hoſce exoneraturum. In hoc fortaſſe aliquos veſtrum probaret, quod cum ipſe quandoque dixerit, *Porro cum jejunaveritis ne ſitis veluti hypocritæ, tetrici enim obſervant facies ſuas, quo perſpicuum ſit hominibus ipſos jejunare.* Præceptum illi hoc diligenter obſervant, quos ſi videas non inedia, non vigiliis, afflictos, jurabis quoque quod rubra facie, purpureis genis, tumidis buccis, non ebrium quempiam, ſed ipſius Bacchi perſonam referant. Et hos ego laicis meliores credam, & longa illa jejunia obſervare, quæ Theſmothetes ſuis peragenda mandavit? Crederem ſane beneque de eis opinarer, niſi oculata fide aliud cognoſcerem. Dicat quilibet affirmetque de
Plautus. auctoritate Plauti: *Pluris oculatus teſtis unus quam auriti decem.* Quomodo enim jejuniis crebris longam famem pati te credam, ſi tibi juxta Satyrici illud, *Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.*
Hieronymus. *Quoſcunque,* inquit Hieronymus, *crine compoſitos, vel buccis rubentibus videris, de armento Somarii ſunt, inter quos grunniunt ſues.* Nam & tales viros tenui illa animi ſpeculatione
Æſopus. cœleſtia non reſpicere Æſopus, opinor, fabella illa

illa ostendere voluit, quo famelicam vulpem per angustam rimam in frumenti cavernas delapsam egredi saturam non potuisse tradit, quod videlicet plenus venter minime per tenuia penetrat. Pallidos fuisse & similes captivis in præliis philosophos scripsit Aristophanes, cum tamen rarissimus quisque vestrum non pinguescat. Quod si alii tetrici sunt macerrimaque facie, hi non ob jejunia, sed ex natura potius hanc habitudinem acceperunt. Sed fingamus vos plane ita vivere, tam cibi abstinentes esse, ut vester legislator sanxit, an idcirco creditis vos summam apud Deum gratiam propter jejunia mereri? Atqui non perfecta virtus jejunium est, sed ceterarum fundamentum, cum enim crapula cogitationibus, studiis, virtutique impedimento sit, rite institutum fuit jejunium, quo in justum acumen vegeta mens subtilius altiora consideraret, & ut Venerea illa titillatione disjecta, fœdisque & amatoriis nuptiis obliteratis, totos nos castitati amicitiæque dederemus. Quapropter non certa comedendi hora ab antiquis cum convivaretur statuta est, non certæ ciborum leges præstitutæ, sed quotiens ab esitatione potuque abstineretur, jejunium fuit. Habuisse a Judæis originem Tacitus in historia autor est. Cum enim illi ab Ægypto Mose duce recedentes per longa deserta diutius famem passi sint, in hujus rei testimonium crebra jejunia instituisse, quæ in eorum leges transgressi Christiani observarint. Qua in re eum labi nemo negaverit. Jejunent Judæi vel in longæ illius inediæ memoriam vel alia de causa.

Aristophanes.

Tacitus.

Christiani idcirco jejunant, ut magis vegeto sensu cœlestium contemplationi incumbant, ut a libidinibus, ab ebrietate, a gula magnopere dissideant. Qua ratione effectum est, ut qui suapte natura abstinentes sunt, qui ingenio celeres, stupris abhorrentes, mente sobrii, hi quamvis statas illas jejunii horas nihil curent, in nullam tamen idcirco noxiam impingant. Declaratur id in

D.Marcus. Evangelio Marci, cum a scribis & Pharisæis aditus Σωτὴρ, & interrogatus, quare Apostoli & discipuli non jejunarent, respondit, *Quamdiu secum agerent opera pretium id non esse.* Tanti enim commercio lauti & puri discipuli erant, ut optime valenti haud necessaria ulla medicina esse

Hieronymus. possit. Cæterum & Hieronymus eum qui biduo aut triduo jejunarat altero meliorem non esse scripsit. Ipse etiam, si annum integrum ita absti-

Paules. nuerit, nihilo magis bonum existimabo. Ad Romanos Paulus: *Alius quidem credit vescendum esse quibuslibet, alius autem, qui infirmus est, oleribus vescitur. Qui vescitur non vescentem non despiciat, & qui non vescitur vescenti ne invideat.* Idem in Corinthia priore, *esca,* inquit, *nos non commendat Deo, neque si comedamus aliquid nobis superest, neque si non comedamus quicquam nobis deest.* Idem ad Colossenses quenquam judicandum in cibo aut potu non esse prodidit. Nam qui tanta abstinentia utuntur, ut inedia pene dispereant, non absimiles illis ego opinor, qui cum febricula aliove morbo distinentur, se pedi-

Vota. tes ad Callæci Jacobi fanum ituros voveant, vel media hyeme nudos in Lauretum Mariæ pro-

fe-

fecturos. Si enim forte convalescunt, pristinæque valetudini restituuntur, & voto soluti sunt, vel ex nimia lassitudine phlegminibus cruciantur, ardenti continuaque febre torquentur, vel ex frigore nimio in laterales morbos incidunt, unde morti adiguntur. Sic quod votum pro ægrotationis amuleto voverant mortem ipsam acclerat. Igitur siquis sua sponte non jejunans eas præstare actiones possit, quas illi qui jejunant præstare solent, haud necessariam hanc illi jejunandi scrupulositatem opinarer. Verum ut ad te redeam Matti, quo consilium istud tuum tam maxime non probem, non mediocris me ratio impellit. Ipse enim semper hujus fui sententiæ, in qua omnes summi judicii viros convenire video, cum quis observationibus vestris solutus vivere continenter & probe possit, & inter mundi hujus rubos & spinas inoffenso pede currere, longe majorem gratiam penes Deum adipisci, quam συνθιασῶται isti, qui cœnobiis inclusi morantur. Quis enim pauperem virum multis filiis oppressum solis manibus suis & sibi & familiæ suæ victum indies parantem, Dei tamen nihilominus memorem, non credat longe magis cœlitibus acceptum quam illi sunt, qui nullam aliam habent curam quam orandi cantandive. Ille in crastinum quid manducaturus, quid filiis suis præstiturus, cum lucellum illud incertum sit, ignorat. Vos non posse quicquam vobis deesse certi estis, cum ordinaria ex ptochotrophiis portio nunquam deficiat, Triariorumque fame oppresso & disjecto vestro agmini operam exhibeat. His adde eum qui inter tot

Transitio.

ille-

illecebras ſanus & integer vivit eſſe illo meliorem, cui etſi male faciendi voluntas adeſt, facultas tamen non æque eſt in promtu. Si enim ſacris ſolutum bene te noverim, cum mille tibi oblectamenta, mille occaſiones offerrentur, in probitate tamen perſtabas, adverſuſque vitia eras plane murus, quod ajunt, aheneus. Memini ipſe quantam libidinibus indulgendi commoditatem quandoque habuiſti, quantam comparandæ pecuniæ, quæ tamen candidiſſimo animo ultro averſatus es, tuique ipſius victorem te oſtendiſti. Cum itaque iſta faciebas, nonne te tunc probiſſimum fuiſſe non inficiabaris, & multo quam nunc ſis clariorem, qui etiamſi peccare velles non tamen commode poſſes. At fortaſſe verebare, ne conſtantia illa animique robur aliquando frangeretur. O bella ratio, ut qui in ipſo juventutis flore ad quadrageſimum & eo plus annum optimus pervenerit, & infractus quidem adverſus vitales fluctus & ſcopulos, nunc ſenex labatur juvenilibus vitiis rapiaturque, quique manſuetiſſimus pullus, nunc cantherius ferox & indomitus evadat! Non aſſentiam tuæ huic rationi, quinimo ut in priſtinum vitæ gradum redeas adhortabor, in quo multo excellentior futurus es, & quo periculo propior, eo integritatis tuæ majorem laudem reportaturus. Siquidem huc traxerim, quod Paulus ſcripſit infirmitate fortitudinem perfici, & quod Græco proverbio χαλεπὰ τὰ καλὰ dicitur. Cum enim Periander Corinthius initio populariter & ſumma cum modeſtia imperium gereret, dein ubi diutius regnaſſet

Periander.

verſis

versis moribus tyrannice agere cœpisset, Pittacus Mithileneus, qui in patria sua summum magistratum gerebat, se abdicavit, in exiliumque profectus est, diffisus enim de sua ipsius constantia est, ubi initio optimum hominem Periandrum in malos mores lapsum agnovit. Percontantibus ergo amicis cur sponte magistratum deposuisset, velle se ἐσθλὸν ἔμμεναι respondit. Quod ubi audisset sapientissimus ille Solon, *At*, inquit, *quæ bona sunt maxima difficultate non carent.* Ut merito inde intelligere possis Matti, utcunque arduum sit, ut diu quisque bonus esse in magna malefaciendi occasione perseveret, maxime tamen & tanto magis laudandum. Huc ego Christum suo illo exemplo allusisse crediderim, cum viam angustam esse dixit, quæ ad salutem duceret. Contra apud Maronem

Pittacus. *Solon.* *Christus.* *Virgilius.*

Illi ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos.

Scripsit Plato, pugnare sibi ipsis omnes homines, neminemque esse, qui sibi hostis non sit, præcipuamque inde victoriam esse, si se ipsum quis vicerit. Sed & e converso infelicissimi exempli est a se vinci. Quod & Eusebius Pamphilus non prætermisit. Non enim solus unusquisque nostrum, sed adversarios duos habet, voluptatem & dolorem, quibus futuri eventus desideria aggregantur, quæ spei nomine comprehenduntur. Si non improprie loquamur, qui dolorem prodit timor, quæ voluptatem confidentia est. Sunt autem in nobis hæ fluctuationes quasi nervi quidam aut funes, quibus in diversas partes trahimur. Ratione ve-

Plato. *Eusebius.*

ro

ro in hoc adigimur, ut conſtanter melioribus adhærere nos cogat. Quod inſtitutum optimus quiſque pertinaciter ſervat, nec voluptatum deſideriis ſuperari ſe ſinit. Non mirum igitur ſi uſque adeo difficile ſit bonum eſſe, cum intra domeſticos, quod ajunt, parietes non deſit, quod nos, niſi audacter obſtiterimus, in malos mores urgeat. Vere itaque ille ſapiens & cautus incomparabiliſque prudentiæ eſt, qui per tot rerum anguſtias ſalebroſaque itinera ſalutem ſuam curat, qui tot difficultatibus inoppreſſum inſuperabilemque ſe conſervat. Juſtitiam definivit

Zeno. Zeno Cithieus eſſe prudentiam, quæ ſuum cuique tribuit: in rebus pertractandis temperantiam: in perpetiendis fortitudinem. Cujus deſcriptionis partes ſi omnes obſervaveris, nihil erit, quo minus te tanquam juſtum, optimum, probiſſimumque virum omnes colant. Prudentem te alienique abſtinentiſſimum jam diu deprehendi, in humanis rebus moderatiſſimum quoque expertus ſum. Supereſt ut in perpetiendis fortem agnoſcam, nec exiſtimes ejus me forte ſententiæ eſſe, ut aliquo modo eos fortes cenſeam, qui frigoris atque inediæ patientiſſimi ſunt, qui paupertatem ultro ſubire videntur, qui ſolitudinem ferunt. Nequaquam enim id tale eſt, unde merito ab omnibus honorentur. Siquidem & hujuſmodi fortes viros etiam non Chriſtianos complures extitiſſe legere memini, qui tamen nedum aliquo honore ſed & ſummo in odio habentur,

Timon. ex quibus unum interim Timonem propoſuero, quem ſquallidum, ærumnoſum, horridum, in Himet-

Himetti solitudinibus arva fodientem Jupiter apud Lucianum admiratur, quique in humanum genus ita infestus fuit, ut ad suum tumulum venientibus mortem imprecaretur: *Lucianus.*

> Μὴ πόθεν εἰμὶ μάθῃς μηδ' τ' οὔνομα, οἶδα δ' ὅτι θνήσκειν
> Τοὺς παρ' ἐμὴν στήλην ἐρχομένους ἐθέλω.

> *Ne patriam nomenque scias hoc nosce quod omnes*
> *Ad mea venturos busta peropto mori.*

Cæterum illum forti tandem animo esse, qui ubi summa recte vivendi difficultas adest, ibi strenuum se, infractum, insuperabilem ostendit. Qua ratione si quisquam magistratus ita se gerit, ut bonum nomen ex administratione acquirat, is vere fortis est & indomitus; cum enim vulgata parœmia dici cœptum est, *magistratus virum arguere*, tum cognitum fuit, non qui in solitudinibus imperculsos se præstant, summam laudem mereri, sed qui in ipso foro, in hominum frequentia, digna memoratu agunt, vere laudandos esse. Quapropter ceteris illi præsunt. Ut non inscite bonos judices in civitatibus auro compareт, strenuos milites argento, agricolas autem & artifices æri ac ferro. Quod si aliquid de vobis ille divinasset, nescio certe cui metallo magis similes esse dixisset quam plumbo, quod obtusum, penetrabile, & fragile est, oneribusque ferendis non satis accommodatum. Sic & vos, uti arbitror, tentationibus ferendis non exercitati, dum hac mundi illecebra expugnari dubitatis, in vestris his conventiculis sedetis, non pectora ostenditis, non cominus congredimini, sed per socordiam ter-

terga datis, hacque potissimum fuga quæritis evadere. Contra ipse Jacobi illud in epistolis dictum approbavero: *Beatus vir qui suffert tentationem, qui cum probatus erit accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus his a quibus fuerit dilectus.* Superest ut in quo vobis tantopere placetis parumper insistamus, quippe qui paupertatem hanc vestram recta in cælum vos adportaturam arbitramini, nihilque supra eam prædicatis, hacque in re Christum imitari existimatis, qui non paucis in locis suæ paupertatis mentionem fecit, idemque ut observarent ceteri admonuit. *Ne possideatis*, inquit ille, *neque argentum, neque æs in crumenis vestris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Suntque plurima in instrumento novo similia his exempla. Cæterum nec cum Evangelica doctrina vos in hoc convenire video. Illud enim adversus Bohemicum dogma jam diu XXII. *constitutione* declaratum fuit habuisse Christum & sanctissimos ejus discipulos quasdam facultates, jureque gentium dominia quarundam rerum penes eos fuisse, quicquid illis relictum foret jus capiendi retinuisse. Quæ sententia, ut verissima est, ita optima etiam ratione fulcitur, quum haud verisimile sit nihil illis fuisse, quod pauperibus mendicisve potuissent impertiri. Cur igitur fortasse dixeris inopiam illam suam toties prædicant? Quod quamvis quandoque quasdam facultates aliquis eorum habuerit, idcirco tamen mox in paupertatem delaberentur, quia statim mendicis offerebant, præceptumque illud observabant, *Vade,*

D. Jacobus.

Transitio.

Bohemicum dogma.

Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus. Quod nec vos exsequimini, nec quisquam alius nostra hac tempestate observat, alioquin non tantis divitiis Benedictini abundarent, nec aurea delubra incolerent, Carthusienses non tot possessionibus insultarent, quos Regulares vocant. Cumque Laurentio Levita autore templum & ecclesia Christi sint pauperes; hoc sancti illi patres modo templa inaurabant, ecclesiamque quam ditissimam facere studebant. Sed video quid vos impellat, ut tantum divitiarum in palliis, in imagunculis, in altarium ornamentis, pauperibus contemptis diffundatis, nimirum quod alabastrum non adulterati sed pretiosi nardi in caput suum infundi libenter passus sit Christus, quod Zacchæum divitem non sit aversatus, quod a Nicodemo Decurione aromatis unguento fuerit litus. Quæ omnia declarant altaria ejus auro argentoque convenire ut conspicua sint. Qua in re vobiscum non dissentio, nisi quæ de maximis eleemosynis vobis superant in alium quemcunque usum potius destinaretis, quam ut mendici quicquam inde haberent. Igitur cum Apostolis ea quæ illis dabantur quoquo titulo capiendi jus esset, vos ut etiam illos superaretis ita constituistis, ut nulla vobis repetitio, actio, retentio hujusmodi rerum concessa sit. Quo edicto in pauperes eleemosinam beneficiaque sustulistis, reque ipsa Philosophicum illud aspernati estis, *Beatius est dare quam accipere.* *Religio*, inquit Jacobus in epistola, *pura & immaculata apud Deum patrem est hæc; invisere orphanos & viduas in*

Benedictini Carthusienses.

D. Jacobus.

afflictione sua. Quomodo autem hoc vos facitis, si nihil est quod largiamini? An tunc magnum aliquod pietatis opus vos fecisse existimatis, cum in domos viduæ descenderitis, subque salutationis prætextu dulcibus illis vestris verbulis ab ea non recedatis, nisi ubi infinitis superstitionibus plenam vestro dicto parentem obsequentemque reddideritis. Non sunt hæc misericordiæ opera. Non talem visitationem laudat Jacobus, sed eam quæ in rebus ipsis aliquo est adjumento, ut si vidua facultatibus lapsa sustineatur, si ira vel dolore affectam cum vides, persuadendo orationisque vi inclementem animum flectas, si male eam agentem & spreta conjugii memoria castiges. Nam & paupertatem hanc non adeo frugiferam, uti vos prædicatis, nec tantis laudibus tollendam ostendit in Republica Plato, cujus sententiam Eusebius quoque Pamphili æmulatus est. Cum enim ille quæ diligenter curare magistratus conveniat, declarasset, quæque expeti de urbibus æquum esset, & hoc quoque curæ illis esse jubet, ne divitiæ & paupertas aditum in civitatem habeant, quoniam alteræ delicias, otium, & factiones afferunt, altera illiberalitatem, malignitatem, discordias. Adde his infames operationes multaque hujusmodi mala, quæ paupertas facere cogit. Salomon quoque in parabolis, *Ne mihi*, inquit, *divitias atque paupertatem des.* Nimirum intelligebat sapientissimus vir, quantum mali ex his plerunque in mortales decurrat. Quapropter & Græco carmine πάντων δ' αἰνὸς κακῶν ἀνάγκη dicitur, quod nihil æque arduum æque malum

Plato *Eusebius.* *Salomon.*

lum ſit, quod propter neceſſitatem pauperes non aggrediantur. Ad quod alluſit Publius Mimus: *Hominem experiri multa paupertas docet.* Cui non abſimile habemus Græcum: πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος. Quam ob cauſam Plutarchus paupertatem ab aliis malum, ab aliis magnum malum, a quibuſdam & maximum malum judicari autor eſt. Hinc fit, ut ſuadente vel potius adigente quoſdam veſtrum paupertate multa aliquando facere conentur, quæ nec viris bonis conveniunt, nec quicquam honoris ordini veſtro præſtant, ſed odii tantum & infamiæ cauſam. Cujus delicti non omnes reos ego prædicavero, quandoquidem & graves proboſque quamplurimos agnovi, ſed tamen ex ſcabroſis quibuſdam ovibus quandoque & ſoſpites & nitidæ male audiunt. Memini quandoque ſummi ingenii eruditioniſque præceptorem meum, cum amicus eum interrogaret, cur ſi quicquam indigne a ſacris viris aliquando fit, mali autores fere ſemper Minoritas fuiſſe oſtendatur, cum tamen inter ceteros hi maxime probentur, ſummamque integritatis & prudentiæ opinionem habeant, hoc apologo ita reſpondiſſe: Cum vulpes in quaſdam paludes prolapſa eſſet; & quod tenaci limo retineretur non ſolum ſe exigere, ſed nec movere quidem ſe poſſet, hirudines enim ac muſcæ mirum in modum aculeis eam ſuis affligebant, conſpicatus forte id erinaceus miſericordia motus interrogavit, an a ſe muſcas abigi vellet. Cui illa minime vero, inquit, Hæ enim cruore meo jam tumidæ non multum me jam afficiunt. At ſi eas

Publ. Mim

Plutarchus.

Minoritæ.

propuleris famelicæ aliæ supervenient, quæ majori me tormento macerabunt, & quicquid sanguinis superest id omne exhaurient. Hic, ajebat ille, muscis hirudinibusque comparandi omnes isti videntur, qui se fratres appellant. Qui enim locupletes & assidui sunt, quoniam multum sanguinis (opes enim nostris temporibus viscera hominum habentur) jam diu exugere non cessarunt, non admodum nobis molesti sunt. At qui inopia opprimuntur, illi famelici, frementes frendentesque dentibus uni omnium maximam calamitatem in granaria & promptuarias cellas invehunt, facillimeque adiguntur, ut etiam non facienda perpetrent. Traditum est a majoribus *paupertatis comitem contigisse sapientiam*, sed hi illos sapientes intellexerunt, qui, ut Augustinus ait, cum doctrinis suis in barathrum demerguntur. Nam nisi paupertas hæc ita vobis odio haberetur, non esset, cur vos tanquam vulturii cadaveribus insidias strueretis, non esset cur ad eos, qui ob malam valetudinem testamenta scribere incipiunt, properaretis. Nullum certe testamentum, nulli codicilli fiunt, quibus aut filii exheredentur, aut proximi agnati prætereantur, extraneis institutis, nisi vobis ipsis ut plurimum suadentibus tabulasque obsignantibus. Sed hæc parum ad te pertinent, qui scio te in has pedicas illaqueari non patieris, meliorumque exempla, qui mos est tuus, imitaberis. Verum illud ad te multum pertinet, quoniam studiis fortasse, quibus solum natus es, poteris incumbere. Si enim quæ a te gesta sint, quibusqne modis

dis excellueris, retro volueris computare, te plurimum literariæ professioni, te eruditorum libris debere non negabis, esque tu sic a natura institutus, ut nunquam a studio cesses, & cum ceterarum rerum satietas aliquando te capiat, in autoribus pervolvendis es indefessus. Quæ tua diligentia de minimo te ad summum gradum extulit, fecitque, ut ille ait, de Rhetore Consulem, ut merito in ea tibi sit exercitatione persistendum, nisi maximæ alicujus impietatis accusari velis, quod tam perspicax & vegetum ingenium ærugine infici permitteres, & quæ rarissima homini bona Deus concessit negligeres, & fere contemneres. Qua in re Creatori ipsi injuriam & notam inureres, qui contra Evangelicum dogma margaritas ante suum oculos projecisses. Itaque tibi omnino institutio illa probanda est, in qua maximum tuis studiis otium suppeditetur, Οὔτοι enim, ut Homerus ait, ἀπόβλητ' ἐστι θεῶν ἐρικύδεα δῶρα, Ὅσσα-κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' ὐχ ἄν τις ἕλοιτο. Quemadmodum autem in hac observatione id dabitur, cognoscere certe non possum, si omnino nihil de lege remittatur. An poteris & jejunio & frigore macerari, idemque lectioni alicui operam dare? Non ejusdem certe opinor & famem, & sitim, & frigus, hujusmodique corporis mala perpeti, & nihilominus in libris lectitandis operam consumere. Sic abstinendum cibis Hieronymus præcipit, dum non palpitemus, & respirare vix possimus, ne in lectione, in vigiliis quicquam solito minus faciamus. Quapropter cum diversus homini stomachus, alia aliorum palatis placeant, aliquisque

Homerus Iliad. χ. vers. 65.

Hieronymus.

modico cibo ſe maxime alat, cum alius etiam vix immodico alatur, non potuit certa lege certis horis hic quicquam in commune conſtitui. Quod tamen ſi vos obſervatis, evenit, ut neceſſe ſtudioſo viro plerumque ſit, aut non a lectione alienari, aut a veſtra regula diſcedere. Sed concedamus commoditatem tibi & otium permaximum in ſtudiis fore, nihilque de priſtina illa lucubrandi conſuetudine diminutum iri, quænam ea eſſe arbitraris, quibus tibi fuerit inſudandum: An juris civilis ſtudia? Minime vero, ea enim nihil ad veſtrum ordinem faciunt. Nam cum fundamentum totius veſtræ religionis altiſſima ſit paupertas, actio vobis nulla competit, nec legitimam perſonam in judiciis ſtandi habetis. Humanitatis igitur ſtudia? Atqui non tuo ſed alieno ſtomacho tibi inſudandum fuerit, volentque te ſtatim Dialecticum fieri, ut tanquam Proteus aliquis in argumentationibus inſuperabilis fias. Scis inverſo Ariſtophanis carmine, vir pernegans contraque dic corvos, ut eſt mos phratriæ. Sed & Chriſti illud præceptum obliviſci, & de memoria obliterare neceſſe fuerit, *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. Quicquid enim ultra adſurgit, ex malo proficiſcitur.* Adde quod ubi hoc perdidiceris tum ad ſuam illam θεολογίαν, ſeu potius ματαιολογίαν, deflectere te cogent, ubi non inſtrumentum novum, unde fides eſt, non ejus interpretes, Ambroſium, Auguſtinum, Nazianzenum, Chryſoſtomum, atque horum omnium inſtar Hieronymum legere tibi permittetur, ſed in columen quoddam ſcriptorum te demergent, duos Alexan-

Minoritarum ſtudia.

xandros, Scotum, Nicolaum Relyrum, Richardum tibi conterraneum, & Angelum *a* Clavasium, & ante omnes sanctimonia vitæ illustrem Bonaventuram, eos nocturna diurnaque manu versare jubeberis, ut non citra stomachum operam aliquam literaturæ navare possis. Eo te doctiorem existimabunt, eo meliorem, quo ab elegantia verborum magis absfueris. At non ita humanitatis studia aversati sunt illi sacrosancti patres. Cujus rei exemplum tibi ex Sozomeno referre operæ pretium fuerit. Cum nihil non moliretur Julianus Imperator, quo Christianam religionem subverteret, existimavit certissimam illam viam fore, si humaniorum literarum imperitos Christianos fecisset. Cum enim in his Gregorius Nazianzenus, Basilius Magnus, multique alii excellerent, suis ipsos gladiis ethnicos superabant, quippe qui eorum ineptias ex scriptoribus intelligentes facillime poterant confutare. Igitur legem tulit, nequi Christiani dogmatis, Heroicos, Tragicos, Comicos, Elegos Poetas lege-

Juliani in Christianos impietas.

Commentum ejus callidum.

a. A Clavasio ei nomen. Clavasium oppidum Pedemontii. Observantium hic, qui & ordo Franciscanus, Vicarius generalis. *Omnium*, inquit, Jac. Philippus Bergomas Chronic *lib.* 16. *divinorum dogmatum eruditione conspicuus, & divini sermonis declamator ardentissimus, atque famosus, sed & quadam humilitate & sanctimonia clarissimus effulsit. Qui licet ordinem suum Observantium citra montes per plures annos verbo & exemplo digne & laudabiliter maximo cum labore direxerit, nihilominus cum divini prope ingenii existeret vir, ut merito re & nomine dici possit Angelus, opus certe dignissimum edidit, quod a se Summam Angelicam nuncupavit.* Obiit Ann. 1499. Philipp. Bergomas *ibid.*

legerent, ne historias alienæ sectæ a summis viris editas haberent, ne omnino verborum elegantiam ex his autoribus discerent. Quamobrem Apollinaris Syrus Encyclopediam illam nobilem exemplo Homerici poëmatis ad Saulis usque imperium conscripsit viginti quatuor libris, & Alphabeti ordine complexus est. Idem Comœdias Menandrum imitatus composuit, Euripidisque Tragica, & Pindari Lyrica felicissime est æmulatus, argumentis ex divina mysticaque nostræ religionis traditione assumptis, seque parem elegantia, ingenio, inventione, charactere dicendi priscis illis ostendit, ut nisi nova semper præ antiquis non veritate sed opinione sorderent, potuerit Apollinaris omnibus illis unus ipse æqualis & fere major existimari. Quod ubi animadvertit Julianus, edictum suum parum validum planeque nullius efficaciæ futurum cognovit, cum Christiani eadem ex Syri lectione potuissent addiscere, quæ apud Homerum, Menandrum, ceterosque id genus Poëtas legi ipse vetuerat. Quam ob causam delusus perniciosum illud decretum revocavit. Vides nunc & apertissime perspicis, quantum Christianæ professioni harum literarum cognitionem profuturam vel impiissimus ille Julianus judicarit, quod ex eo facile tu ipse poteris intueri, quod videlicet quo quis gravior est in divinis scripturis autor, eo & mundiore & castigatiore stilo fuit, ut Græcos mittam maximi nominis, Origenem, Basilium, Nazianzenum, quique ob sermonis nitorem χρυσόστομος dici meruit. Inter Latinos unum interim tibi proponam Hieronymum, quem difficulter

Apollinaris Syrus.

Hieronymi laus.

culter judicabis utra in re prævaluerit, elegantius videlicet & copioſius ſcripſerit, an ardentius, fidelius, majoreque pietate de divinis ſenſerit. In utraque enim re in tantum excelluit, ut vix poſſit quid ſuperet cognoſci. An ego hic prætermittam inſtrumentum omne vetus carmine compoſitum eſſe? Quapropter nec Pindari Flaccique lyram in eo deſideres. Pſalterium enim nunc Jambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur, nec minus Pentametris, Hexametriſque caſibus egregie ſonorum eſt. Quo genere δευτερονόμιον & Eſaiæ cantica Hebræis leguntur, Salomonis Jobique res geſtæ referuntur. Sed & heroici metri magnam autoritatem illud oſtendit, quod Deorum inventum id priſci tradiderunt, quodque oracula non alio dicendi genere conſtabant, ut merito nullius judicii viros quis exiſtimare poſſit, qui toto ætatis ſuæ tempore logis illis & ſtrophis inſudant, qui edentuli ſenes barbari illius anſeris libros evolvunt, quique nullius rei majorem curam habent, quam ut antilogiam (cur enim Plautino vocabulo non utar) cautiſſime ſciant intorquere. Verum quid ego his diutius immoror? *Tranſitio.* quandoquidem niſi alius factus es, & contra villici illius apud Tranquillum proverbium & mores & pilum lupus mutaſti, non dubitem *Suetonius.* eadem te mecum ſentire, quippe qui ſæpius de te audiverim nunquam conſuetudinem iſtam te approbaſſe, ut ſancta Theologia Dialecticorum captionibus involvatur, illudque ex Caſſiodoro afferebas Chriſtum & Apoſtolos artem Dialecticam vanaſque verborum captiones nobis non tradidiſſe,

Sozom. *lib.* 1. *hist. cap.* 18. Niceph. Callist. *lib.* 8. *hist. cap.* 15. *Christus.*

ſed pura & ſyncera fide & bonis operibus obſervandam ſcientiam. Hinc cum ethnicus Philoſophus Nicænus priſcis Patribus inſultaret, illique eum diſputationibus implicaturos exiſtimarent, nihil profecerunt, donec a ſancto viro ſimplicibus verbis in juſtam ſententiam perductus ſe non verborum anguſtiis capi poſſe, ſed ſimplicitate ſermonis hominumque probitate ſuperabilem confeſſus eſt. *Væ vobis*, inquit Chriſtus, *qui transgredientes legem proſequimini traditiones hominum.* Atqui vos cum Evangelia habeatis, veramque Chriſtianorum legem, in illis minimum operæ navatis, rurſuſque hæreſeos veſtræ inſtitutiones ita amplexamini, ita adoratis, ut quoquo terrarum ire vos contigerit, vobiſcum circumferatis, & cum nec unum Evangelicæ veritatis caput ediſcatis, omnem illam ab homine traditam regulam memoriter habetis, in ſinu libellum continetis, tanquam hic vobis ſecura præſtet itinera. Et quum, ſi quo deſtinatum erat, appuleritis, quod corpore ſoſpites, quod animo firmi, quod latronum inſidiis tuti, id omnes regulæ, quam in ſinu continebatis, tribuatis, ut Evangelii Paulinarumque traditionum apud vos ſit prorſus ὄυ λόγος ὀυδ' ἀριθμὸς, cur ab homine excogitatis inſtitutionibus plus operæ ſancti vos Patres adhibetis, quam univerſo Chriſtiano dogmati, in quo per baptiſmum & a teneris unguiculis initiati eſtis? Quid quæſo dignum habent ineptiſſimi & indoctiſſimi & peſſime de toto Chriſtiano orbe meriti illi veſtri autores, qualis *a* Alexander ille Ales, & Richardus Occhas, in

a. Anglus hic natione in Academia Pariſienſi ſacræ

in quibus pervolvendis omissa Evangeliorum lectione toti estis? Cur omnis vestra ætas in hominum decretis simulque pugnantibus sententiis conteritur? Anne hinc bonos mores, humilitatem, demissionemque animi, malorum æquanimem tolerantiam addiscitis? An non meministis talem unumquemque esse, quales sunt, ex quorum quotidie ediscuntur libris præcepta? Sed quid ego ulterius hac in re disputem, quandoquidem spero fore, ut tu ab his ineptiis longe alienus sis futurus, ut tametsi illi minitentur carceres, & pedorem ante oculos proponant, nihilo tamen magis nihil in te proficiant. Philoxenumque fortasse imitaberis, qui jussus a Dionysio, ut tragœdiam ejus legeret, emendaretque, totam una litura circumduxit, in latumiasque demitti maluit, quam illaudatum opus aut emendare aut legere. Cæterum & aliud est Matti, quod nescio quonam modo tibi summopere displicere non possit. Cum enim abstinentiæ, castitatis, famis, frigoris, inopiæ maximam ostentationem præbeatis, cum mundi hujus illecebrarum viros vos contemplatores prædicetis, cum saxei pene & indomiti erga omne vitiorum genus videri vultis, qua ratione tam pretiosa palatia, & ut Homerus ait, Μέγαρα εὔπηκτα construitis, tam amœnas ambulationes exornatis, tam magna triclinia, tam politas cellulas, tam compta peristylia

Transitio.

Philoxenus.

Transitio.

Theologiæ Professor præcipuus. Postquam grandis jam natu religionem ingressus, frater ordinis Minorum, Innocentii jussu Papæ IV. summam in Theologiam scripsit admodum copiosam. Platina in vita Innocentii IV. Jac. Philippus Bergomas Chronic. *lib.* 13 *ad Ann.* 1252.

lia ædificatis? Nonne in hominum beatitudine & opulentia maxima fere dignitas est elegantia habitationis? Cur vos ab hoc seculo remotos, ejectos, dicitis, cum ejus commoditatibus tam sumptuose utamini? An fortasse non meministis hoc quod *Christus.* Christus in Evangelio præcipit, *Vulpes*, inquit ille, *foveas habent, & volucres cœli nidos, at filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* An fortasse regula nihil prohibemini, quo minus tam laute ædificetis? Atqui ipse non alia de causa instituta indumenta vestra arbitror, quam ut ostenderetur non in magnis ædibus, non in opulentis diversoriis convenire vobis habitare, sed potius huc atque illuc per orbem errabundos ire, Christi Evangelium ubique prædicantes. Quid enim vult *Minoritarum habitus.* aliud Mullonicus ille cucullio, quo capita contegitis, quam ut peregre cum vaditis a sole & pluvia vos tutos reddat? Quid calopodia nudique pedes præ se ferunt? Non ut statim absque longiore more aquas tranare possitis? Quid parabilis ille gilvi coloris pannus? non tutissimum velamentum imbribus præstat? Sic itaque vos fecit, sic instituit *Franciscus. Bonaventura.* Franciscus, seu quod verius *a* est Bonaventura, quasi viatores institueret, non umbraticos viros, qui in monasteriis continuam moram traheretis, vel per urbem tantum vagaremini, vos vero succedente

a. Erasmus in Colloquio πτωχοπλούσιοι Franciscani: *Benedictus non commentus est novum cultum, sed is quo tum utebatur cum suis, erat cultus laici simplicis ac probi. Nec Franciscus invenit novam formam, sed hæc erat vestis pauperum ac rusticorum. Posteriores additis quibusdam vertetunt rem in superstitionem.*

dente desidia ita profecistis, ut Stratonici in Rhodios illud vobis impingi possit. Hic eorum luxuriam taxans ædificare illos dixit tauquam immortales futuros, rursus obsonari tanquam brevi tempore victuros. Nam siquis in vestras hasce ædes descenderit Telemachi illud Homericum poterit exclamare, *Homerus.*

Talis adest aula hæc qualis Jovis altitonantis,

Pluraque dictu mira stupor me habet aspicientem.

Non ita tetricus ille Socrates, & in hoc vestri dissimilis Diogenes. Illi enim cernentes, si Plutarcho credimus, dicerent: *Quam multa hic misera, inusitata, stulta, risus me capit aspicientem.* Sed profecto in re vestra non possum non hoc consilium admirari. Cum enim hominum vita paucis contenta sit, si in usum aliquem vestrum a civibus postularetis non magnam pecuniarum summam hoc nomine possetis excusari. Quam autem ob rem visum fuit titulum hunc struendi atrii precibus prætendi, quod magno dispendio ea in re opus est? quod magna quæque justissime exigenda sunt? Hoc quoque commento immodica quantitas brevi conflatur. Occurrit ad hæc qui marmora donet, conferat impensas. Hic nuda & candida signa, hic modum argenti dabit. Non ita prisci illi & sanctitate illustres monachi, qui harenosa Lybiæ, qui inculta Thebaidis, qui Ægyptiacas solitudines, qui Syriæ sterilia diligebant, atque illic informes caveas, visuque horrida saxa incolebant, in quibus divinæ contemplationi totos se dederent. Verum quid ego tam remota prosequor? Quem instituti illius vestri Auctorem præ-

Socrates. Diogenes. Plutarchus.

Habitatio monachorum olim.

Transitio.

prædicatis, in horrentibus illis Apenninis montibus sedem suam delegit, ubi non pluribus picturis oculos oblectaret, non longis ambulationibus animum demulceret, non commodissimis cellulis corpus foveret, sed assiduo jejunio, perpetua cogitatione, divinæque majestatis admiratione oculos, animum, corpus, pasceret. Quem ex vobis alii imitati merito beatitatis insigne nomen apud posteros adepti sunt. Quorum exempla si vos sequeremini haud quaquam necessarium esset eligi de vobis quosdam, qui vestri magistri probitatem per angulos & plateas prædicarent, qui tanquam σύμφωνες ὄρνιθες laudibus in cœlum eveherent, qui post mortem pro beato depingerent, cum & ipse ineptias illas mirum quantum damnaverit. Video hinc tamen vos efferri mirisque sanctimoniæ imaginibus gloriari. Quapropter vel inviti in vos allusisse Christum cogimur fateri. *Amant*, inquit, *primos accubitus in coenis & primas cathedras in conventibus, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Unus est magister vester nempe Christus, omnes autem fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim pater vester, qui in coelis est. Ne vocemini magistri, unus enim vester est magister, nempe Christus.* Quod præceptum nos Christiani & eo amplius servare debemus, quod etiam meliores quosque veterum tam superbis titulis abstinuisse legimus. Qua ratione Pythagoras ampullosum illud Sophorum nomen non recepit, maluitque se sapientiæ cultorem, quam sapientem dicere. At vobis non satis est *sapientissimi* titulo, nisi *acutissi-*

Christus.

Pythagoræ humanitas.

tissimum, *illuminatum*, *inthronizatum*, hujusmodique nugacissimas nugas semper inculcetis, ut quorundam nomina sine istius tituli præfatione pronunciare nefas ducatis, &, cum in Dominica oratione *Pater noster*, *qui es in coelis*, solum dicatis, Aloysium aliquem vel Joachimum ex vestris fratribus *beatum Patrem* appellatis: O mira fatuitatis exempla! O ridiculam vel potius deflendam insipientiam! Et pinguis ille pater ea salutatione tam gaudet, quam qui in pancratio pugilem superaverit, quam qui pentathli victor fuerit declaratus. At quum aliquando concioni unius vestri patris adessem, adnotavi eum dicentem: *Quotquot in cœnobiis vestri hujus ordinis sunt puros putos a angelos esse.* Quænam portenta hæc sunt?

Omit-

a. De Franciscanis non mirum. Cujusvis monachi indumentum σχῆμα ἀγγελικόν, θεῖον σχῆμα, μέγα καὶ ἀγγελικόν. Vid. Auctores post Theophanem Parisiis editos a Combefis p. 7. Veneratio ejus olim tanta, ut & Reges id amplexi, Duces & Principes, & in eo sepulti, præsens id existimantes peccatorum remedium. Exempla siquis quærat affatim habet Meibomius ad *Chron. Schauwenburg p.66.* De Rege Hierosolymorum Balduino II. Marinus Sanutus *lib.* 3. *hist. part.* 6. *cap.* 14. *Cœpit Rex graviter infirmari. & coram Patriarcha & Baronibus se Regali exuens dignitate genero Fulconi filiæque sceptrum Regni concessit, dixitque se velle Christi amore in pauperie mori, & Canonicorum Regularium. S. sepulchri habitum sumpsit &c.* Tumulus Landulfi Principis Capuæ apud virum doctissimum Camillum Peregrinium in historia Longobardica:

Crimina post vicit Benedicti veste Beati
Quam sacris lacrimis se induit atque piis,

Ubi autem superstitio paulatim prævaluit, ad eam etiam insaniam a non paucis deventum, ut eandem

quæ

Omittamus malos, de his disseramus, qui optimi sunt. Num idcirco angeli? Nonne separatam horum conditionem a mortali labe Deus voluit? His adde quod & eum, qui literatura illa vestra conditus sit, *Baccalaureum* vocatis. Unde quæso id nomen, an a buccis, an ab etymo, quod propius sit, a Baccho, quod videlicet cum plurimarum rerum scientia præcellat, indulgere ei & buccis & Baccho impune liceat. Venio ad con-

Baccalaureus unde.

cio-

quæ baptismi existimarint cucullæ' vim. Δεύτερον βάπτισμα Joan. Antiochenus vocat τοῦ πρώτου ἀνακαινισμὸν orat. apud Cotelerium 1. *monum. cap.* 4. ἐν ἀποταγαῖς καὶ συνταγαῖς κατὰ πολὺ ἐργωδεστέραις καὶ φοβερωτέραις συγκειμένη. *In renuntiationibus & confessionibus longe difficilioribus magisque formidabilibus consistens:* S. Bernardus *lib. de præcept. & dispens. in fin Audire*, inquit, *& hoc vultis a me, unde præter cetera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi renumtiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis humanæ vitæ generibus hujusmodi conversatio professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit &c.* Unde & nomen mutatum monachis. Abjectum inditum baptizatis. Assumptum aliud & novum. Ipse S. Franciscus Joannes dictus adhuc laicus. Hospinian. *de orig. monachat. lib.* 6. *cap.* 8. Irenes Augustæ Typicum *cap.* 71. καὶ μεγάλου δουκὸς τῶν σχολῶν τῆς ἀνατολῆς κυροῦ Ἀνδρονίκου τοῦ Δούκα, τοῦ μετονομασθέντος τῷ ἁγίῳ καὶ ἀγγελικῷ μεγάλῳ σχήματι κυροῦ Ἀντωνίου, *& magni Ducis Scholarum Orientis Domni Andronici Ducæ, qui per sanctum & angelicum magnum habitum cognominatus est Domnus Antonius*, & mox: *Fiant commemorationes dilectæ sororis majestatis meæ, admodum venerandæ & honorandæ Domnæ Theodoræ, quæ per sanctum & angelicum magnum habitum cognominata est Domna Irene.* Meminit etiam Erasmus,

sed

cionatores vestros, qui officii sui immemores ea potissimum attingunt, quæ nihil ad mores faciunt. Quot genera sint sanguinis disputant, quot beatorum sint ordines, quonam modo Deus creet animas, hujusmodique quæstionibus etiam reluctante Paulo totam clepsydræ horam dicendo eximunt. *De his*, ad Titum inquit ille, *volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & pugnas legales omitte. Sunt enim inutiles & vanæ.* Idem Timotheo suadet, ut stultas & inutiles quæstiones respuat, quum inde seditiones oriantur. Sunt ubique etiam sua somnia, quæ sibi confinxerunt, narrantes, sunt & qui vaticinia se scire profiteantur, hocque potissimum modo, quos verbis ad cultum & pietatem inducere nesciunt, terrere conantur, quod merito Hercule in malam rem *a* Johanni de Rupescissa Symmistæ vestro vertit. Cum enim se

D. Paulus.

Joannes de Rupescissa.

sed jure improbat institutum id in Colloquio, quod inscribitur *Virgo μισόγαμος*. Baptizati mutabant nomen Christiani facti ex Judæis. Secundum autem baptisma ingressus in monasterium. Et hinc & illi mutabant nomen. Greg. Turonens. *lib.* 1. *hist. cap.* 36. *Prodente Juda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus.* Certe frequens mutatio hæc. Etiam a clericis idem interdum factum. Procop. lib. 1. de bell. Vandalic. Ἔνθα ἱερεὺς γενόμενος ἑκουσίως Πέτρον ἑαυτὸν μετωνόμασεν, *ubi Presbyter factus ultro Petrum se ipsum nuncupavit.* Alteserr. *ad Greg. Turonens. lib.* 2. *cap.* 38.

a. Joannem vocat de Rupessa Jacobus Philippus Bergomas ad Ann. 1375. *Joannes de Rupessa*, inquit, *Minorum ordinis insignis Theologus tempestate hac præter*

E ea,

se a Deo admonitum universalis judicii affirmaret, cumque mundi finem adesse conclamaret, quia dictis ejus res non responderunt, Avinione ab Urbano quinto captus in custodia mansit. Sunt alii, qui sanctorum vitam sæpissime populo prædicant. Cum in solemnem divo Josepho diem incidunt, Dii boni, quot laudes, quot præconia, & quam grandia sonant! Non satis est hunc cum Evangelio virum justum appellare, ut qui Mariam παραδειγματίσαι noluerit, sed Apostolis, sed Præcursori præponunt, nullum in cœlo locum reperiunt, in quem eum reponant. Quod cum quandoque olitor quidam audisset, exclamavit, si non est ubi condatis, in meam hanc corbem beatissimi viri, quicquid est, reponite. Et ille quidem satis facete, nisi in cœlo indignaretur Joseph, cum ipse summa concordia cum ceteris piis agat, nec qualitatem inter eos nos homines possumus nobis ipsis fingere, & Christi illud oblivioni mandare: *Erunt novissimi, sicut primi, & primi sicut novissimi.* Sed quid quæso tacemus esse ausum quendam Minoritarum sex millia fabularum in unum librum conferre, ex illisque execra-

ea, quæ in sententiarum libros accurate docteque scripserat, in carcerem trusus multa de futuris tanquam Propheta scribere præsumpsit, videlicet de duobus Antichristis, & de ecclesiæ conciliatione & de conversione omnium gentium ad fidem Christi, & alia multa, quæ in ianuis adesse affirmabat. Et hæc a domino Jesu Christo sibi revelata fuisse contestabatur, quæ non modo non evenere, sed oppositum in omnibus fuisse constat. Hujusmodi autem pronosticatores multi ab initio decepti fuere. Quibus satius fuisset silere, quam talia temere loqui.

crabilibus exemplis pene Chriſto parem facere Franciſcum, ut nihil dixerit, fecerit in terris Chriſtus, quod æque a Franciſco dictum factum non ſit. Ah quam immemor ille apud Matthæum dici, *non eſſe diſcipulum ſupra præceptorem.* An cum viliſſimus artifex operi ſuo titulum hunc poſuerit, μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται, neminem videlicet artis æmulum paſſus, & nos incomparabilis potentiæ, virtutis, ſapientiæ, Chriſtum Deum patiemur non alia videri feciſſe, quam quæ etiam mortalis homo egerit? At dicetis non noſtrum hoc delictum eſt. Age unus male fecerit, num ex unius peccato omnes nos reos facies? & quod una ovis ſcabioſa ſit, totum gregem num idcirco repudiabis? Hercule vero, ſed & hæc omnium culpa eſt, quod cum in ordinariis illis ſanctorum laudibus, quas quotidie recitare ex Pontificia lege tenemini, Petrum, Paulum, Andream, ceteroſque Apoſtolos, tum alios etiam in conſortium piorum relatos, brevi oratione tranſigatis, Chriſtique celebrationem paucis verbis veneramini. Ubi tamen ad Franciſcum deventum eſt, longe plures orationes diffuſioremque tractatum de eo recitatis, quam omnibus ſimul ſanctis cum Chriſto tribuatis. Animadverti quandoque & hoc indoluique, cuique nebuloni eſſe conceſſum, ut ſancti cujuſque viri, quomodocunque libuerit, vitam conſcribat, falſaque veris immiſceat, ἀκέφαλόν τι μῦθον etiam inter myſticas ephemeridas inſerat, Chriſtianoque orbi in tantum imponat, idque nemine reclamante. Sed ea omnia vobis permittuntur, quippe qui tametſi

aliquid ex canonibus veſtris facere prohibeamini, nihilominus ex reſcripto aliquo conceſſionem quamcunque extorquetis, cum tamen in Evangelio facilius eſſe dicatur cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere. Quæſo autem an non cum contra inſtitutiones Franciſci & traditiones, quamvis indulgente Pontifice, aliquid facitis, non amplius Franciſci dogma obſervatis, ſed novum quoddam multo laxius vos ipſi conſtituitis. Cum enim tam felix illud diploma tam ſollicite concedi petiiſtis, ut liceret omnium delicta in ſacramento confeſſionis audire, indictaque pro ratione pœna confeſſos abſolvere, cum ſacerdotum id prius muneris eſſet: nimirum quod πρὸς ἄλφιτα faciebat, conducibile, utiliſſimumque viſum eſt, ſi ea vobis facultas concederetur. Verum hoc ſatis & ſuper. Video enim me eo progreſſum eſſe, ut, quod ajunt de vino, exſcreare incipiam. Igitur ut cauſam omnem tibi Matti breviter percenſeam, ex his quæ a nobis perſcripta ſunt, quæ primo hoc impetu, dum acerrime nuncius hic mutati a te inſtituti me perturbat, effudi, ſcio evidenter potuiſti comprehendere vitam hanc Minoritarum, etſi ex præſcripto obſervetur, non tamen perfectam laudem mereri, in qua multa nos agere oporteat ab Evangelio diſſidentia, plurima penitus a ſanctorum Patrum traditionibus diſcrepantia. Quapropter ceterorum, quos laïcos vocatis, nullius addictos jurare in verba magiſtri, non tot ſalebris eſſe obſtructum vivendi genus opinor, quin ſi virum proponamus integrum & humanis deliciis inconcuſſum,

cussum, quem hactenus tu egisti, longe faciliorem ei existimem viam, qua salutem apud cœlestes sibi possit acquirere. Unde nihil in mora esse debet, quo minus de sententia decedas, redeasque rursum in solutum illud vivendi genus, quo nihil est gratius cœlestibus. Addubitas fortassis, vulgi voces expavescis, ne tuam hanc resipiscentiam admirentur homines, plebesque tanquam inconstantem vellicent. Sed nescis quam levis quamque facilis sit plebeculæ istius rumor, quamque bono viro nihili habendus? Ostendit certe id, quisquis ille fuit ὁ μυθόλογος autor, qui, cum vidua in cœlibatu amplius stare nollet, sed vulgi irrisiones vereretur, eas potissimum salibus cavillisque demordentes, quæ ad secundas nuptias transeunt, hoc facto a nutrice admonitam tradit. Quem enim gilvum asinum aluerat, viridi colore depingi jussit, & per urbis vias circumduci. Cujus rei admiratione asinum, quem hoc colore non viderant, plebes omnes animi gratia per urbem comitabantur, clamoribus jocisque persequebantur. Qui cum a principio vulgi fabula fuisset, quotidie autem asinus hic traduceretur, desierunt tandem admirari. Idem viduæ eventurum præsagiebat, per aliquot enim dies in ore plurium futuram, sed brevi tamen fore, ut sermo ille conticesceret. Hujus rei simillimam hanc discessionem tuam existimato, etsi enim primo mense plurimi admirabuntur, & illi quidem indoctissimi, deinde tamen silentio supprimetur. Nam alicujus judicii viros non est quod insultaturos arbitrere, quandoquidem

optime illi noscent nulla te adhuc lege coherceri, *a* annumque vobis dari, ut interea vires experiamini, ut religionis instituta exploretis, quapropter interea a laïcis solo habitu differre, recedendi veniam liberrimam concedi, legibus ita caveri, qui earum vires tenoremque servet, nullius criminis, infamiæ, notæve reum esse, plurimos gravissimæ autoritatis viros ex monasteriis hoc temporis interstitio digressos, nihilominus tamen inculpatæ vitæ candidissimisque mori-

a. Tempus varium probationis. Triennium requiritur *nov*. 5. *cap*. 2. *nov*. 123. *cap*. 35. ut & Typic. Irenes August. *cap* 30. Biennium alibi sufficit, *can. monasteriis* 19. *qu*. 3. Gregor. Magn. 8. *epist*. 23. *Præterea monasteriis omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, ut eos quos ad convertendum susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare*. Alibi ut hic annus, *can. Gonsaldus* 17. *qu*. 2. *cap. ad Apostolicam ext. de regularib. cap. non solum ext. de regular. in*. 6. Concil Trident. *sess*. 25. *cap*. 15. Franciscanis hunc præscriptum Erasmus alibi etiam indicat, in Colloquio scilicet, quod inscribitur, *Exequiæ Seraphicæ*. *Professio*, inquit, *talis non obligat nisi post annum probationis, quo gestare jubentur tunicam cum caperone: sic enim loquitur vir ille Seraphicus*. Cæterum nequis miretur, quod ordo Franciscanus & religio olim tanti, ut tegi veste Franciscana, & in cuculla mandari terræ, crediderint viam ad cœlum, sciat nihil tum vulgatius, nec plebi quicquam persuasum fortius, cum nondum collustrasset Evangelii eam lux, quam a Christo, cum apparuisset, fidem factam Francisco, omnes salvos evasuros, nec periturum ex iis quenquam, qui gilvo induti, accincti fune & calopodiis militassent in ejus castris. Erasmus de eo eleganter in Colloquio jam dicto: *Principio prædixit Dominus Patriarchæ Seraphico futurum, ut quo grex Seraphicus*

moribus existere. Non enim, ut est apud Paulum, personarum respectus est penes Deum. Sit aliquis monachus, sit Minorita, sit ex Calagurritanis, si de illis rursus fiat sacerdos, vel etiam omnino se solvat, si bene fecerit, gratiam in cœlo acquirit. Sub quocunque tegmine reperiri quilibet bonus poterit. Sub quocunque indumento mali perdentur. Unum est baptisma omnium, & omnes Christiani sumus fratres. Cæterum qui benemeritis polluerit, is quo magis

phicus magis increbresceret, hoc illi pabulum abundantius suppeditaret. Deinde aperuit & hoc, quod quotannis in die illi festo, omnes animæ non modo fratrum, qui sacrosanctum illum gestant habitum, verum etiam ordini bene cupientium, ac de ipsius sodalibus bene merentium, ab igne purgatorio liberarentur. TH. *Tam familiariter Christus cum illo fabulabatur?* PH. *Quid ni ut cum amico & sodali, quemadmodum Deus pater fabulabatur cum Mose. Moses a Deo traditam legem tulit ad populum: Christus legem Evangelicam promulgavit; Franciscus legem suam angeli manibus bis descriptam tradidit Seraphicis fratribus.* Sic astu captus terrarum orbis. Sic quæ evelli vix potest infixa non dicam plebi sed procerum etiam animis nefanda hæc superstitio. Vestis an sanctitatem dat? An nebuloni? An homicidæ? Vestis an inspicienda, an vestis fartum? & quid vestis quæso apud Deum? Erasmum rursum audiamus in Colloquio, quod inscribitur, πτωχοπλούσιοι Franciscani: *Sunt qui desperent*, inquit, *se posse a morbo revalescere, ni vestiantur cultu Dominicano, imo, qui ne sepeliri quidem velint, nisi in veste Franciscana.* CO. *Ista qui suadent aut captatores sunt, aut fatui: qui credunt, superstitiosi. Deus non minus dignoscit nebulonem in veste Franciscana, quam in militari.* Cæterum de Francisco ut dictis aliquid adhuc addam, quo clarius indoles cognoscatur, & quæ de eo opinio, quæ vulgo

prævaleat, eo melioris conditionis in cœlo erit. Quapropter cum vestris majora eorum merita etiam Chrysostomus aliique vituperatores monachorum scribant, qui una cum aliis vitam in hoc seculo degunt, nulli professioni initiati, modo juste & probe vixerint, hanc potissimum debes viam ingredi, vel potius ad eam regredi, ne qui aliis bene consulere gratamque rem facere solebas, tibi ipsi dum pessime consulis, Christianum illum negotiatorem imiteris, qui cum meracissima

go existimatio, non prorsus abs re me facturum arbitratus sum, si ejusdem Erasmi, cujus operam etiam Pontifex in propugnando Romano dogmate olim dicitur ambiisse, verbis utar, quæ insignia. Ita is in Colloquio, quod Concio inscribitur seu Merdardus? *Ferunt*, inquit, *patriarcham Franciscum aliquando concionatum apud sorores aviculas, a quibus magno silentio sit auditus*, & mox: *Putant nonnullam esse religionis partem, si cum suo Francisco ne Latine quidem loqui sciant* LII. *Profecto plurimos novi, qui illa ex parte belle referant instituti sui principem, qui* caperonem *dixit pro* galero, *opinor & vestimentibus pro* vestibus. *At Franciscus constanter recusavit presbyteri honorem, quod idem, opinor, fecit Benedictus, & Dominicus. Nunc isti cum suis vestimentibus non abhorrent a galero Cardinalitio.* HI. *Quid ais? imo ne a corona quidem triplici, & humiles illi pauperis Francisci filii porrigunt calceos suos summis orbis monarchis osculandos.* Ibid. in fin. *Franciscus dicitur concionatus sororibus avibus? iste dignus videtur, qui concionetur fratribus asinis ac suibus.* Idem in Exequiis Seraphicis: *Ego a puero religiose beatum Franciscum, juxta mundum nec doctum, nec sapientem, sed profunda mundanorum affectuum mortificatione Deo carissimum semper animo sum veneratus, cumque hoc omnes, qui illius ingressi vestigiis ex animo student mundo mortui Christo vivere. Nam vestem nihil moror.* Et mox: *Profitentur ante*

ma vina primæque nobilitatis aliis venderet, ipse sibi acida in vappamque depravata retinebat. Cujus servulus cum in fuga a quopiam deprehensus interrogaretur, cur dominum relinqueret. Nonne legisti, inquit, senariolum illum Ciceroni placuisse, μισῶ σοφιστὴν ὅστις ὐχ' αὐτῷ σοφός. Qui enim sibi ipsi non sapit, is si cæteris sapiat, demens est, Ereboque furiosior & Melitide magis insanus. Quum igitur te deceptum

te mortem Francisci regulam. PH. *Videlicet ut eam servent in campis Elysiis.* TH. *Non: sed heic, si revalescant. Et fit aliquoties, ut medicorum sententiis damnati, simul ut sacrosanctam vestem induerint, ope Dei reviviscant.* PH. *Idem sæpenumero usu venit in his, qui eam vestem non induunt.* TH. *Si nihil esset eximii fructus hac in re, non ambirent, præsertim apud Italos, genere & litteris nobiles plurimi, ut in amictu sacrosancto sepeliantur.* Ibid. *Audio Franciscum adeo fuisse miti ingenio, ut cum pueri per viam incedenti caseum, lac, rudera, & lapides immitterent in rusticanam cucullam a tergo pendentem, nihil offenderetur, sed hilaris incederet & gaudens.* Ibid. *Imo si fas est aliquid ex Seraphicis mysteriis prodere, efficacior est illorum professio quam baptismi.* PH. *Quis angelus hoc istis revelavit?* TH. *Non angelus o bone, sed ipse Christus ore proprio hoc aliaque permulta beato Francisco præsens præsenti patefecit &c.* Et deinceps: *Et quidem puto Franciscum, licet omnis literaturæ rudem, non adeo desipuisse, ut vetuerit qualemcunque pecuniæ contactum. Et tamen si id sensit, quanto periculo suos exposuit, quos jussit nudis pedibus incedere. Vix enim vitari potest, quin imprudentes calcent nummum humi jacentem. Verum qui fit, ut cum Patriarcha jusserit incedi nudis pedibus, nunc maxime incedant calceis fenestratis &c.* Adeat Hospinianum, cui volupe est Francisci vitam exactius adhuc nosse, *lib. 6. de orig. monachat. cap. 6. & seqq.*

videas, proximum est, ut errorem illum emendes. Humanam vitam Plato cum alea comparabat, in qua optimus quisque jactus aleatori expetendus est, sed utcunque tamen acciderit, consequens est, quod male accidit, id arte, quod Comicus ait, ut corrigas. Alioquin si id non feceris, cucullionemque & tunicam, & calopodia, & funem & pallium non exueris, quid ego amplius de te suspicari possim, quam quod vulgo dicitur desperationem pusillanimitatemque in cœnobium te præcipitem egisse, timorem notæ & erubescentiæ in eo te continere. Qua in re vide etiam ne Hesiodi illud in te intorqueatur, quod & ethnicorum primo Aristoteli placuit;

Plato.

Hesiod. ἔργα καὶ ἡμέραι, *vers.* 293.

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ εἰς τέλος ἦσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται
Ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὃ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

Quibus tria esse hominum genera traditur, quorum nobiliores sunt, qui ex se omnia noscunt. Cæterum & illi boni, qui ex se ipsis quidem, quid agendum sit, non satis recte perspiciunt, verum bene monentibus obtemperant. Tertii vero, qui nec ipsi sciunt, nec bene monentibus parere possunt, hi ut prorsus dementes & inutiles ab omnibus explodendi sunt, Cum igitur, tu Matti, quem subvereor, ne plane ἀχρεῖος factus sis, primas hasce partes tenere non potueris, sed de gradu dejici te per-

permiſeris, conſequens erit viro bono & bene tibi conſulenti pareas, neque in tertium ordinem te conjici ſinas, unde ab omnibus inſanus & minime frugi vir exiſtimeris. Deum rogo, det tibi meliorem mentem. Vale.

7. Jun. 1553.
ſpat. 4. dier.

SYL-

SYLLOGE EPISTOLARUM CLARORUM ALIQUOT VIRORUM

Quæ variam doctrinam continent.

EPIST. I.

OBERTUS GIPHANIUS TH. CANTERO

Aureliani Idib. Januar. 1567.

De loco Virgilii IX. Æneid. Flumen Liquentia.

Pympontio haud scio an satis placuerint, quæ novella adsperseram in Virgilium. Certe mihi ipsi unum jam displicet aliqua ex parte. Nam *lib.* 9. *Æneid.* sic legendum putabam. *Quales aëriæ liquentia flumina circum*, non ut vulgo *linquentia*. Putabam *liquentia*, quod in veteri Codice inveneram, idem esse quod *liquida*, utque *liquidus* apud Lucretium primam syllabam sæpe longam habet, ita *liquens* habere apud Virgilium, maxime quod Servius & alii, ut scribebam, non meminissent fluminis ejusmodi. Verum apud Plinium jam reperi flumen sive amnem Italiæ *Liquentiam*. si modo codices sunt emendati. Verum semper *n* litera interjicienda erit, ut vel *Liquentia* vel *liquentia* scribatur. Plane etsi non ignorem, quod & in Lucretium diximus, veteres Poëtas dixisse *flumina Nili*, *flumina Rheni*, pro *flumine Rheni*, aut *Nili* &c. tamen haud satis video, quemadmodum defendi possit hæc phrasis & scriptura *Liquentia* flumina, ut siquis dicat *Nilus flumina*, nam *Liquentia æ* dicebant, ut & indicat, quod *lib.* 3. *cap.* 18. *flumen*, inquit, *Liquentia ex montibus Opiterginis*, *& portus eodem* no-

nomine. Adeo ut mihi non videatur commode excuſari poſſe ea ſcriptura *Liquentia flumina*, niſi dicamus *flumina Liquentia* dicta a Poëta, ut ab Horatio dicitur *flumen Rhenum*, etſi in nominibus fœminini generis hujuſmodi phraſin non putem extare. Tu judicabis.

EPIST. II.

OBERTUS GIPHANIUS TH. CANTERO

Aureliani VII. Id. Febr. 1567.

De loco Plauti in Aſinar. act. 2. ſc. 1. in Amphitr. act. 4. ſcen. pen. & act. 4. ſc. 1. Admittere. Providere. Prodiguus. Sarta mens.

Admittere in auguriis quid ſit non ignoras, unde & *admiſſivas* aves explicat Feſtus. Jam in Plauto in Aſinaria *act.* 2. *ſc.* 1. *fol.* 59. ſic legendum puto: *Imperium inauguratum 'ſt, quovis admittunt aves.* Hoc enim dicere vult ſervus Libanus, ni fallor. Age, age, incipe, nam quoquo te vertas, favent auguria, jubent, addicunt, admittunt. Vulgo eſt, *amittunt.* Certe & mox ſequitur: *Conſuadent, certum eſt hercle &c.* Deinde & in veteri libro ita reperitur. Item in Amphitr. *act.* 4. *ſcen. pen.* (*Quis ad fores eſt fol.* 39.) legendum puto: *prodiguum te fuiſſe oportet.* Antiquo more. Feſtus: *Prodiguæ.* Vulgo *prodigum.* In veteri libro *prodiguum &c.* Sed hoc leve. Item *ibid. act.* 5. *ſc.* 1. (*Spes atque opes fol.* 46.) recte

recte in *vet. Cod.* *Neque nostrum quisquam sensimus, quum peperit, neque providimus.* Ubi *providere* pro *prævidere*, ut sæpe apud veteres. Si modo ut debemus veteres libros sequamur. Sic Pacuvius apud Aul. Gell. *lib.* 14. *cap.* 2. *Nam si quæ ventura sunt provideant æquiparant Jovi.* Ita *vett. libr.* Plaut. *in Asin,* *Non hercle te provideram, quæso ne vitio vertas.* Sic *vett. Cod.* Terent. Andr. *act.* 1. *sc.* 2. *Herus est, neque provideram.* Ita V. C. Sic Horatius igitur recte *lib.* 1. *epist.* 7. *denique quod non Providisset eum &c.* Ita namque omn. libr. vett. & editi. Solus Lambinus reposuit *prævidisset*, invitis omnibus libris antiquis & interpretibus, & ipsissima sententia, quæ cuivis est obvia. Sic *prodicere*, *promonere*, *proludere*. dixisse veteres comperi. In eodem Plauti loco *fol.* 48. legendum puto: *Hac sola sartam mentem gestat meorum familiarium.* Sartum pro integro usurpasse veteres notissimum est ex Festo & aliis. Tralate igitur hic est, *sarta mente* pro *integra mente*, id est, sana, nam & mox ibi sequitur: *Imo omnes sani sunt profecto. At me uxor insanum fecit &c.* Deinde in veteri libro est *sartam.* Putabam aliquando legi posse *sanam mentem.* Sed hoc non tam bene huic loco congruere videtur. De his tamen omnibus tuum erit judicium.

EPIST.

EPIST. III.

OBERTUS GIPHANIUS TH. CANTERO

Aureliani Ann. 1566.

De loco Festi in Navus. Corn. Nepos emendatur.

In Festo verbo Navus *p.* 194. *Navorum imperium servare est Induperantum. Induperantes* videtur Ennius accepisse pro *Imperatoribus* seu *Induperatoribus*, nam veteres participiis vice nominum sæpe usos docuimus in Lucretium 12. Hinc existit sententia elegans: Gravis, & industrii, bonique Imperatoris esse servare imperium, non remittere, non esse nimis indulgentem in milites. Item, est in Cornelio Nepote, quem Æmilium Probum vulgo vocant, locus in Pausania in vet. Cod. meo: *Id postquam Lacedæmonii resciverunt, legatos ad eum cum lana miserunt.* Ubi vulgo est *lancea.* Sed legendum videtur *clava.* Quod vocabulum nihil aliud valet quam surculus, ramus, fustis. *Clavulam* Varro vocat *taleam.* Perperam, ni fallor, nostri *clavam* pro eo instrumento, quod lingua vulgari *een kolf* dicimus, accipiunt, cum veteribus idem omnino reperiam fuisse quod fustem aut ramum. Ludebant quidem olim clava Romani, fuste nimirum, ut hodie nobiles & studiosi fustem jacere solent. In eo autem loco Nepotis de *Scytale* agi video, quem Gellius *surculum* vocat. Verum tu de his judicabis ipse melius.

EPIST.

EPIST. IV.

BONAV. VULCANIUS

TH. CANTERO

3. Januar. 1556.

Molitur Vulcanius Apuleji editionem.

Ego novam Isidori & Apuleji editionem molior, tametsi non ignoro audaculum quendam investem in utrumque hunc aliquid parare, & juvari ab iis, quos putabam mihi amiciores, sed nihil moror.

EPIST. V.

PETRUS SCRIVERIUS

TH. CANTERO

Leydæ 1602. VI. Kal. Mart.

De eadem judicium.

Edidissem jam olim Apulejum, nisi Dn. Vulcanius nova sua editione prævortisset, in qua nihil boni tamen meo quidem judicio præstitum.

EPIST. VI.

BONAV. VULCANIUS TH. CANTERO

19. Januar. 1607.

De Jani Lernutii Epiniciis.

Epinicia a Jano Lernutio in Spinolæ victoriis scripta non dubito quin videris. Edita enim sunt apud Henr. Verdussium Antverpiæ. Maluissem illum alio in argumento Musas suas, quæ jam tot annos ab Hyellæ ocellis feriatæ sunt, exercuisse. Sed quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? qua & illum arreptum satis declarat epigramma αὐθσφωνητικὸν, quo poëma suum claudit in hunc modum:

Copia te cornu pleno ditavit, & undat
Te penes ubertas aurea, at una mihi
Vena domi scatet in numeros. tu flumina nostra
Musica ames: recreet me Tagus imbre tuo.
Hoc si displicui pretio solare dolentem,
Hæc mea sit merces Spinula si placui.

Elegantissime profecto nē dicam impudentissime petax. Sed de his ipse viderit. Bochii triumphalia in adventum & inaugurationem Albetti Archiducis hic vidi venalia. Sed ego ejuscemodi delicias XVI. florenis nolo emere.

EPIST.

EPIST. VII.

BONAV. VULCANIUS
TH. CANTERO

Lugdun. Batav. Ann. 1604. 2. Febr.

Quædam de Lipsio.

Dn. Monavius VI. Octobr. vitam hanc cum meliore commutavit magno sui desiderio amicis relicto. Item: Lipsius a Rege Galliarum ad instaurationem Academiæ Parisiensis vocatus honesta missione petita itineri se accinxisse dicitur. Item: Sparsus fuit rumor de obitu uxoris ipsius, sed parum certus. Memini eum aliquando mihi per jocum fortasse dicere solitum se non amisisse spem secundarum nuptiarum.

EPIST. VIII.

JOANNES MEURSIUS
TH. CANTERO

Papinius Statius & A. Gellius emendantur.

Statianam hanc correctionem e multis unam vide. *Lib. 3. Thebaid. p. 184. edit. Ultraj.*

Ne mihi tunc moneo lituos atque arma volenti
Obvius ire pares ventis aut alite visa
Bellorum proferre diem.

Quid *ventis* hic loci? plane non video. An ex iis omina etiam captari solita? Nescio. Sic scio legendum:

Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti
Obvius ire pares, extisv' aut alite visa,
Bellorum proferre diem.

Prima tantum dictionis litera in finem unde avulsa rejicienda cum nota λιπογραφῆς. Transeo ad Agellium *lib.* 16. *cap.* 16. ubi locus item hodie mendosus: *Esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos sursum pedibus elatis.* Corrigo, *capite in imo*, vel in *infimo*, *nixos* &c. Hæc te mi Cantere, si vacat, arbitrari velim.

EPIST. IX.

BONAV. VULCANIUS TH. CANTERO

Lugd. Batav. 16. Octobr. 1598.

De aranea Gruteri.

Gruterus araneam suam apparat, de qua ita ille ad me: *Morbus meus vertiginosus vix patitur, ut libros attingam. Alioquin jam absolvissem araneam meam, sed ea mihi valetudo, ut horam integram de die intentius scriptioni impendere aut non audeam aut nequeam sine accessione morbi. Producam tamen animalculum istud, si vixero modo, nundinis vernis. Quod si vestra Musæ, tua inquam, Scaligeri, Dousæ, aliorumque, horridam illam bestiam redderetis interim honestiorem, immortalem me factum putarem. Tale & tantum a tantis viris petere non est confidentia. Spero tamen uti id tua opera impetratum nanciscar. Ut autem* noris

noris volo eam esse exemplar Principis absolutissimum, sique imitetur mores ejus Rex in bellicis, in togatis, privatim ac publice, futurum ut intret templum illud honoris & virtutis. Sophistice ibi ego multa, sed non ita tamen, quin mihi persuadeam placitura Politicis viris, quibus eam dare volui veluti gustum, dum orno opusculum plenum Notarum politicarum in Suetonium, Sallustium, Vegetium, & Onosandrum.

EPIST. X.

PAULUS MERULA TH. CANTERO

Lugd. Batav. V. Kal. Decemb. 1604.

De fœtu Merulæ venatico.

Est sub prælo magnorum virorum auspiciis fœtus saltuarius, idiomate nostro, opus vere ad Principem pertinens, in quo non solum constitutiones, quæ in his regionibus promulgatæ de venatione, sylvis, sabuletis, sed & alia omnia, quæ de re venatoria apud varios auctores Latinos Græcosque leguntur.

EPIST. XI.

BONAV. VULCANIUS TH. CANTERO

6. Maji 1602.

Religio Lutherana a Wouwerio abjurata.

De Wouwerio nostro inaudieris fortasse eum Romæ in sacello quodam D. Virginis Lutheranam religionem publice abjurasse, unaque cum Scioppio inquisitioni mercenariam operam locare. O bellos Criticos!

EPIST. XII.

BONAV. VULCANIUS TH. CANTERO

Kal. Maji 1603.

De Academia ab Ordinibus erigenda in diœcesi.

De Amersfortianis mirum etiam. Equidem semper in ea sententia fui, si Ordines Ultrajectinæ ditionis ad instituendam Academiam animum adjicerent, Ultrajectum potius, quam Amersfortium, ad eam rem delecturos.

EPIST. XIII.

OBERTUS GIPHANIUS TH. CANTERO

Argentorati 1577.

De Lipsii plagio in notis ad Tacitum.

Id quoque scire te velim Lipsium in Tacito edendo compilasse scrinia & Mureti & maxime Chifletii Burgundi Professoris juris Dolani viri doctissimi & humanissimi, qui hisce diebus scriptis ultro ad me literis omnis humanitatis plenissimis graviter de Lipsio mihi est conquestus. Quibus literis & id adscripsit se brevi Tacitum cum scholiis copiosis editurum & sua a Lipsio vindicaturum. Sic vos non vobis &c.

EPIST. XIV.

J. HEURNIUS TH. CANTERO

1592.

De Lipsio judicium.

Dn. Lipsius Leodii latitat. Dictionarium historicum vel talis argumenti quid fabricat. Aliquid non dubito in illo otio magni molitum. Typos Raphelengianos ad se ferri voluit. Quæ de illo temere effutiuntur, nunquam ego etiam credidero. Novimus Lipsium. Et ego scio illam in-

genii aciem adeo hebeſcere non poſſe, ut eo veniat, quo illum abiiſſe effutiunt.

EPIST. XV.
HERIB. ROSWEYDUS TH. CANTERO
Ann. 1598.

De eodem.

Equidem de Principibus Criticis ſæpe ita ſtatuo. Ingenium Scaligeri ſupra judicium eſſe, judicium Lipſio ſupra ingenium. Tædio nunc ſunt Lipſio faſtuoſa iſta ingenia, quem ad morum honeſtatem ipſa probitas finxit, quam auxit augetque in dies ſingularis pietatis amor, quo juventuti apud Grudios prælucet. His demum ducibus ad æternitatem fit via, & tranſmittitur poſteris nomen immortale.

EPIST. XVI.
NIC. DALIUS TH. CANTERO
11. Nov. 1580. Lugd. Bat.

De Joanne Saliſberienſi.

Tumultus Leydenſium eccleſiaſticorum compoſitus eſt arbitro Lipſio. Item: Scriptor eſt, cui nomen Joannes Saliſberienſis ævi proavorum, qui in libro, quem Polycraticon de Nugis

gis Curialium inscribit, apud quem multa Agelliana legit olim & notavit Lipsius &c. Si is apud te est, aut quem alium amicum, gratum, valde inquam gratum, feceris, si Lipsio mittas. Agellio nomen erit ei. Auctoritates sunt Prisciani & aliorum apud Lipsium bonæ.

EPIST. XVII.

Jo. WITTIUS TH. CANTERO

Correctus Plinius Secundus.

Lib. 2. *epist.* 1. C. Plinius. *Cæsares, quibus suspectus atque etiam invisus virtutibus fuerat, evasit. Reliquit se incolumem optimum atque amicissimum tanquam ad hunc ipsum honorem publici funeris reservatum.* Sic in vulgatis concepta lectio fuit & corrupta. Mihi ut aspexi patuit fraus. Legebam insistens vestigiis scripturæ. *Reliquit Sen. incolumem* i. e. *senatum.* Vulgatæ porro lectionis error, siquid id scire refert, ortus est ex brevi ratione scribendi *Sen.* ex quo imperiti illi nebulones *se* fecerunt, non attendentes illud Senatum significare. Plinii editio Parisiensis Ann. 1588. Cl. Minois *fol.* 22. *vers.* omittit illud *se* & legit *reservatus.* In notis tamen ait Minos, *reliquit incolumem*, id est, *reliquit se incolumem.*

Se i. e. *Senatum* in *libb. vett.* ut Lipsius docet *lib.* 2. *var. cap.* 3.

EPIST. XVIII.

A. VORSTIUS N. N.

Venetiis. Ann. 1620. 14. Maji

De Ducis Florentini thesauris.

Quantos qualesque Ducis Florentini viderim thesauros mirum & incredibile dictu. Vasa ex solido auro, quæ magnæ & lautæ mensæ instruendæ sufficiunt, deaurata, argentea inæstimabilis pretii sunt. De gemmis lapidibusque pretiosis quid dicam. Soli ejus adamantes, quatuor myriades auri valere dicuntur. Item: Ædes, quæ Florentiæ in sepulturam Mediceæ familiæ extruitur, portentum dici potest. Intus tota ex jaspide, exterius marmorea tota. A quatuordecim annis extrui cœpta intra annos xxx. vix perfici posse putatur. Novem myriades auri ad ejus structuram destinatæ necdum sufficiunt.

EPIST. XIX.

JAN. GRUTERUS TH. CANTERO

Ann. 1614. Francofurti ipso die Paschatis

De Gruteri Cicerone.

Ego jam quartum viduatus uxore mea in literis totus sum. Imo quod mireris involvi me intricatioribus. Recepi enim editionem Ciceronis, quem Janus Guilielmius ante 30. aliquot annos me-

meditabatur edere collatum cum MSS. Variantes eas lectiones habeo penes me, sed nihil præterea, nisi pauculas ejusdem notas, adeo ut e stercore seligendæ mihi sint paucæ gemmulæ tædio & labore infinito. Pergo tamen & pertundo securus omnium: tanquam videlicet immori Tullio sit alteram accipere vitam.

EPIST. XX.

BONAV. VULCANIUS TH. CANTERO

Ann. 1602.

De Gruteri instituto.

Gruteri institutum edendi auctores integros non probo. Sunt enim inter eos non pauci, de quibus haud immerito dici queat. Quam multis quam pauca loquuntur. Magno itaque judicio & delectu ad hanc editionem est opus.

EPIST. XXI.

Jo. WITTIUS LAMB. VAN DER BURCHIO

Decano suo

Parisiis. 1613. 14. Kl. Jun.

De libro quodam Lamb. van der Burch.

Destinasti ad nos mittere scripta tua de Mariani templi primo exordio, origine, & progres-

Joannes de Wit Stephani filius Canonicus ad Divam Virginem Ultrajecti. Obiit Romæ Ann. 1622.

gressu, scireque a me cupis, an hæc talia etiam genio nostro conveniant, & faciant ad gustum. Clariss. Domine, deliciæ nostræ sunt, hic campus noster est, hæc arena, inquirere, inquam, excerpere, annotare, describere ea quæ sunt ævi vetustioris & seculi prisci. Memineris, quam arcte nos teneat reverendæ antiquitatis studium, cui vicissim illud acceptum habemus, quod viris magnis & illustribus nos commendavit, indiesque reddit commendatiores.

EPIST. XXII.

Idem eidem

Ann. 1614. VI. Kal. Decemb.

De temporum iniquitate.

Considero te commonstrare fatalem naturæ legem, & salutarem atque benignam Dei voluntatem. Conspicio fœcundum culpæ seculum, quo noxæ probitas, calumniæ pudor, contemptui & ludibrio pietas est. Animadverto inclinantia tempora, & bonis laudatisque viris iniquiora, quæ nempe ab omni publica functione eos arceant propellantque, quos natura & virtus ad gubernacula efformarunt & ad clavum. Hisce videmus jam (proh dolor!) inter remiges vix esse locum aut sentinatores. Quid agant? hæc est fides? hæc est illa aurea ad raucedinem & ad tædium decantata libertas? Libertas, sed qua facie? Quo stringam nodo mutantem Protea vultum? Interim ego Petri cymbam non commuto, extra quam didici nul-

nullam ſupereſſe ſalutem. In hac me chariſſimi impoſuere parentes, tenuere fidi Rectores, in hac vivam lubens, in hac moriar lubens.

EPIST. XXIII.

Idem ARN. BUCHELIO

Ann. 1615. XII. Kal. Jun.

De hiſtoria reſtituta Caroli VI. *Francorum regis Lutetiæ ſcripta a monacho apud S. Dionyſium. Nicolai Brajæ Poëma de geſtis Ludovici S.*

Otii noſtri rationem pro me dabit hiſtoria reſtituta Caroli VI. Francorum regis, conſcripta olim Lutetiæ a monacho apud S. Dionyſium, ſtylo pro illo ævo ſatis eleganti. Opus eſt immenſum XXI. ſcilicet papyri codicum, &ab amanuenſibus miſere depravatum corruptumque. Id ipſum multo ſudore & vigiliis tam feliciter integravimus, ut inter viros clariores D. Gothofredus Fil. I.C. admirabundus operam noſtram approbaverit, cum a Flandro non exſpectaſſe ſe diceret, id quod difficulter Francus & eruditior indigena præſtare potuiſſet. Hæc clariſſimorum virorum de labore noſtro judicia effecere, ut alii quoque ſimilem operam noſtram exigerent in manuſcriptis Paſchaſii Ratberti Corbejenſis Abbatis, qui vixit tempore Caroli Calvi, quod onus trium videlicet ingentium tomorum, quamvis primo recuſaſſem, tandem ſuſcipiens intra ſemeſtre tempus cum

cum honore deposui. Præterea emaculata a nobis aliquot B. Fulgentii opuscula. Item Nicolai Brajæ poëmata de gestis Ludovici S. Necnon historia Albigensium, & innumera venerandæ antiquitatis monumenta a me delineata observataque, quæ omnia occupationum & negotiorum nostrorum facile reddent testimonium.

EPIST. XXIV.

AUB. MIRÆUS ADRIANO VAN DER BURCHIO

Graphiario Trajectensi

VII. Decemb. 1604.

De obitu Jani Dousæ.

Ex tuis literis Janum Dousam obiisse intelligo. Quid dicam? Utinam talentum a Deo acceptum melius impendisset. Certe homo religioni nostræ inprimis noxius fuit, ut alia non addam. Te in ejus obitum carmen scribere pii haud libenter audiant, & absit. ut tui versus inter impia impiorum epigrammata (nam si ingenia istorum novi, scio, sed taceo) notentur.

EPIST. XXV.

ANDRÆAS SCHOTTUS TH. CANTERO

Antverp. 1600.

De Guilielmo Cantero.

Si Guilhelmus frater plures novarum lectionum libros reliquit ineditos, aut tuos auxisti, addi optem

optem iis Variarum scriptoribus, quos jam inde a Politiano, me rogante, Francofurti adornant, urgente etiam Jacobo Bongarsio Regis Christianissimi Oratore.

Idem eidem.

Qui mihi carus olim Guilhelmus frater tuus, homo doctissimus, cui oculos & os clausi olim Lovanii &c.

EPIST. XXVI.

B. VULCANIUS TH. CANTERO

1583. 24. Novemb.

De edendis a Vulcanio.

Prodiit Bibliotheca Gesneri millibus aliquot auctorum locupletata. In qua Jacobus Frisius, quicum aliquando communicavi, quid pararem, nimium mihi favit. Nam pro editis ea recenset, quæ nondum excusa sunt, neque fortassis intra aliquot annos excudentur. Qua in re tametsi mihi injuriam facit, erit tamen incitamento ad maturandam editionem.

EPIST. XXVII.

B. VULCANIUS TH. CANTERO

1597. IX. Novemb.

De Cyrillo Vulcanii.

Intelligo ex Andrea Schotto Cyrilli libros XVII. *de adoratione in spiritu & veritate* excusos Toleti a me

Franciscus Bovadilla Archiepiscopus Burgensis Cardinalis edendos curavit Toleti B. Cyrilli Alexandrini episcopi xvii. libr. de adoratione in spiritu & veritate *interprete B. Vulcanio.*

me interprete, quos magnopere aveo videre, neque enim dubito, quin Theologi Salmanticenſes ſuas notas ſive cenſuras adjecerint. Nolunt enim illi ferre hunc modum loquendi Cyrillo valde familiarem, *Fides juſtificat &c.*

EPIST. XXVIII.

Idem eidem Ann. 1593.

De Apulejo Vulcanii.

In editione Apuleji primum locum tenebunt philoſophica illius ſcripta per me priſtino ſuo nitori reſtituta. Aſinus aureus caudam trahet. Sed quid poteſt eſſe magis aureum philoſophicis illis? præcipue ubi expolita fuerint, & erunt omnino, cum meo labore, tum vero nominis tui, cui inſcribentur, radiis illuſtrata.

EPIST. XXIX.

Idem eidem. Ann. 1587.

De Joannis Secundi poëmate & aliorum.

Triumviratus meus, hoc eſt, Poëmata trium fratrum, Nicolai Grudii, Hadriani Marci, & Joannis Secundi, neſcio quo pacto hactenus apud Plantini præla locum non inveniant. Scripſit ante annos aliquot neſcio quis commentarium in Regiam pecuniæ Joannis Secundi &c.

EPIST.

EPIST. XXX.

Idem eidem. Kal. Sept. 1587.

Libros aliquot sortibus Vulcanius exponit.

Ego ut Bibliothecam meam libris non necessariis exonerarem, ex consilio amicorum libros aliquot sortibus exposui, quorum catalogum & conditiones ad te mitto, ut si & tu fortunam tuam experiri voles mature, hoc est, ante decimum sextum hujus mensis diem nos certiores facias.

EPIST. XXXI.

OBERTUS GIPHANIUS TH. CANTERO

Aureliani 23. Maji 1567.

Adversarius Giphanii Carrion.

Ille qui ea fulmina in me jacit anne ut divinavi est Ludovicus Carrion: quem mihi nomen amicissimum putavi. Certe eum esse indicavit Dn. Bombergus. Sic Lucretiana mea ubique vapulant, sed tua & tui similium amicitia fretus vana illa fulmina esse judico.

EPIST. XXXII.

Idem eidem 1587.

Lambini plagium.

Præterea nosti quemadmodum mea compilarit, meque tractarit Lambinus in Æmilium Pro-

bum. Cujus rei testes habeo epistolas Mureti, quas & tu jam divulgatas videre potuisti, & Puteani, cujus auctoritate Lambinus sabutitur inviti &c.

EPIST. XXXIII.

HERIB. ROSWEYDUS TH. CANTERO

Antverpiæ 1615.

De Vitis Patrum Rosweydi.

Vitæ patrum his nundinis prodiere. Nunquamne menti lux legendo SS. Patres affulgebit? Non cultus sanctorum, non reliquiarum cultus in iis passim obvius? Atqui is in ecclesia nostra reperitur. Nobiscum ergo contesserant.

EPIST. XXXIV.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS

Joh. Isacio Pontano 12. Jun. 1630.

Florus duobus locis correctus. Hodæporicon Ruthenicum.

Litterulæ tuæ, Vir & Cognate Clarissime, tempestive satis exaratæ erant, sed paulo serius, quam oportebat, mihi redditæ. Hodœporicon enim illud Ruthenicum, cujus præcipue ob causam, ceperas impetum ad me scribendi, divenditum jam erat, & commodum inciderat in meas manus. Usui enim futurum mihi erat ad concinnandam Rempu-

pu-

publicam Moſcoviticam, cujus etiam prima particula nunc ſudat ſub prælo. Colligere enim neceſſe mihi fuit ex variis Authoribus bene longam & amplam farraginem earum rerum, quas ad promovendum inſtitutum noſtrum pertinere ſum arbitratus. Idem præſtiturus, ſi Deus volet, in Republica Platonica & Ariſtotelica. Siquis in inſtructiſſima Bibliotheca tua auctor latet, qui Platonis Rempublicam, quæ ob longiores, quibus deſcripta eſt, dialogos, majus negotium faceſſet, aut ſerio depingit aut examinat, gratiſſimum feceris, ſi uſuram ejus per proximos aliquot dies concedere mihi fueris dignatus. Reſtituam cum largiſſimo fœnore mei in te ac tuos, quoad vixero, promtiſſimi obſequii. Tu, vir eruditiſſime, conſilio me aut re juva, potes enim, ea es eruditione, vis etiam, ea es humanitate. Faxo autem ego, ne ingratum me ullo unquam tempore invenias, aut tui te beneficii pœniteat. Deſcripſi itaque, ut in ſemitam revertar, quæ in Hodæporico illo notatu & lectu digna repperi, ac una cum literis iſtis ad te tranſmitto. Proverbia Druſii comparare tibi non potui. Omnia enim opuſcula divini iſtius viri, pariter, & caro ſatis pretio vendebantur. Studia mea quod attinet ea ex ſuperioribus facile intelligis. Quis autem mihi vitio vertet, ſi quantum alii aleæ, popinis, comeſſationibus, marſupiorum exenteratoribus tribuunt, tantum ego humanioribus literis, quarum ſuavitatem nemo niſi penetralia ejus ingreſſus, recte intelligit, in hac bonæ mentis & Muſarum palæſtra impendam. Incidi nuper, Cognate

oculatissime, in florentissimum historiæ Augustæ scriptorem, Florum, opera tua a pluribus mendis post eruditissimi Salmasii curas repurgatum; quem cum serio evolverem spicas aliquot post uberrimam tuam messem legi: duas appingam, & desinam. *Lib.* 1. *cap. x. Tunc illa Romana pericula atque miracula.* Diu me male habuit & torsit iste locus: nec quid sibi vellent *pericula* illa capere unquam potui. Periculum itaque feci & *prodigia* restitui: quæ lectio siquid hac in re judicii est mei, nec a vero, nec a sententia authoris abludit. *Lib.* 1. *cap.* 16. sub fin. *Miles Papirio duce (horribile dictu) subjectis ensibus per ipsam viam &c. furit.* Legendum existino pro *subjectis*, *subrectis*, vel *erectis ensibus*. Demittere enim & subjicere enses signum est conclamatæ & desperatæ rei, teste Silio Italico *lib. ix.* qui eleganter more suo in simili negotio, *fluere arma*, dixit: Florus autem de militibus agit prælii ardore flagrantibus. Vale & salve una cum uxore tua, Cognate Clarissime, ac qualiacunque hæc æqui bonique consule. Salutant te tuamque omnes nostri. Animo & obsequio tuus Cognatus Marcus Boxhorn Zuerius.

EPIST. XXXV.

JOANNI ISACIO PONTANO V. Clariss.

De Diva triformi. De Trigla &c. Explicatur Virgilius.

Semper optime doctissimeque Pontane gratæ mihi sunt literæ tuæ, sed gratiores, quod significent, quas proxime miseras, ad umbilicum jam pro-

productam esse historiam Geldriæ, quam jure ego terram amore complector, quia parens, avus, proavus, & majorum alii, originem illi debent: multique & eorum & consanguineorum & affinium in dignitate fuere in ea, & hodie varios honores sustinent. Sed longe gratissimum, quod etiam laboribus tuis tam eruditis augere volueris bibliothecam meam. Gratias igitur nunc pro hac munificentia animi tui ago, quantas possum ac debeo. Ac majores habebo propediem, cum exemplar accepero, Adfui editori. Vide suavitatem viri. Ajebat literis, quas exarasses, mandari sibi, ut exemplar mihi traderet: sufficeretne, si id chartæ foret vulgaris. Caute, quia quid scripsisses nescirem, respondi, gratissimum fore, quod destinasses. Tum ille subridens, *At de meliori charta disertim expressit*, Ego subjeci, *Fruar igitur prolixi animi dono.* Interea præclare & amice vir modum liberalitatis excedis. Sed vicissim a nobis exspecta quæ molior. Primum grande opus de Theologia gentili, & Physica Christiana, sive de idololatriæ origine & incremento, & ex naturæ admirandis, eorumque causis, humanæ mentis adscensu ad Deum. Jam sex ejus alphabeta, ut vocant, excusa sunt, & bona tamen pars superest. Quid mirum? Vides quam vastum sit, & illud Theologiæ gentilis, & istud naturalis scientiæ, prout Christiano convenit, tractatæ argumentum. De Vandalico numine a *Trigla* nomen sortito, quia poscis, aliquid addam. Etsi sciam, me ad tam eruditum virum scribendo, ligna in sylvam, aquam in mare ferre. Vandalica illa Di-

va, triceps fuit Diana, ſive Hecate, de qua Maronis illud in IV. magni operis

> *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora*
> *Dianæ.*

Ubi ſic Servius: *Iteratio eſt ejuſdem rei, Luna, Diana, Proſerpina. Et cum ſuper terras eſt creditur eſſe Luna, cum in terris Diana, cum ſub terris Proſerpina. Quibuſdam ideo triplicem placet, quia Luna tres figuras habet, prima tanquam* C. *ſequens tanquam* Ɔ . . . . *tanquam* O. Hiatum ſic ſuppleo, *tertia tanquam O.* Sententia eſt eo tricipitem Dianam ſive Hecaten effingi, quia luna quando creſcit, cornibus & cavitate ortum reſpiciat, eoque figuram habeat C. quando decreſcit, eiſdem reſpiciat occaſum, eoque referat figuram Ɔ. plenæ autem figuram eſſe O. Eandem rationem adducit Cleomedes *lib. 2. de Mundo cap. de Lunæ propinquitate ad terram.* Hinc igitur Horatio *Diva triformis*. Apulejo *Proſerpina trina facie.* Minucio in Octavio *Trivia trinis capitibus horrifica*, item Orpheo in Argonauticis τριοσοκέφαλος. Chariclidæ apud Athenæum τρίμορφος. Integer Chariclidæ locus ſic habet: Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, τρίγλαις κηλουμένη. *Domina Hecate triformis, triplici facie, quæ mulceris triglis.* Poſtrema verba faciunt ad cognomentum Divæ Vandalicæ, *Trigla.* Quippe & Athenienſibus locus erat τρίγλα dictus, in quo ἀνάθημα erat cum inſcriptione iſtiuſmodi ΤΡΙΓΛΑΘΗΝΗ ΕΚΑΤΗ, quaſi dicas *Mullominervæ Hecatæ*, ſive *Mullariæ Palladi Hecatæ*, Teſtis Euſtathius in Iliad. *pag.* 1197. *edit. Rom.* Ubi & tradit Artemiſiis ſive Dianæ feſto mullum pro-

proferri solitum. Nempe mullus, qui Græcis κοινῶς τρίγλα, Attice τρίγλη, Hecatæ, quæ φυσικῶς eadem ac Luna, sacer fuit, ut apud eundem Eustathium est in *Il. A. p.* 87. *edit. Rom.* Rationes, cur ei dicaretur, complures ex Athenæo petere licet *lib.* 7. Unam ex iis etiam apud Eustathium legas, quæ erat Hegesandri; nempe quod mullus venetur leporem marinum, piscem venenosum ac letalem, ac piscis venator conveniret Deæ venatrici. Fortasse tamen simplicius cum Apollodoro dicatur, respexisse Græcos nominis & numinis similitudinem. Quod ad nomen, τριγλὰ simile quiddam sonat ac τριοδῖτις, vel τρίμορφος ac similia. Quod ad numinis potestatem, in eo est convenientia, quod ut Hecatæ sive Dianæ triplex est facies, triplex item imperium, in cœlo, terra, aqua, ita & triplex sit partus mulli annis singulis. Imo τρίγλα sive τρίγλη dicitur quasi τρίγνη, sive τρίγονος, vel *trigonus*, nempe quia ut dixi ter pariat quotannis. Quod traditum Aristoteli *lib.* 5. *hist. Animal. cap. ix.* Athenæo in *septimo*, & Oppiano in *primo de piscatione*. Paulo hæc fusius deduxi, qui alioqui vix adduci possum, ut vel tribus verbis litterulas exarem. In causa sunt occupationes minutæ sæpius, sed densæ. Æstate præterea superiori, atque item autumno, qui tota pene Europa morbidus fuit, tres ex meis, alius post alium, periculoso morbo decubuerunt. Nunc habent mediocriter, quod utinam de te quoque intelligam. Vota quidem pro salute tua facimus, cum amore tui, tum publici inprimis, de quo bene me-

reri non cessas. Collegis Rever. & doctissimis, Doctori Diestio, & Dn. Sevencotio salutem meis verbis plurimam dicito.

Amstelodami CIϽ. IϽC. XXXIX.
V. Kal. Apr.

Tuus sine fuco & more
majorum
GER. JO. VOSSIUS.

EPIST. XXXVI.

GERARDO JOANNI VOSSIO V. Clariss.
S. P.

De iisdem.

Jam vir es, mi optime Clarissimeque Vossi, qui rogatus a me, ut ad illustrationem idoli Vandalorum, quod illis tricipiti vertice *Trigla* dictum, locum mihi & verba Eustathii, qui ad manus non est, suggeris, quod is Dianam etiam *Triglam* nuncupatam, ut volunt, asseruerit. Tu non modo Eustathium, sed & plures adducis, qui Dianam tricipitem describunt. Quibus ut sunt hæ literæ nostræ, humaniores dico, inexhaustæ propemodum ut eruditionis, ita & disquisitionis, addi & alii idem dictitantes possunt, & inter Græcos Aristophanes & Lucianus, & præter etiam hos Burdigalensis Ausonius, qui in Ternario suo versum Maronis sic expressit,

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.

Sed quod erat præcipue in quæstione, *Triglam*, etiam Dianam appellatam non dicunt. Et ut redeam

deam ad Eustathium ejusque verba, quæ adducis, nec ille iis *Triglam* Dianam nuncupatam ait, sed sacrum fuisse Dianæ *Triglam* piscem, qui Latinis *mullus* appellatur. Cur autem illi sacer fuit? an ut vult Charicides a te laudatus, quia triglis sive mullis Hecate delectabatur? Et iterum cur delectabatur? an quia apud inferos, ut Erasmus habet, Hecatæ cœna vilibus piscibus, ut erant mænades triglæque, perficiebatur? At Erasme doctissime, triglane sive mullus adeo tibi vilis, qui teste apud Macrobium nostrum Sammonico septem millibus nummum Romæ divendebatur? Quod autem Athenis locus fuerit *Trigla* dictus, & inibi Hecatæ simulachrum cum inscriptione *Hecatæ Triglathenæ*, hic an *Hecatæ Mullominervæ*, an ut legisse videtur Erasmus *Hecatæ Triglatinæ* reddendum ecquis docebit? Jam quas adducis notationes & quod simile aliquid sonat τρίγλα cum τριοδῖτι, & *trigono*, quis illa ut vera etyma probabit? Sed mitto hæc haud fortasse magis expedienda nobis, quam Grammatico illi, qui cum omnes solvere posset, ut refert Suetonius, quæstiones, unum difficile expediebat nomen. Interim clarum certumque esto amari a me Vossium, & ut id mutuo fiat porro semperque optare. Eat hæc ad egregium illud doctumque responsum tuum super quæsito de loco Eustathii meo, sed Laconice, & e lectulo. Nam & Musas Musæumque respicere quomodo in afflictissima hac valetudine possem? Hardervici. 23. Martii 1639.

T. Joh. Isacius Pontanus.

EPIST. XXXVII.

Viro Clarissimo Dn. Joh. Isacio Pontano

PETRUS CUNÆUS S. D.

Commendatur ad Professionem Everardi filius Gerardus Bronchorst.

Vir Clarissime, Scripsi nuper ad nobilissimum virum D. Henricum ab Essen illustris Gymnasii vestri Curatorem, eique significavi, quam sit præstanti doctrina, animique indole & industria D. Gerardus Bronchorstius, clarissimi viri Dn. Everardi Bronchorstii, collegæ quondam nostri filius, plane ut e re atque ex honore illustris vestri Gymnasii fore videretur, si is apud vos professione juris publici fungeretur. Idem ad te ut scriberem nunc fecit summa humanitas tua, qua fretus etiam atque etiam a te peto, ut pro ea, qua vales, gratia & auctoritate præclarum hunc juvenem ornare, collegisque tuis, viris clarissimis, commendare velis. Rem feceris non modo mihi gratissimam, jucundissimamque, sed etiam illustri Gymnasio vestro apprime utilem. Nam & ad famam ejus momentum aliquod habebit paterni nominis splendor, & ipse vigilantia sua ac propriis animi dotibus, ut confido, omnium explebit exspectationem. Vale vir celeberrime & clarissimum collegam tuum D. Henricum a Diest meis verbis saluta. Lugduni Batavorum IX. April. 1628.

EPIST.

EPIST. XXXVIII.

Viro Clariss. Dn. Petro Cunæo I. C.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Professores creati idem Gerardus Bronchorst & Antonius Matthæus.

Clarissime Vir Literis tuis humanissimis, quibus me superiori mense Aprili salutare voluisti, ac simul commendare de nota meliori D. Doctorem Everardum Bronchorstium, collegæ vestri τοῦ μακαρείτου filium, ut in locum defuncti collegæ nostri, legum Professoris D. Balckii surrogaretur, nunc demum, re feliciter & ad optatum vobis nobisque finem perducta, respondeo. Est enim a Velavicæ tetrarchiæ Deputatis nostrique Gymnasii Curatoribus atque Ephoris, consentientibus omnium suffragiis, electus ac designatus ad juris atque ethices ordinariam professionem doctor idem Gerardus Bronchorstius, ut & doctor Antonius Matthæus, uterque clarissimorum jurisconsultorum, & hic quidem præstantissimi parentis Antonii Matthæi, qui hodieque in vivis Groningæ agit, ille defuncti clarissimi Doctoris Everardi Bronchorstii, Professoris olim, dum fata Deusque sinebant, Academiæ vestræ, filius. Nec dubitamus, quin & quisque eorum, si non, uti inquit ille, passibus æquis, saltem æmulatione atque affectu omni sequetur ac referet patrem. Quod reliquum est, Deus Opt. Max. conatibus eorum ac studiis adsit, eaque ad nominis sui laudatissimi gloriam ac juventutis multifa-

tifa-

tisarium profectum dirigat ac promoveat. Qui & te, vir Clarissime, incolumem ac florentem diu servet ac prosperet. Resalutat quam diligentissime, quem salutatum volebas, collega noster Doctor Diesthius. Dabam Hardervici 13. Maji 1628.

EPIST. XXXIX.

Gerardo Joanni Vossio V.C.L.

JOHANNES ISACIUS PONTANUS

De Q. Curtii ætate.

Clarissime & amicissime Vossi. Nescio quid huc usque tardarit me, feceritque de die in diem differre libelli hujus, quem hic habes, missionem. Libelli inquam, tibi proprie debiti, & qui Curtium, eloquentissimum, & ore omnium laudatissimum historicum manuali ista ac portatili forma tibi exhibet. Cui & binas ad te epistolas meas, sive judicium de eo potius nostrum sub calcem adjeci, tanquam exiguum quid, & quod alibi non ibi tractari fusius amat. Et agnosces si rem propius inspexeris, quod innuo, vocem *Ducatus* peculiarem esse authoribus illis, qui post Vespasiani ævum claruerunt, tum & usurpari subinde iis *suum* pro *ejus*. Suetonium vide elegantissimum alias scriptorem, ut Justinum, Capitolinum, aliosque præteream, nonne apud eum utrumque obvium: nonne similiter apud Curtium nostrum? Nam *Ducatus* vocula legitur diserte lib. Curtii 10. & *suus* pro *ejus* apud Suetonium

nium obſervaſſe & annotaſſe ut & apud Curtium memini. Deinde ſi notetur Curtiana Taciti manifeſta imitatio, imo tranſcriptio, quæ non ſemel occurrit, mihique eſt obſervata, quis eum authorem Tacito anteriorem dicat? aut hunc tantum authorem ex eo deſcripſiſſe quis ſuſpicari aut objicere audeat: Sane ex Taciti de Germania libello, qui ſcriptus & evulgatus putatur Nerva adhuc vivo, nonne diſerte hauſta Curtii iſta? *ibi namque columnas Herculis eſſe fama vulgaverat.* De eodem enim Hercule ita Tacitus loco jam dicto, *ſupereſſe adhuc columnas Herculis fama vulgaverat.* Et illud quoque ejuſdem Curtii *lib.* 3. *fama bella ſtare*, & *lib.* 8. *fama enim bella conſtant*, ex eadem Taciti Germania ſumptum, ubi Tacitus, *ipſa plerumque fama bella profligant.* Ex hiſtoriarum libris tractum occurrit iſtud, ubi *ſtolidæ audaciæ* Brinio dicitur. Nam Curtius idem æmulatus Belonem quendam *ſtolida audacia ferocem* inquit *lib.* VI. Sed de quibus initio dicere cœperam, in eodem Curtio ſunt idiomata etiam alia, pluraque illi ſeculo & ſcriptoribus veluti propria, quæ omitto brevitatis cauſa, obſecrans reſecranſque. ut hoc quiquid eſt æqui facias, & me ut ſoles ames tui viciſſim amantiſſimum. Certo autem tibi perſuaſum habe ventilaſſe hæc me aut ventilare *Lib.* 10. *Curt.*

Non tam certandi ſtudio quam propter amorem,
Quo tibi non cedet, qui tamen ingenio,
Libenſque cedit literis, induſtria.

Dabam Hardervici CIↃ. IↃC. XXVIII.

Ma-

Macrobium noſtrum a Joh. Maire recuſum ab eodem Maire tibi nomine noſtro traditum exiſtimo.

EPIST. XL.

Viro Clariſſ. Stephano Johannis Stephanio

JOH. ISACIUS PONTANUS S. P. D.

De ludis Iulenſibus. Opinio Wormii examinatur. Populares pro ruſticis.

Mihi tuæ literæ, mi Stephane, recte redditæ. Ex quibus ſollicitudinem tuam, ſive, ut ſic appellem, reverentiam compellandi me ſtatim ſub initium earum perſpexi, præſertim ubi idonei argumenti copia parum ſuppetat. Nam de acceptione literarum & ejusmodi ſolummodo reſcribere, ubi neceſſitas nulla aut momentum in earum redditione eſt poſitum, inane eſſe & ſupervacuum tecum ſentio. Volupe igitur nunc fuit ex iiſdem illis tuis intellexiſſe redditum tibi eſſe album tuum, & gratum fuiſſe, quod in eo, ut verbo Catulliano dicam, conſcribillaveram. De auctione etiam & eam fuiſſe celebratam ante redditas meas quod addis, quodque D. Voſſio iſtas ipſemet coram reddideris, lubens ſimiliter percepi. Non item quod Curtiana illa editione noſtra te præteritum quereris. Faciamque & ecce jam facio miſſione ejuſdem libelli, ut id quicquid ſit ſcrupuli ex animo eruatur tuo, idque ſine cicatrice. Et ita fere factum jam confido. Ad cardinem vero tuæ reſponſionis ut veniam placent, quæ

quæ ex literis Clarissimi viri D. Olai Wormii mihi ipsiusmet verbis transcribis de *Juli* vocula ludisque illis nostratium *Julensibus*, quorum aliquando in literis ad te meis mentionem injeceram. Sed ad ea priusquam propius respondeo notanda quædam sunt, quæ referuntur quasi a me profecta, cum eorum meminisse in literis illis ad te meis, aut ita meminisse, conscius mihi haud sum. Nam Plinius *cap.* 7. *lib.* 31. qui adducitur quasi a me in testimonium vocatus ad ostendendum per avellanæ filamenta *Julos* intellectos eum me librum & locum indicasse non recordor, nec quicquam etiam ejusmodi ibi vel per somnium Plinius; sed Plinii librum citasse me puto *decimum sextum cap. xxix.* ubi diserte hæc Plinius: *Ferunt & avellanæ julos compactili callo ad nihil utiles*; ubi eleganter *callum* appellat viride illud circa avellanæ nucis cervicem dense adnatum & in filamenta quasi exiens. Quod autem deinde refertur, quasi verno tempore eos ludos Julenses celebratos velim, non exputare possum, unde id haustum, cum in apographo literarum ea de re mearum hæc inveniam: *qui aut celebrantur post impleta jam Cerere horrea, aut quod novus jam annus ac vernum tempus instet, quo Cereri denuo faciendum operandumque.* Ubi tantum abest, ut ad vernum tempus eos ludos referam, ut ne ad novum quidem annum traham, sed ante eum, & anni illius novi, ac verni exinde temporis instantis spe inchoari illos clare innuam. Quodque infertur postremo, quasi ego ex voculæ hujus Græcanicæ cum Danica nostrate convenientia, qua hi ludi

ludi exprimuntur, voluerim conclusum a Græcis ortos hos ludos, nec menti meæ nec verbis examussim respondet: qui diserte ea ad te epistola certum habere me scripsi ad jubilationem & lætitiam ttmporis exprimendam id quicquid est vocis nostratis *Juli* formatum, & proxime accedere. *Juli* vocem Græcis Latinisque authoribus frequentatam, & illos quidem ea lætitiæ hymnum seu cantum intellexisse, quo Cererem præcipue celebrabant, cantilenas autem & hymnos nec omnino abesse a Julensibus illis nostratium ludis etiam ipse Wormius fatetur; licet maxima ex parte sine illis peragantur. Itaque *Juli* vocem hilaritati dicatam olim apud Græcos fuisse hinc satis ostensum existimavi, & ut hoc etiam constaret, perplures e Græcia ad Danos defluxisse voces, adductis aliquot, iisdem in literis meis demonstravi. Quibus addi velim, quod in notis nostris Macrobianis ex Censorino adolescentuli olim notavimus, vocabulum ὧρος Græcis annum significans usurpari eodem sensu etiam Danis, cum non ut Germani Belgæque *jaer*, sed propius ad Græcum accedentes *aar* sive *Oor* dicunt. Iam igitur ad ipsam rem ut veniam reprehensionem elegantissimi alias Wormii haud magnopere incursurum me putem, si præter ea quæ vulgo allata sunt ad etymon & originem vocis propius enodandam aliquid attulero, nec alienum, ut existimo, nec prius dictum. Nam illud de Iulio Cæsare, quod huc usque & communiter jactatum habetur, & a Vormio defenditur, quomodo id per omnia rei congruum nec longe

longe nimis petitum persuadere omnibus poterit? Sane præter ceteros illustris ille heros & eruditæ nobilitatis Danicæ ornamentum Tycho Brahe felicis memoriæ, quod ex ipso non semel audivi, semper eam improbabat sententiam, etiamsi recepta esset, & e suggesto subinde in sacris concionibus, cum de Christi nativitate verba publice fierent, a verbi divini ministro populariter depromeretur. Sed, inquit Wormius, eam opinionem confirmant, præter communem literatorum nostrorum consensum citati ex antiquissima membrana rhytmi; antiquitates variæ, tempus, quo nostri exhibentur ludi, cum Saturnaliorum feriis plane idem, ritus ipsi &c. Quod ad communem Daniæ litteratorum consensum, de eo jam aliquid dictum, & nisi invidiosum esset, præter insignem illum Tychonem adduci & alii possent. Rhytmi vero, qui intelliguntur, sunt isti:

Omnes censum Cæsari præter Gothi dabant,
Mandatis imperii soli reclamabant,
In honorem Julii Jul celebrabant.

In quibus quid suspiciendum tantopere, nisi insignis contradictio, dum Gothos solos mandatis Cæsaris reclamasse ferunt, & eosdem tamen in honorem Cæsaris Julii Jul celebrare? Eaque contradictio, ut alia nunc omittam, nonne ejusmodi est, ut merito eam membranam, unde ii versus deptompti, suspectam reddat. Nec magis etiam est classicum, quod præmittit iisdem rhytmis Doctor Wormius de Julio eodem Cæsare, eum devictis Britannis Danos quoque sub jugum imperii Romani redigere tentasse, sed fama gen-

tis bellicosæ deterritum esse, atque ideo missis legatis fœdera iniisse hac conditione, ut in hujus rei memoriam annuatim, sole Capricornum ingrediente, ludos solemnes *Julios* celebrarent. Nam si hæc ita se habeant, & constans apud nostrates de eo, ut Wormius refert, fama sit, unde nata aut hausta ea? si ex fama tantummodo, nonne evanida ut plurimum illa, & quæ ut fallit ita & fallitur. Nam libri, & relatio ipsius Cæsaris, aut alii, qui res Cæsaris scripserunt, nihil hujusmodi commemorant. Quamvis enim ad historicorum indubitatam fidem provocet Wormius, quamvis moneat cum Tacito in vita Agricolæ conferendum eundem de moribus Germanorum, ubi de Cimbris disserit, & ingentes Cæsaris minas versas in ludibrium ait, sciendum eo loci non Cæsarem Julium, de quo paulo ante dixerat, sed C. Cæsarem Caligulam, & falsum, ut loquitur de eodem in vita Agricolæ, triumphum intelligi. Cajus enim Caligula, ut est apud Suetonium *cap.* 46 quasi perpetraturus bellum directa acie in littore Oceani circa Rhenum, ac ballistis machinisque expositis, nemine gnaro ac opinante, quid cœpturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque ac sinus replerent imperavit, *spolia Oceani* vocans, Capitolio, Palatioque, ac triumpho debita. Hæ sunt minæ, de quibus ibi Tacitus, has in ludibrium versas innuit, & exprimit clare quarto historiarum, ubi de patre Brinionis agens inquit eum *Cajanarum expeditionum ludibrium* impune sprevisse, & iterum de eodem Cajo in vita Agricolæ; *Agitasse C. Cæsarem de intranda*

Bri-

Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Saturnaliorum vero tempus quod tempori, quo celebrantur apud nostrates ludi Iulii, respondeat, nihil id juvat, aut adserit hos ludos Cæsari Iulio aut ejus nomini originem debere, cum constet Saturnaliorum initia ac vetustatem ipso non modo Cæsare Iulio, sed ipsa Roma esse antiquiorem, & hoc solemne, ut loquitur noster Macrobius, in Græcia primum cœpisse, testante Accio in Annalibus, cujus hi versus ab eodem Macrobio adducuntur *Lib. 1. cap. 7. Saturnal.*

Maxima pars Grajum Saturno & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronica esse iterantur ab illis,
Eumque diem celebrant: per agros urbesque per omnes Leg. *Emque.*
Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos: nostrique itidem. Et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Interim recte observatum concedo tempus utriusque solennis convenire, & ante Ianuarium mensem inchoari. Sed & hoc observari velim ab *Ope* Saturni conjuge *Opalia* tum simul celebrata, & utrique tam Saturno quam Opi hoc sacrum factum, quod Saturnus ejusque uxor tam frugum quam fructuum repertores esse credantur. Et hinc est quod ait Macrobius de utroque loquens: *Deam Opem Saturni conjugem crediderunt, & ideo hoc mense Saturnalia itemque Opalia celebrari, quod Saturnus ejusque uxor tam frugum*

quam fructuum repertores habeantur. *Itaque omni jam fetu agrorum coacto ab hominibus hos dies coli quasi vitæ cultioris auctores: quos etiam nonnullis cœlum ac terram esse persuasum est, Saturnumque a satu dictum, cujus causa de cœlo est, & terram Opem, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur, vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur.* Unde non absone sed rei omnino convenienter in epistola ad te mea, ubi de *Juli* voce verba primitus feci, Eratosthenis versiculus Græcus adductus fuit, Latineque expressus in hunc modum,

Farque parans salsum scitos cantabat Julos.

Nam ut dixi tum simul & locum ex Athenæo & Theodorito adduxi *Julus* proprie Cæsari canebatur notante id quoque in Animadversionibus suis *lib.* 15. *cap.* 5. eruditissimo Hadriano Iunio, qui & varias præterea ejus vocis significationes ibi adducit. Habes mi Stephane & mentem & responsum meum ad ea, quæ ex viri præstantissimi & clarissimi Doctoris Olai Wormii epistola huc spectantia tuæ inseruisti. Amo vero moderationem viri optimi, qui ingenue suam sententiam depromens alios, quomodo postrema ejus verba a te citata habent, suo tamen abundare sensu concedit. Quod & ego in re præsertim tam obscura, & a memoria nostra adeo remota, adeoque documentis omnibus, quæ fidem adstruant, destituta, sequutus hæc & his priora ita in medium attuli, ut in medio etiam relicta velim, donec adducantur certiora. Sed dum hic sumus ne quod domi nobis est foris præ-

præpostere quæsivisse arguamur, ipsam, quo hi ludi panguntur, mensis nomenclaturam vernaculam inspiciamus nonnihil propius. Et ecce Decembri, ut dictum, mense cum inchoentur, & in duodecimum usque Januarii continuentur, certe, ut habet Beda, antiquitus non December modo, qui Danis nobis *Julmaendt*, Suecis est *Julamonat*, sed & December & Januarius *Guili* sive *Guilimaandt* Anglis appellatus, idque ut idem Beda rectissime addit a solis conversione. Est enim *Guili* sive *Wiel* hodieque Teutonicis omnibus rota, sive orbiculus versatilis, & quicquid in orbem convertitur, unde & *Wielinge* vortex. Dani literarum levi metathesi similiter rotam *hiul* dicunt, ut ita Anglorum veterum *Guilimaent* & Danorum *Julemaendt*, sive *Hiulemaendt*, unum idemque sit, utpote cum ejusdem uterque gentis, Angli Danique, quod alibi est demonstratum, unus sit populus, linguaque in pluribus consentiant. Plebs vero ceterique passim, quia hoc fere tempore a laboribus ad ferias se transferunt, seque tota propemodum bruma lusionibus ac plausibus oblectant, aliorsum vocem *Jul* seu *Jule*, qua lætitiæ exercitia omnia, & jubilationes, festivitatemque expressas voluerunt, non traxerunt. En quam simplex oratio veritas. Et absque Beda fuisset, qui hucusque sinistra aliorum interpretatione intellectus hac parte non est, hoc egregium antiquitatis monumentum in obscuro etiamnum delituisset. Quamvis haud diffitear non displicuisse alias ad solis stationem seu quietem eam vocem re-

referre, quod & solstitium hibernum eo tempore, & *hiule* quiescere etiam Danis significet: a quo nec abhorruisse popularem nostrum eruditissimum Wormium comperior. Verum ab ea recedere sententia me Beda fecit, qui diserte non a solis statione sed conversione deducit, ad eam scilicet solis τροπὴν ac reflectionem, ut videtur, respiciens, quæ in Tropico Capricorni fit, dum ibi se sol ex imo ad superiora convertit & erigit, cum & Tropicus & τροπὴ vox nihil aliud quam conversionem Græcis notet. Scaliger etiam in Beda Anglo-Saxone non *Guili*, sed *Giuli*, quod Danis hæsit, legisse videtur, quod non aliter quam τροπικὸν vertit Bedam sequutus, ut videre est in libris ejus de *Emendatione temporum p.* 163. Sed tu mi Stephani fortasse jam dices? amphora cœpit institui, currente rota cur urceus exit! Itaque finem faciam. Tu vero, vir Ornatissime, ex animo salvebis, ac simul præstantissimum Mathematicum Johannem Laurenbergium, quem ex Academia regia Sorana appulisse ad vos, mihique salutem nunciare significas meo vicissim nomine resalutabis quam diligentissime, & nisi grave est ab eo per occasionem expiscaberis, num quas Danici regni chorographicas tabulas, & præsertim cujus aliquando spem fecit, Zelandiam nostram accuratius, quam huc usque est præstitum, delineatam secum attulerit.

P. S. Curtio quem promiseram, quemque mittere me superioribus meis indicavi, comitem ecce addo Justinum, obiter quoque a nobis recognitum, & ipso hoc temporis puncto, cum ista ad te

te destinamus, mihi a typographo transmissum Apud Saxonem nostrum quæ sæpenumero occurrit vox *popularium* pro rusticis, & iis qui agros colunt, & præsertim *lib.* 16. statim sub initium, ea tracta e Curtio. Videbis *lib.* 9. ubi inquit: *Phegelas rex, popularibus suis colere agros, ut assueverant, jussis, Alexandro cum donis occurrit.* Nec scio an alibi facile eo significatu reperias. Iterum vale, & si integrum tibi tuæque sic res ferant, istis diebus canicularibus, qui vobis feriati sunt huc advola conscenso Amstelodami sub vesperam equo, ut ille ait, ligneo, qui ibi prope novum pontem sub id temporis semper paratus adstat. Is te per campum illum cœruleum, qui Amstelodamum Hardervico dispescit, paucularum horarum spatio, & ante fortassis solis exortum, apud nos sistet &c. Ann. CIↃ. IↃC. XXVIII.

EPIST. XLI.

Stephano Johannis Stephanio Viro Clariss.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Obscurus Saxonis Grammatici locus explicatur. Quædam de Lada.

Literæ tuæ, mi Stephani, quas amico illi nostro perferendas ad me tradideras Amstelodami, hac ipsa mihi hora fuerunt redditæ, & opportune id quidem. Nam quæ iis adjeceras quoque melismata tua, ceteraque, ejusmodi sane fuere, quæ me suis deliciis, sed animum pascentibus ita avoca-

carunt, ut urbis ac platearum nundinales, qui modo sunt, strepitus exaudire haud siverint. Cœpi quoque inter hæc ipsa pressius cogitare de Lada, sive cursore, sive insula. Sed insulam ea epigraphe intelligi, & *Curatorem Ladæ* dici in modum, quo *Curator Illyrici* & similia dicuntur, obstare videtur exilitas, nec non incelebritas insulæ, ut omittam eam nec provinciam fuisse, ut Illyricum, nec momentum magnopere attulisse ad fulciendum statum ac rem Romanam. Saxo vero noster loco isto, *& nostras prospice chelas*, de quo superioribus tuis quærebas, manifesto imitatus videtur, aut saltem respexisse Lucanum. Cujus verba sunt *lib.* 1. *Pharsal. vers.* 659.

- - - - tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,
Quid tantum Gradive paras? nam mitis in alto
Juppiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius hæret,
Et cœlum Mars solus habet?

Chelæ itaque Saxoni pro *Scorpione* fortassean positæ, quod signum apud Astrologos est Martis, atque ita signo pro ipso Marte accepto invocandum ante omnia Mavortem domesticum cum Ruta vult adversus Hialtonem Suecum, cum Othinum Deum peregrinum sibi auxiliarem Biarco requireret. Qui quidem Othinus licet tota Europa titulo divinitatis censeretur, apud Upsalam tamen Succiæ metropolim crebriorem, ut ante dixerat Saxo, diversandi usum habebat. Biarconem idcirco non exteros Deos, sed suos & patrios respicere Ruta monet, si exitum certaminis auspicatum

catum experiri velit. Et id præcipue his verbis innui existimo, *& nostras prospice chelas*, tum & illis, quæ ab ipso Biarcone prolata paulo ante,

Et nunc ille ubi sit, vulgo qui dicitur Othin,
Armipotens, uno semper contentus ocello,
Dic mihi Ruta precor usquam si conspicis illum.

Quibus continuo respondens Ruta inquit,

Adde oculum propius, & nostras prospice chelas

Quasi diceret non est quod Othinum requiras invocesque, nostrum potius auxilium, nostrosque ac proprios Deos respice &c. Hæc fortean vera loci mens, de quo tamen ita statuo, si & tibi idem videatur. Nam sequentia exinde apud Saxonem si propius inspiciantur, videtur iis Biarco non Othinum ut Deum sibi auxiliarem requirere, sed potius ipsius præsentiam exoptare, ut cum eo manus conserat, & virium periculum faciat. Ita enim inquit,

Si potero horrendum Friggæ spectare maritum.

Ubi Friggæ maritus ipsus est Ochinus teste passim Saxone. At vir Clarissimus ὁ μακαρίτης Andreas Vellejus ita est interpretatus, quasi dixisset Ruta, Tu Biarco frustra es, dum vana gentilium numina invocas, attolle modo oculos in cœlum unde omnis victoria proficiscitur. Simplex hæc interpretatio, & talis ut plurimum veritatis oratio. Quod denique ex Martialis editione postrema de Pudente adfers opido gratum fuit. Nam ego cum ista de eodem Pudente traderem ad manus editionem eam non habui, hoc solum agens, ut quid Camdeno jam dudum super eo visum fuerit, Poëtæ interpretibus postliminio constaret.

Plura adderem, ſed alia nunc alio vocant. Salvebis igitur & valebis quam feliciſſime. Si Hagam hinc eo fortaſſis Leidam tranſiens te videbo. Iterum vale. Dabam raptim Amſtelodami ſub ipſam meridiem inter ſuperorum & inferorum ſtrepitus. Nam ut noſti ædes, in quibus hic diverto, ſub ipſa turris templi veteris ut vocant tintinnabula poſitæ &c. CIↃ. IↃC. XXVIII. XX. Septemb.

EPIST. XLII.

Petro Scriverio ſuo V. CL.

JOH. ISACIUS PONTANUS

De prælio inter Gelriæ & Iuliaci Duces. Tacitus emendatur.

Iniquiſſimo meo tempore, qui fuit dies ante heſternum, redditæ mihi fuerunt ex intervallo literæ tuæ, Scriveri optatiſſime, cum auditorium publicum & alia Gymnaſium noſtrum ſpectantia negotia me totum detinerent, ut de occupationibus nihil dicam ceteris, operaque, quam in horas a me repoſcit typographus. Nunc quod ad priora remiſſior nonnihil inſpicere eaſdem tuas ac relegere propius cœpi, comperique ſatyræ in modum res non unas complectentibus, nec uno etiam reſponderi modo debere. Nam de literis quod injicis ad me tuis, quodque ante menſem unum alterumve a me petieris, quid habeant annales ſeu monumenta, quæ penes me ſunt Gelrica,

ca, super conflictu inter Gelriæ ac Juliaci Duces Ann. 1444. eorum ad me nihil allatum memini. Carmen interea sive Elegidion tuum in honorem historiæ nostræ Gelricæ ad me per Stephanium nostrum Leida transmissum probe mihi redditum fuit. Nunc quod eam, de qua quæris, pugnam spectat, ea depugnata in ipso Juliaci territorio, cum Gelriæ Dux Arnoldus Egmondanus cognatum suum Bergensium Ducem Gerhardum, qui patruo Adolpho Bergensi improli succedens etiam Juliaci Ducatum retinebat, sibi infestum experiretur: Itaque congressi Duces, hic ad occupandum Adolpho defuncto Juliaci Principatum, ille ad eundem sibi retinendum. Eoque in prælio Gelris adverso præter cæsos captivorum nomina, quod scire expetis, fuere Guilielmus Egmondanus Ducis frater, D. Iohannes de Broechuisen, D. Henricus de Mera, D. Everhardus de Wile, aliique. Desiderati domicellus, ita scribitur, Gerhartus de Weerdenburch, Wernerus de Santwijck, Jacobus de Waderick. Perperam habent tuæ literæ *Vander-Ryckius.* Hodie ea familia adhuc superstes, sive familiæ potius vocabulum, quod contractius effertur. *Warick* enim vulgo pronunciant. Tuum nunc erit docere me, unde & quem sequutus Chronologum sis, qui ejus vice *Vander Ryckium* tibi suggesserit. Nam nec Hollandiæ annales, quos inspexi, nec Heda quicquam habent, quod eo ducat. Iam de Poëmatio, similiter ad Danicam historiam, quod nihil polliceri audes, ego vero non ambigo & ei operi adfuturum Apollinem tuum etiam non magnopere

pere vocatum. Caseos Leidenses binos cumino insperſos mihi deſtinatos in ædibus ſervari tuis, dum inveteraſcunt, libens accipio, & eos aut eorum alterum expectando expectabo.

Defunctum jam me putabam, cum depoſiturum literas tuas revocas, atque emendationes addis aliquot in Tacitum, quæ mihi ſane perplacuerunt. Et maxime poſtrema illa palmaria & primo loco collocanda, ubi pro vocula *Piſo* reponis *ipſe*, Senecam noſtrum Philoſophum & Tragicum intelligens. Et ſi propius inſpiciamus, præpoſtera literarum collocatio dormitantis librarii, aut ex proxime præcedentibus verſiculis perperam repetentis vocabulum *Piſo* iſtud, qualecunque eſt, manifeſtum vitium induxit. Et ut placuerunt iſta, ita affecit haud ſimplice vice Elegia elegantiſſima amici noſtri Caſp. Barlæi, a te Belgice reddita, nam te ſive interpretem ſive tuo loquentem Marte reſpiciam libet dicere.

Lib. 15. annal.

Et vate interpres dignuſque interprete vates.

Uno peccaſti, quod me tam ſero eſſe participem ejus volueris

Defraudans genium tui ſodalis
Iſtis deliciiſque ferculiſque
Et quidem Batavis ſed eruditis.
Et quæ vel tuus ipſe Martialis
Auris diceret eſſe non Batavæ,
Aut aurem ſibi poſceret Batavam.

Tacitum meum minuſcula forma ut primo quoque tempore obtineas, operam navabo. Librum tuum MS. apud Conſulem Brinckium, ubi ſit, inqui-

quiram aut inquisivi, sed ejus se esse nescium ait. Tu mi optime quam feliciter vive valeque. Dabam Hardervici CIↃ. IↃC. XXX. XIX. Mart.

EPIST. XLIII.
JACOBO REVIO
JOH. ISACIUS PONTANUS

De loco Apocalypseos cap. ult. vers. 20.

Redeunte domum, qui has tibi exhibet, ornatissime Revi, studioso nostrate, atque efflagitante, siquid curatum vellem, arripui occasionem, teque ex intervallo salutandum existimavi. Et maxime cum hisce diebus viderim apud typographum nostrum Laurentii Vallæ Annotationes in N. Test. a te diligenter non modo lectas relectasque, sed & annotatas. Inter cetera inspexi locum, qui est Novi istius Testamenti ultimus, ultimo nimirum cap. Apocalyps. vers. 20. Ubi Bezæ editio habet, quæ prodiit cum grandioribus Annotationibus, ναὶ ἔρχομαι ταχὺ, Ἀμὴν. καὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ, vertitque, *etiam venio cito, Amen. Veni igitur domine Jesu*, ut καὶ pro νῦν accipiatur. Vulgatæ versiones Latinæ habent omisso ναὶ sive *etiam: Veni domine Jesu.* Quod tamen jure reprehendit Valla tuus, cum & ante verbum *Venio* & ante quoque verbum *Veni* sit in Codicibus omnibus Græcanicis ναὶ, *etiam*. Quid itaque est? Non intellecta scilicet interpretibus huc usque vis vocis ναὶ turbellas hic dedit. Et retinenda omnino ea, utpote in Codicibus passim

Græcis,

Græcis, ut testatur præter Vallam etiam Erasmus, utrobique constanter expressa. Sed haudquaquam per *etiam* vel *igitur*, ut Beza, qui insuper pro ναὶ nimis licenter loco ultimo ναὶ substituit, exponenda, quasi nimirum affirmantis tantum vel assentientis esset, cum obsecrantis præsertim hic vox sit, vertendumque, *Quæso veni domine Jesu*, quemadmodum eandem emphasin in lingua nostra vernacula habet, eleganterque effertur, *Ei lieve*. Ut ita vernacula nostra versio, quæ utrobique retinuit, *etiam*, habetque; *jae ick kome haestelijck, Amen. Jae komt Heere Jesu*, ad formam & modum jam dictum verti debeat, *jae ick kome haestelijck, Amen. Ei komt Heere Jesu*. Ubi primo loco est affirmantis, altero obsecrantis. Et hanc esse vim voculæ hujus ναὶ, præter significationes usitatas, nec Stephanus, nec ii, qui in N. T. lexica evulgarunt, videntur observasse. Solus eruditissimus ille Casaubonus, seculi Phœnix, a Græcis authoribus non semel ita usurpari ναὶ, pro eo inquam, quod Latine dicimus *obsecro*, *amabo*, *quæso*, ostendit ex Euripidis, Hippolyti, & Aristophanis *Nubibus*, *libr. item Epigramm. Græcorum* VII. Et explicat similiter ad eam formam quod est apud Matthæum *cap.* 15. *vers.* 27. ναὶ κύριε, ubi vulgo quoque, *Etiam Domine*, sed perperam interpretati sunt, cum debuissent *amabo*, *quæso Domine*, & Belgice, *Ei Heere*. Et *versu* quoque 20. *epistola ad Philemonem* haud aliter, ναὶ ἀδελφὲ, *Ei broeder*, quo habent versiones vernaculæ omnes, *Jae broeder*, & Latinæ *ita* vel *etiam frater*. Eundem significatum obtinet Hebræorum

bræorum quoque NA, & præsertim *Hosanna* nihil aliud significat, quam *serva quæso*, & *serva amabo*. Cur autem malis mutatum titulum apud Laurentium Vallam & pro *Annotationes* reponi *Collationes*, vel, ut est in frontispicio statim a te rescriptum, *Laur. Vallæ viri Clarissimi de Collatione Novi Testamenti*, doceri aveo. Rationes enim tibi esse, quæ me fugiunt, nullus dubito. Harderv. CIↃ.IↃC.XXX.

EPIST. XLIV.
Eidem
JOH. ISACIUS PONTANUS
S. P.

De edendis iis qui scripserunt ad Novum Testamentum.

Non erat otium fere dicam scalpendis auribus, cum tamen ad te, mi optime Revi, istas destinandas judicarem. Ne scilicet in ære manerem, aut ut verius loquar, ne tuæ petitioni, quam postremis tuis ad me de loco Casauboni inserueras, ullo pacto minus satisfecisse videar. Est igitur, quod petis, usus istius voculæ *ναὶ*, a me in literis ad te meis superioribus indicatus, luculenter expressus in notis, quas edidit jam olim dictus Casaubonus ad Novum Testamentum, excusis Ann. 1587. apud Eustathium Vignon. Essetque optandum, ut illæ accuratissimæ Casauboni notæ una cum Laurentio Valla tuo, itemque Francisci Lucæ Brugensis minoribus

bus Annotatis, ut & Antonii Nebrissensis & Ioachimi Camerarii & aliorum, quæ habentur, uno corpore ederentur. Et addi, si ita videretur, istis haud incommode possint, quæcunque postmodum literatores ac Critici majorum gentium Victorius, Turnebus, Cujacius, Scaliger, & ejus generis alii sparsim observarunt huc spectantia. Hæc sane junctim ac uno fasce comprehensa egregium ac justum corpus conficerent. Nec dubitandum, quin ad gustum hoc opus esset omnibus, qui sacra profanaque literatura ducuntur, ut omittam emolumentum, quod inde redundaret, ad typographos quidem pecuniarium, sed ad Theologiæ genuinæ studiosos universos profectus ac doctrinæ maximum atque inæstimabile. Huic operi te choragum atque auspicem facio, dignaque Sparta hæc, quam omnibus ingenii nervis excolas, utpote qui Græcas Musas cum Latinis Camænis, & utrasque cum lingua sancta sacrisque scripturis conjungere curæ habes. Huc itaque, mi Revi, ne surdo cantasse videar, totus atque actutum accingere, ac operi manum injice, habiturus non applausores modo, sed adjutores quoque, & in iis me vel inter primos. Nec deero monendo, dirigendo, quantum scilicet onus sive onera potius, ac labores, quos ut nosti Ætna propemodum graviores sustineo, per intervalla & serenitates concedent. Dab. Hardervici XVII. Mart. 1630.

EPIST.

EPIST. XLV.

Constantino l'Empereur V. CL.

JOH. ISACIUS PONTANUS

De vite aurea, quæ in templo Hierosolymis. De loco Flori lib. 3. cap. 5.

Librum tuum de templo Hierosolymitano, deque ejusdem mensuris recte mihi reddidit, cui ad me perferendum dederas, filius Bacchovii nostri. Gratias debeo, & referam, ubi erit occasio. Inspexi obiter, inspecturus postea, aliaque, quantum licebit, propius consideraturus, quæ ad rem spectare videbuntur. Nunc illud in mentem venit, silentio haudquaquam transmittendum, calumniatos olim scriptores illos gentium Judæorum nationem, quod vitem auream in atrio sui templi colerent, quasi Bacchi veneratores, & qui Deum non haberent præter Liberum illum patrem. Taciti verba sunt: *Sacerdotes Judæorum tibia tympanisque concinebant; vitisque aurea templo reperta Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt.* Quæ opinio etiam Petrarchæ fuit diffuse posita & firmata ab eo *lib.* 4. *Symposiac. quæst.* 5. *sub fin.* Sed & Josephum audi de vite hac ita loquentem: *Pompejus cum Damascum venisset, legati ad eum venerunt, ex omni Syria, Ægypto, Judæa. Misit vero illi insigne donum Aristobulus vitem auream pretii quingentorum talentorum. Cujus doni Strabo etiam Cappadox meminit &c. quod vidimus etiam nos Ro-*

mæ dedicatum in templo Jovis Capitolini cum inscriptione Alexandri Judæorum regis, æstimabaturque quingentis talentis. Hinc & Zonaras: *Non multo post Pompejo Damascum profecto, cum multis aliis e locis tum e Judæa legati venerunt vitem auream, munus Aristobuli ferentes, quingentûm talentorum, quam se Josephus Romæ vidisse asserit in Capitolio dedicatam.* Quibus ex locis omnibus, & magis si accessisset tua isthæc Talmudis Babylonici interpretatio, & locus præsertim, qui est libri tui *pag.* 130. *Vitis aurea expandebatur super portam templi, erigebaturque super canterios &c.* colligi perfacile potuisset legenda Flori verba ad hoc exemplar *cap.* 5. *lib.* 3. *Hierosolyma defendere tentavere Judæi. Verum hæc quoque intravit* (Pompejus) *& vidit grande illud impiæ gentis arcanum sub aureo vitem cœlo.* Ecce vitem hanc auream *grande arcanum appellat*, de quo, quia festino, Salmasii aliorumque videndæ conjecturæ. Quibus meo judicio præponderat CL. V. Iusti Lipsii lectio jam posita. Te vero, mi amice, multum amo, quod ejusmodi curis studiisque ætatem oblectas, volatilem ac fugitivam, nisi talibus firmetur, & ut ille loquitur procudatur. Dabam raptim Hardervici CIↃ. IↃC. XXX. VIII. Kal. Aug.

EPIST.

EPIST. XLVI.

Marco Zuerio Boxhornio cognato suo

JOH. ISACIUS PONTANUS S.

De Zuerii Boxhornii Republ. Moscovitica. De aliarum editione.

Priores tuæ & alteræ istis diebus cum Republica Moscovitica mihi probe fuerunt redditæ. Studium tuum laudo, & specimen dedisti, quod indicium mihi præbet fœcundi tui ingenii, & ætatis progressu majora daturi. Nunc, ut obiter hoc interjiciam, memoratur in illa Republica *p.* 132. ex epistola ad Davidem Chytræum, juvenem, cui favet puella, propinquos tres quatuorve ablegare, qui parentes de elocanda puella interpellent &c. Quæ sane pugnant cum verbis, quæ habet ibidem syntagma tuum de moribus eorundem Moscorum *p.* 256. ubi, ut verba præferunt, *inhonestum & turpe est adolescenti ambire puellam, ut sibi in matrimonium locetur. Patris est juvenem alloqui, ut ducat filiam suam &c.* Et memini ante annos plures in Dania degens advenisse ad id exemplum legatos magni Moscorum Ducis, cui, nisi fallor, Fedro Borisio nomen erat, qui ejus ac filiæ ipsius nomine Ducem Johannem Regis hujus Serenissimi Christiani IV. fratrem maritum peterent. Qui & eo profectus ante consummatas nuptias in urbe Moscova diem obiit. Porro ad Rempublicam quod attinet Platonicam, non existimo latere te summam doctri-

næ de Republica & legibus Platonis esse jam olim congestam a Joh. Sleydano, & anno 1608. Hanoviæ apud Guil. Antonium cum ceteris Sleidani minoribus opusculis recusam. Sed & Platonicæ Reipublicæ non abs re esset si adjungeres Platonicæ non absimilem clari viri Thomæ Mori Utopiam, atque ultimo loco Angli similiter cujusdam, cujus nomen me fugit, quem edidit ante annos aliquot libellum, qui inscriptus *Mundus alter & idem*. Mi cognate plura tecum vellem, sed avocant alia. Tu, mi perdilecte, cum avo tuo, viro reverendo D. Boxhornio valebis quam felicissime. Dabam raptim Hardervici IX. Augusti 1630.

EPIST. XLVII.

De Cluverii Germania H. Grotii judicium.

Clarissimo eruditissimoque viro

JOHANNI ISACIO PONTANO

Quod judicium meum, Vir Clarissime, de Cluverii Germanicis Antiquitatibus exquiris, facis tu quidem benigne & pro veteri in me affectu: sed parum nosti miseriam meam, quem negotia multa magis quam magna ita divexant, ut non modo ingentia illa volumina, sed minores quoque libellos legere interdum vix liceat. Neque tamen tantum in me juris habent molestissimæ occupationes, ut non sæpe animo repetam ævi mei partem dulcissimam, quam in amænioribus studiis magna cum voluptate exegi. Tan-

tóque

toque plus illis annis debere me ſentio, quod amicos mihi dederunt plures ac fideliores quam unquam daturæ ſint iſtæ quotidianæ vexationes. Eos autem inter amicos non ignoras te locum e præcipuis obtinere, ſi te meque noſti: me quidem alienorum ſtudiorum integerrimum fautorem, te vero inter literatos nomen inſigne tuo merito conſecutum. Sed tamen quantum Germaniam Cluverianam inſpexi, non poſſum non probare diligentiam, quæ egregii aliquid ſolet parturire, ubi vires ſuas colligens uni operi affigitur. Cæterum etſi aliquid remiſiſſe videtur de ferocia, quæ in libello antehac edito apparebat, multum tamen audaciæ retinet. Cujus inſigne documentum eſt, quod ſæpe voces delet, aut immutat, nullis librorum veſtigiis, ſola ingenii ſui fiducia. Deprehendendi quoque alios magna eum tenet prurigo. Quem morbum eo patientius in ipſo, qui vivunt, ferre debent, quod Cæſar, quod Strabo, aliique præſtantiſſimi auctores ſæpe ab illo ſupinæ ignorantiæ aguntur rei, cum quibus una culpari id vero mihi videtur eſſe laudari. Ad ea quæ ſigillatim attingis, ut veniam: *rebelles* in libro tuo ſcriptum pro *imbelles* caſu, non autem malitia, (ut ipſe interpretatur) æquo judici facile apparet, cum in ea mutatione nullum ſit poſitum momentum ad eam quidem quæ inter vos agitatur controverſiam. Venerem apud Germanos in propatulo exercitam mihi non perſuadet Cæſaris locus, nec quæ de magna corporis parte nuda ait Cæſar ulterius quam ad lacertos & pectus trahenda ſunt. Quanquam ergo occultabantur ea

partes, quas sibi pudor secrevit, ea tamen erat vestitus ratio, ut gravidæ latere non possent. In Taciti de pellibus loco nullam video mutandi necessitatem, cum satis sit commoda quam adfers interpretatio. In altero de Frisiis Verrito & Malorige, quod substituit Cluverius, *in qua tum Germani rebellabant*, nullum habet tolerabilem sensum. Nam cum Germanorum voce ipsos Frisios intelligat, non potuit nisi admodum insulse dici in Frisiorum natione Germanos, hoc est, Frisios rebellasse. Non fert hunc loquendi modum sensus communis nedum Taciti σεμνότης. Contra vero Florentini codicis lectio omni oraculo certior. Regebant Frisios Verritus & Malorix, hoc est, principatum obtinebant: non profecto qualis tum Romæ erat principatus αὐτεξούσιος, ἀνυπεύθυνος, sed qualis notus Germanorum populis. *In quantum Germani regnantur*, ἐφ' ὅσον ἔθνος τοῖς γερμανοῖς βασιλεύεται. Ut principum & regum voces sæpe usurpant promiscue auctores, ita & regi & regnari, sed plerunque additis vocibus, quæ tollant τὸ ἀμφίβολον. *Trans Lygios Gothones regnantur paulo jam adductius, quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Ipse ergo Tacitus Germanos in universum atque in iis Frisios regnari tradit, sed laxe & multum infra libertatem. Neque aliud est quod voce illa *in quantum* indicatum voluit. In conventus Germanorum, qui pace habebantur (de armatis conventibus, qui ipsi sunt exercitus, hunc non disputo) non admissos e plebe singulos multa mihi persuadent: Primum vicorum, pagorumque, regimen erat non penes plebem to-

tam,

tam, sed penes principes & delectos e plebe, quos comites principum Tacitus, Cæsar magistratus, distincto a principibus nomine, appellat. Jam vero ut e pagis natio aut civitas constabat, ita ratio ostendit eos, qui singulatim pagis præerant, collectos toti civitati præfuisse. Nam ut ad totum corpus reipublicæ regendum vocentur, qui a partibus sunt exclusi, inauditum arbitror. Apud Gallos Germanorum consanguineos plebem consilio non adhibitam cum dicat Cæsar sequitur multitudinem apud eundem auctorem intelligi debere ingentem numerum eorum, qui vicis pagisque præerant. Strabo sane cum ἀριστοκρατικὰς dixerit πολιτείας, & subiungat electionem factam ὑπὸ τοῦ πλήθους, non potest meo quidem judicio aliud πλῆθος quam multorum principum comitumque in unum congregatorum intelligere. Morem autem apud Gallos omnes, apud Belgas certe, Cluverio quoque fatente, receptum a Græcis Massiliensibus velle deducere perquam frigidum est. Adde jam quod historiæ, quæ Romanam magnitudinem proxime sequuntur, & perpetua consuetudo earum nationum quæ in veteribus institutis semper mansere, ostendit non omnes in concilium vocatos, sed solos principes, hoc est, nobiles, & e plebe quosdam, aut judicio delectos, aut certe eos, qui latissime agros possiderent. Hæc quidem mihi videntur, quæ si necesse sit firmare possum pluribus argumentis, paratus tamen certiora monstrantibus cedere. De Mosæ autem cursu, de fossa Corbulonis, deque aliis multis ejusmodi habeo, qui Cluverium refellam, non conjecturis profecto,

 sed

ſed publicæ fidei documentis. Mirum ſane ſi a Corbulone facta eſt foſſa, quæ Rotterodamum ducit, quam nos ſcimus ante annos quadringentos plane non exſtitiſſe. Verum hæc atque alia ejuſmodi facilius poſſem ſiquis opus habeat indicare, quam ipſe qua decet cura perſequi. Nam de Antiquitate Batavica recudenda quod mones, cogito jamdudum, ſed melius otium ſemper exſpectanti tempus efiluit, ita ut jam prope ad omnem talis rei deſperationem adducar, niſi me ſupra ſpem Deus reſpexerit. Tu cui nulla obſtant mentis bonæ impedimenta, hiſtoriam veterem novamque & res patriæ noſtræ potes qua oportet diligentia & inquirere & expromere, ego tibi adiutorem ſi qua poſſum, ſin hoc nequeo, lectorem certe præſtabo, & quidem eruditionis tuæ tam reverentem, quam eſſe quiſquam poteſt. Vale vir Clariſſime. Rotterodami xx. Jan. CIↃ. IↃC. XVI.

Tuus

H. GROTIUS.

EPIST. XLVIII.

Marco Zuerio Boxhornio.

JOH. ISACIUS PONTANUS S. P.

Dordrechti originatio. Zuerii Boxhornii Hollandiæ deſcriptio.

Redditæ mihi ſunt, ornatiſſime cognate, una cum generali Hollandiæ deſcriptione tua etiam

etiam literæ tuæ, ex quibus præter alia intelligo, ut verba habent tua, originationem Dordrechti indubitatam judicare te eam, ut scilicet dictum fuerit Dordrechtum, quasi Diderichsdrechtum, quia Baldericus Noviomensis *lib.* 3. *Chronici Cameracensis cap.* 9. diserte testatur Didericum tertium Arnulphi filium municipium fecisse eo in loco, qui Merveda ab incolis vocatur, ubi videlicet Mosa & Wal fluvius de Rheno effluens pariter corrivantur. At dubitari posset an id municipii hocce Dordrechtum fuerit, & an de suo nomine ita nuncupari Theodoricus Dordrechtum voluerit, cum id traditum nuspiam reperiamus, nec admodum alludat vocabulum. Et alias ostendit, inque *Variis suis Lectionibus* nuper docuit felicis memoriæ I. Rutgersius, ipsemet Dordrechtanus, ad *Dortæ* fluentum conditum, & inde dictum *Dordrechtum*, & ejus fluvioli etiamnum superesse nomenclationem in proxima *Dortsmunda*. Quocirca id præcipue facto opus, isto præsertim opusculo, quod doctis indoctisque scribitur, ut in controversis ejusmodi ordine referatur, quid quisque olim & hodie statuerit, atque inde modeste, & sine ullius insectatione subjungatur, siquid prioribus habeas exactius laudatiusque. Quem etiam in finem remitto priores pagellas dictæ generalis descriptionis tuæ, ut pressius singula tua cum iis, quæ ad oram adjeci, conferas perpendasque. Remitto etiam pagellas superiores, quæ Harlemum & Delphos continent, additis tabulis, quarta & quinta, quas missurum me nuper promiseram. Tu singula propius inspicies. Nam

per puncta hic tantum nonnulla notamus, quæ deduci possunt, ubi id locus exigit. Amsterodamum meum & chorographica puto tibi ad manum esse. Sed ibi subinde & maxime in Dissertationibus Chorographicis res ipsa & argumentum, & quicum mihi res erat adversarius efflagitavit, ut ad disputationes me effunderem: hic parcius, imo vix fieri velim, & si fiat, fiat quomodo jam dixi. *Non disceptari sed vult res ista doceri.* Otium nunc non suppetit, ut reliqua tua pervolvam, fiet tamen data proxime ejus copia. Interea quod addis multis modo negotiis te distineri, & rem tibi esse cum Ethices quodam Professore extraordinario, velim in memoriam tibi revoces, esse te adhuc juvenem, imo adolescentem, & ejusmodi, ut vult communis noster præceptor Aristoteles, haudquaquam idoneos haberi Ethices auditores. Quicquid agas, vide ne dum alium petis, tibimet obsis. Vale mi Cognate & salve cum avo totaque vestra familia. Raptim Hardervici 7. Mart. 1631. Quod adjeci ludicrum diestribuendum pro cujusque inscriptione.

EPIST. XLIX.

Viro Reverendo Jacobo Revio

JOH. ISACIUS PONTANUS.

Utrum Ignatius episcopus Antiochiæ a Petro secundus. In ecclesia primitiva vox templum vix usitata. Ecclesiam an Tertullianus usurpet etiam pro loco. Dom. Dominicum.

Quod promiseram jam pridem tot districtus, quas non ignoras, ornatissime Revi, occupatio-

pationibus, mitto ecce, vel remitto potius, clarissimi viri, Professoris vestri, D. Vedelii Ignatium. Qui sane egregiam illi Auctori navavit operam. Et esset optandum eo in genere plures & similes extare nobis Commentarios. Nam Ignatius sine ea luce chaos sit merum, & mare scopulis plenum, in quos impingere necessum sit, quicunque navigare id tentet hac helice ac cynosura destitutus. Notabam *Exercitat. xi. cap.* I. ubi demonstrare Vedelius conatur contra Baronium, non fuisse Petrum episcopum Antiochenum proxime ante Ignatium, omitti, qui est in Lucam *homil.* VI. locum Origenis. Qui tamen referri non tantum eo sed etiam refutari merebatur, cum ibi manifeste Antiochenæ ecclesiæ episcopus a Petro secundus memoretur Ignatius. Ita enim diserte Origines: *Unde eleganter in cujusdam martyris epistola scriptum repperi, Ignatium dico, episcopum Antiochiæ post Petrum secundum &c.* Qui inquam locus adduci eadem Exercitatione vel ideo merebatur, ut simul refutaretur, cum præsertim alibi, sed alio in argumento eum D. Vedelius non omiserit, & pag. præsertim 145. *Append. in epist. ad Philippens.* Templi vero vocem refugisse primos Christianos satis luculenter adversus Pontificios ostendisse eodem Commentario Vedelium existimo. Quod autem *p.* 75. ex nullo locorum Tertulliani necessario inferri posse putat ecclesiam ab eo pro loco sumi nescio an contrarium suadeat locus, qui est *lib. de Idolol. cap.* 7. ubi hæc legas: *Tota die in hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in ecclesiam venire,*

nire, de adversarii officina in domum Dei. Ubi quod priori loco *ecclesiam* in sequenti *domum* vocat. Cyprianus *Dominicum* dixit *libr. de Elemosyn. In Dominicum sine sacrificio venis.* Deque vocabulo isto remansit aut fluxit vox nostras, qui *Dom* templum hodieque dicimus, ut *de Dom van Coln, de Dom van Utrecht.* Et est notabilis quoque locus Hieronymi, qui Christianorum basilicas agnovit. Sunt enim verba ejus adversus Vigilantium: *Dormitantius &c. cum Juliano persequutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Add. & verba Ammiani Marcellini, qui scriptor gentilis templa Christianorum fere semper *ecclesias* nominat. De quo egisse nos alibi memini.

Vid. Orig. Francic. *lib.* VI.

Hæc scripseram, cum ad aures meas accidit obiisse apud vos egregium Philosophum Davidem Scanderum, & vacare jam eam cathedram Professore suo orbatam. Si de novo asciscendo cogitabit Amplissimus vester magistratus non verebor commendare vobis ac suggerere Gisbertum Gulielmium meo calculo jam ante, sed serius, cum ei jam esset loco destinatus Scanderus, commendatum seorsim tibi de nota meliori. Qui & modo editione Effatorum suorum Philosophicorum etiam semetipse commendabit. Nec ambigam eam si nactus Spartam fuerit, quin & ornamento ei futurus, & operam quoque studiosæ pubi perutilem ac gratam sit navaturus. Plura non addam. Tu, mi Revi, quam feliciter vive valeque salutatus una cum elegantissimo Vedelio facie non mente mihi ignoto quam diligentissime. Dab. Harderv. 3. Septembr. 1631.

EPIST.

EPIST. L.

V. CL. Lamberto Goris Reip. Neomagensis Syndico JOH. ISACIUS PONTANUS

De Neomago nonnulla. An alius atque alius Gerardus Noviomagus & Gerardus Geldenhaurius.

Distuli ad te & tuas responsum mittere, quod propius nonnulla inspicienda erant, & locus præsertim, quem ex Baronii annalibus de Neomago adducebas. Eum ad annum non, ut posuisti, 830. sed in sequentem a nobis notatum in Gelricis nostris, Deo volente, reperies. Deque Neomago nostro nec alio accipiendum eodem loco annotasse memini. Notas porro tuas marginales, qnas addidisti Merulæ nostri Neomago inspexi quoque inspiciamque deinceps per otium propius. In his præter cetera haud temere obvium sit, quod de jure & prærogativis refers civitatum quatuor, quas vulgo capitales sive *Hooftsteden* nominamus. Et verba item notabilia sunt, quæ adducis, Caroli V. Imp. quibus Neomagum inter eas recenset, quæ Belgicarum habentur præcipuæ. Quæ ego suo loco retexam singula, ubi id agere ac retractare, quæ alias super hac urbe concepi, mihi proposuerim. Nec omittam conferre, quæ habet in Republica sua Belgica, quem nominas, Johannes Latius. Eum ego videre nondum potui aliis identidem avocantibus. Quod vero Gerhar-

hardum Geldenhaurium Neomagensem alium ac recentiorem existimas ab eo, qui vulgo Gerhardus Noviomagus nominatur, ac coætaneus Erasmo fuit, quomodo in eam sententiam pedibus eam, præsertim cum hæc tam recepta sit opinio, ut de ea vix dubitare liceat? At ais vixisse Geldenhaurium tum adhuc, cum postremum in potestatem Ordinum reduceretur urbs Neomagensium, & eo tempore edidisse, quod tibi constet, libellum Theologicum de quibusdam capitibus religionis. Hic Rhodus, hic saltus. At facile solvi jam nodus possit, modo liber iste ad manus esset & inspiceretur propius. Nam hic Gerh. Geldenhaurius Neomagus historiæ Batavicæ, ut vocant, editor in præfatione suorum Opusculorum ait se multis annis vixisse in familia Philippi a Burgundia, familiarem fuisse Peutingero, collegisse ante annos triginta, quæ ad insulæ Batavorum illustrationem pertinerent. Et vero claruisse ævo Caroli Egmondani Gelriæ Ducis, ac edidisse Batavica ista, quæ habemus, ætatis anno sexagesimo, eaque anno Christi 1541. Marpurgi ex officina Egenolphi prodiisse ex eadem præfatione ut & aliunde sat constat. Hic igitur quomodo potuerit tot post annos nostro tempore quidquam commentatus esse de religionis nostræ controversiis? Nam si tum, id est, anno Christi 1541. fuerit sexagenarius, ille anno 1590. & cum in Ordinum fœderatorum potestatem reduceretur Neomagum seculum & ultra compleverit. Quod autem ultimo injicis citare Geldenhaurium in historia sua Batavica *ex libris Noviomagi*, nec ideo posse

esse

esse eum Gerhardum Neomagum Erasmo coævum, id facile erit solvere ex eo, quod aliæ editiones, & in his V. CL. P. Scriverii *ex libris meis* ibi legat. Quamvis & retineri haud incommode queat *ex libris Noviomagi*, quia libellus is totus est cento ex variis constans authoribus, ut ita non absone dicatur, ex libris Noviomagi de viris Illustribus, quod omisso Noviomagi nomine quæri alias possit, quis esset is Auctor de viris illustribus inferioris Germaniæ. Hæc raptim hoc tempore, alias & otio meliore uberius. Hardervici 1631.

EPIST. LI.

Viro Clariss. Dn. Joh. Isacio Pontano
CONSTANTINUS HUYGENS

Zevecotii laus.

Turpis & infandi silentii reus, ad binas literas, quibus, cum singulis muneribus, non audeo reminisci quando, me compellasti, vir doctissime, cum nec frontis mihi nec facundiæ satis invenirem, quâ te tam grandi intervallo alloqui sustinerem, rogavi præstantiss: Collegam tuum J. Zevecotium, cum Hagæ nuper me adiret, ut verbis quam posset aptissimis ornatissimisque infamis negligentiæ culpam diluere conaretur. Quo num officio fungi meminerit, nondum scio. Fretus tamen humanitate tuâ, tandem te convenire audeo, unum illud postulans, ut severe calculum ne ponas cum homine occupato, à quo, ut apud Sene-

Senecam legisse puto, (libri enim hic ad manum non sunt) inter omnes constat nullam rem bene exerceri posse: quando districtus animus nihil altius repetit sed omnia velut inculcata respuit. Patere igitur, ut licet serò serio has tibi gratias agam; qui impertire mihi, etiam secundo, dignatus sis præclaræ eruditionis & ingenii tui fœtus, ne certior quidem a me factus, an priores accepissem. Quâ illud causâ neglectum vel dilatum fuerit, non ordior dicere: longa esset fabula, & ambages silentio molestiores. Summa est, mei me juris non esse; qui, ut scio alibi scripsisse Philosophum, quem jam allegavi, *in alienorum bonorum* (Reip. nimirum) *procuratione consenesco*. Neque ullo modo paria facere valeo cum tot literatis amicis, qui me, pro humanitate sua, frequenti literarum commercio exercent. Si censeri inter illos vis, quibuscum & loquendi & tacendi laxâ libertate uti & abuti audeo, jam te inter intimos numerabo, atque ut idem de me statuas obnixe postulabo. Vale, vir Amplissime & nunc quoque, inter tot rerum non felicium avocamenta sic loquentem, quasi taceam, excusatum habe. In castris ad Bergopzomium. ips. Cal. Quint. CIƆ. IƆC. XXXIIX. Salutem, si commodum est, Zeyecotio multam à me dici cupio, fœcundi & vivacis ingenii viro. Quod cum spretis verborum inaniis solis rebus applicet, cujus rei in Florum nuper insigne specimen dedit, fieri non potest, quin quotidiè magno se & Remp. profectu ornet.

Tui studiosissimus
C. HUYGENS.

EPIST. LII.

Nobilissimo Amplissimoque Viro Constantino Hugenio Equiti, Zuylichemi Domino, Principi Arausionensi a consiliis & secretis.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Iidem an diversi Gotthi & Getæ, Daci & Dahæ. Ovidii sepulchrum ubi. Jutlandt unde.

Hagæ Comitis cum nuper adessem tibi ornatissime Hugeni, mihique legendum traderes, Heinsianum, qui Regi Suecorum Pio, Felici, ac Triumphatori, quam disertissime est dictus, Panegyricum, eundem die insequenti ad ædes tuas, itineri jam accinctus, ac domum rediturus, eo animo ipsemet & detuli, ne insalutato te abisse viderer, & simul ut aliquid de communibus studiis, & quid præsertim ea lectione profecissem, obiter tibi & ἐν παρόδῳ quasi referrem. Verum te absente, & commodum jam domum egresso, animi tamen mei sensum per literas aperiendum postliminio censui. Non quod in ea oratione, quæ supra laudem nostram assurgit, desiderem quippiam, sed quod in medio est positum, quodque diversi diverse accipiunt, propius expensum voluissem. Sunt enim qui Gothos *a* eosdem esse cum

a. Et *Gothi* scribunt & *Gotthi*. Frequentius tamen *Gotthi*. Procopius vocat γότθοι. *Gothones* vocat Tacitus

cum Getis statuunt, & ejus quoque sententiæ Cl rissimum esse Heinsium nostrum eo in Panegyrico animadverti existimantem, *qui*, sunt ejus verba *p.* 7. *Gothos a Getis disjungunt, antiquitate invita* id facere. At quinam illi ex antiquis, quibus hoc adsertum diserte? Reperio quidem Ludovicum Vivem in Prolegomenis ad librum Augustini de Civitate Dei hoc præterea agere, & ut rem factam accipere, qui sunt Gothi nuncupati ætate

citus *de morib. German. Trans Lygios Gothones regnantur paulo jam addictius, quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii &c. Guttones* Plinius *lib.* 4 *cap* 14. *& lib.* 37. *cap.* 7. *Gutas* Ptolemæus. Sed *Gutæ* & *Getæ* diversi. Etiam Getæ in Europa. Plutarch. *in Anton. cap.* 82. *Suasit, uti in Thraciam vel Macedoniam se reciperet, atque ibi terrestri prælio decertaret: nam & Dicomam Getarum regem magna auxilia polliceri.* Ovidius exul apud Getas. Getæ autem hi in Ponto. *Ut sumus in Ponto,* ait, *ter frigore constitit Ister.* Borysthenis partim accolæ, Daci, Walachi, Lituani. Et Lituani, si verum, quod Michael ab Isselt ait non procul a Kyovia inventum apud eos Ovidii sepulchrum. Verba notatu digna sunt, quæ apud eum occurrunt: *Cumque sex dierum itinere a Borysthene per vastissima loca progressi essent, in amœnam viridemque vallem venere. Erat in media valle fons limpidissimus, juxta hunc acinacibus suis evaginatis gramen, quod in eo loco copiosum erat, & crassum altumque demetere cœperunt, donec sarcophagum virgultis quisquiliisque tectum, & in eo literarum vestigia invenerunt, quibus a sordibus purgatis, epitaphium Ovidii legerunt. Erat autem hujusmodi:*

Hic situs est vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti Latia cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.

Sed

ætate posteriori, priorem Getas nuncupasse, & ideo poëtam Claudianum, cum de Gothis loqueretur, Getas eos nominasse, & Orosium in historia idem factitasse, ut & Hieronymum, qui Commentario in Genesim *Gothos* ab eruditis antiquis *Getas* nominatos testatur. Quibus postremo omnibus ætate est anterior Spartianus, idem in Antonino Caracalla affirmans, ne & Jornandem huc arcessam eodem abeuntem, sed ætate Hieronymo & Augustino longe inferiorem. At ita scripsisse

eos

Sed sit ita quid tum? Getæ qui in Europa an iidem qui Gotthi? An postquam ex Asia transmiserunt in Europam, qui olim Getæ, mox Gotthi? Ubi pictum aut scriptum hoc? Ubi quæso quod Getæ ad plagas porro Septentrionis, ut Melanthon vult *lib.* 1. *Chron. Carion.* sed destitutus auctoritate, mutatis sedibus progressi. Confundunt tamen non pauci. Confundit Gotthos cum Getis Albertus Abbas Stadensis, dum ad Ann. ccc. lxxx. *Prima*, inquit, *habitatio Gotthorum fuit Scythia juxta paludem Mæotidem, secunda in Mysia, tertia in Dacia, quarta juxta mare Ponticum.* Sed re exactius excussa rectius Gotthorum nomen tributum alii putant Getis eodem modo, quo nonnulli Maximilianum Imperatorem propter nominis allusionem Maximianum etiam vocant, ut Beat. Rhenanus ait in præfatione quam præmisit scriptoribus a se editis historiæ Gotthicæ. Et certe si *Gutæ*, si *Gothones* eodem tempore non minus noti quam Getæ, sequitur, quod iidem, cum provinciis sint multum dissiti, non sint Gotthi, qui Getæ. Phil. Cluver. *lib.* 3. *cap.* 34. Gotthi Scandiæ olim incolæ, mox accolæ maris Baltici, in Poloniam cum transissent, progressi paulatim ultra, in Pontum tandem pervenere, & loca illa occuparunt, quæ Getis antea habitat. Jornand. *de reb. Gotthic. cap.* 4. Conring. *de finib. imp. German. cap.* 18. *de orig. Helmstad. & de orig. jur. Germ. cap.* 5. Dous. *lib.* 1. *annal.*

eos mirum haud ſit, cum præter vocabuli ejuſdem haud magnam disjunctionem Gothi eorum authorum tempeſtate ſedibus ſuis primogeniis egreſſi in loca Getarum jam conceſſiſſent. Gothi dico, Germanica gens, Getis, non Germanico, ſed Scythico tum juncti populo. Unde argumentum haud evanidum deſumit Philippus Cluverius, nequaquam eſſe Gothos cum Getis eoſdem, quia *Getas* antiquiſſimi authores Strabo & Tacitus a Germanis disjungunt. At *Gothos* Germanicam eſſe gentem præter alios diſerte docet Tacitum proxime excipiens Ptolomæus, qui *Gutas* ſuo adhuc ſeculo, & longe ante ævum authorum, quos ſupra poſui, in Scandia agnoſcit, *Getas* eodem illo temporis tractu circa Pontum & Danubium ſeorſim collocans. *Gutas* autem Ptolomæi quis inficiari audeat eſſe *Gothos*, cum Dani & Suedi totuſque ille Septentrio, quos Latini Gothos *Gutas* hodieque appellet. Et quæ nobis Teutoniſque *Gothlandt* dicitur, illis non *Gothlant*, ſed *Gutlandt* & *Gullandt* appellatur. Quod argumentum in Chorographicis illis, quæ Danicæ noſtræ hiſtoriæ proxime ſunt addita, propius expreſſum, ſi iis quæ huc ſpectantia a Cluverio præſertim dicta habemus accedat, haud leve veritati momentum adferet. Nam ſi Ptolemæo *Guta* toto, quod

Holl Unde & factum haud dubie, quod & deinceps adhuc Gotthia circa Pontum Euxinum. Vita S. Stephani junioris in *Analectis Græcis. p.* 451. *Quæ ad acclive Ponti Euxini verſus Scythiæ provinciam jacent, Boſpherus, Cherſon, Nicopſis,* καὶ τὰ πρὸς τὴν Γοτθίαν Κοίλην ἀπαντῶντα. *& quæ in Gotthiam Cœlen porriguntur.* Matth.

quod dicitur, cœlo ac solo a Getis distantes collocentur, quis eandem gentem Gutas Getasque jure asserat? Quin errasse ac errare etiamnum doctissimos quosdam video, qui *Dahas* cum *Dacis* confundunt. Nam alios esse *Dahas* & alios vicissim *Dacos* idem similiter Ptolemæus, singulos diversis itidem tabulis ac thematibus exhibens, illos Parthis & Hircanis, hos Getis Danubioque conterminos ac vicinos faciens, ostendit. Nec dissimilis est eorum error, qui hodieque sequuti, ut videtur, Chronologorum quorundam ἀκυρολογίαν Danos *Dacos* appellant, cum Dani non magis *Daci* aut Dacorum gens, quam *Dahæ*, aut Gothi *Gutæ* sint, de quibus jam dictum. Quam tu Amplissime Constantine liberalis ingenii non illiberalem quæstiunculam æqui bonique facias rogo tui judicii tuique arbitrii factam. Dab. Hardervici 2. Cal. Novemb. 1632.

EPIST. LIII.

V. CL. Matthiæ Berneccero

JOH. ISACIUS PONTANUS

Justinus duobus locis correctus.

Clarissime vir, mentionem, nisi me omnia fallunt, honorificam non semel apud me tui fecit Suffridus Sixtinus, homo Frisius, Serenissimi Principis Mauritii Senioris Hassiæ Lantgravii his in oris Agens. Qui me superiori semestri Amstelodami cum essem conveniens de literis multa ac simul tui iterum iterumque meminit. Et ideo

avidius, quæ anno superiori prodiit, & nunc demum forte fortuna in manus meas venit, editionem tuam Justini arripui, unoque veluti spiritu, & quantum aliæ, quæ me jam annos plures alio trahunt, occupationes permitterent, raptim percurri. Quod autem referre *lib.* 38. *cap.* 3. Justinus videtur, quasi Mithridates, adversus Romanos belligeraturus, præter ceteros, qui nominantur Gallogræci, Sarmatæ, & Basternæ, etiam ad Cimbros auxilia petitum legatos miserit, ut habent passim editiones, id oportune mones suspectum esse, præsertim cum sequatur continue, Mithridatem gentes jam dictas variis beneficiorum muneribus jam ante sibi devinxisse, eæque Asiæ cum gentes sint, quomodo illis decore jungentur Cimbri, qui ad Boream pene extremus Germanorum est populus? Itaque addis placuisse Freinshemio pro *Cimbros* reponere Cimmerios, quia *cap.* 7. ejusdem hujus libri numeratur etiam regnum Bosphoranorum, qui Cimmerii sunt, Mithridati per munificentiam acquisitum. Quod quidem haud sane displiceret, nisi eo loco, quæ nominantur gentes, hereditariæ, ac propriæ essent Mithridatis, ad quas legatione magnopere opus non esset. Diserte enim ibi dicitur *hereditatibus* propter munificentiam acquisita possedisse cum extera regna, Colchos, Paphlagoniam, Bosphorum. Quocirca malim pro *Cimbros* isto loco legi *Iberos* hoc modo, *legatos ad Iberos, alios ad Gallogracos, & Sarmatas, Bastarnasque auxilium petitum mittit.* Iberi Asiæ Borealis Scythicus populus est, devictus a Pompejo, cum ille adversus Mithridatem

res

res gereret. Unde Florus *lib.* 3. *cap.* 5. *de bello Mithridatico : Itaque conversus* (Pompejus) *ad proximas gentes totum pene Orientem ac Septentrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani, & utraque sollicitantur Armenia.* Et statim eodem cap. *At in Septentrionem Scythicum iter tanquam in mari stellas sequutus, Colchos cecidit, ignovit Iberia, pepercit Albanis.* Recte igitur atque ordine Justinus Gallogræcis, qui Asiæ quoque minoris est populus, Iberos conjunxit. At sciolus, qui Iberos tantum Hispaniæ noverat, *Cimbros* eorum loco substituit. Sed de eo in historiæ nostræ Danicæ iterata editione tomi primi volente Numine aliquando fortassis uberius. Et hic dum sumus, est præterea apud Justinum insignis locus *lib.* 44. *cap.* ut habet interfectio editionis tuæ, IV. ubi de nepote agitur Regis Curetum Gargoris ex stupro filiæ concepto. *Sed per omnes casus fortuna quadam servatus ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione pervenit.* Quo loci quid est, *tot periculorum miseratione?* Et ecquis dubitet fuisse *tot periculorum iteratione.* Nam, ut vides, & observata quoque a te in hoc ipso tuo Justino similia menda, *m.* antecedentis voculæ perperam repetitum in sequenti occasionem mendo dedit. Scriptum etenim initio fuerat *miteratione*, atque inde enatum ultimo inficetum istud *miseratione*, ut omittam emendationem, quam posuimus, flagitare ipsum sensum. Hæc aliaque talia annotata jam olim mihi ad oram libri mei, & occasione elegantissimæ hujus editionis tuæ communicanda nunc tecum, si placere fortasse possint, propius

existimavi. Prodiit ante triennium, & quod excurrit, Justinus quoque, præter ceteros, ex mea qualicunque recensione forma minuscula, ac manuali apud Johannem Janssoninm bibliopolam Amsterodamensem, ubi notasse idem similiaque memini. Et modo editionem eam muneri tibi misissem, nisi gravarentur mercatores quicquam præter literas secum assumere. Fiet igitur alias, modo me doceas. quomodo hæc talia curanda ad te commode putes. Nunc per eundem Janssonium has mitto, ut traditæ Francofurti heredibus Lazari Zetzneri tibi exinde Argentorati reddantur. Ad me quodcunque voles per bibliopolas jam dictos Amsterodamenses curatum dabis. Interea, mi ornatissime Berneccere, quam feliciter valebis, & hanc παῤῥησίαν nostram boni consules. Quod fiet, si eadem vicissim utare, & nos de communibus studiis, & quid deinceps præ manibus habeas, certiores per occasionem facias. Iterum iterumque vale. Dab. Hardervici Gelrorum ipsis Cal. Sept. 1632.

EPIST. LIV.

Nobiliss. & Ampliss. Domino
Adriano Ploos ab Amstel. Dn. de Tienhoven
JOH. ISACIUS PONTANUS

Epitaphium, quod Adriano Papæ VI. *Tranquillus Molossus scripsit Poëta Cremonensis.*

Nobilissime Ploosi, Occasione versuum quos legi scriptos tibi missosque ab amico communi

in

in effigiem cognominis, & addo, popularis tui, Romani Pontificis Adriani Ultrajectini excitatus sum, ut epigramma unum alterumque, quod penes me est', Poëtæ Itali ac Adriano Pontifici coævi Tranquilli Molossi Cremonensis in ejusdem effigiem sive tumulum tuæ Amplitudini submitterem, præsertim cum versus sint non e trivio, & elogium ipsum, quo ornatur ab Italo Poëta, vix illud, sed nostrum potius cælum ac libertatem resipiat. Nomen Molossi Cremonensis demas, dices a Batavo aut aliquo nostratium scriptum, quos isti hæreticos vocant, & vivicomburio, ut ille loquitur, mactant. Et accedit, quod nuperrime clarissimus ille inter Italorum hodie eruditos Laurentius Pignorius Patavinus in epistolis suis symbolicis utrumque epigramma recitet, ac scriptum fateatur, ut ejus verba habent, non sine aculeo. Libellus ille Pignorii rarissimus est, ut solent fere ejusmodi ceimelia, impressus anno 1628. typis Joh. Baptistæ de Martines. Quod addo, ut etiam inde mireris libertatem usurpatam ab homine Patavino seu Veneto. Sunt autem versus isti:

Epitaphium Hadriani P. M. authore
Tranquillo Molosso Cremonense.

Quod bonus & recti custos, quod pacis amator
Corrector que aulæ luxuriantis eras,
Scilicet hac una causa vir sancte peristi,
Vixisses annos Nestoris improbior.

Aliud ejusdem.

Longior in terris ætas tibi sancte fuisset
Præsul ad innumeras prodita Olympiadas,

Si male vixisses. Brevius tibi contigit avum,
Exemplum raræ quod probitatis eras.

Dabam Hardervici Gelrorum pridie Cal. Januar. anni novi 1633. Qui ut tibi tuisque, vir Nobilissime, auspicatus felixque decurrat opto,

EPIST. LV.

Joh. Frederico Gronovio V. CL.

JOH. ISACIUS PONTANUS

De loco Senecæ libr. de Benefic.

Ornatissime Gronovi, inexpectato ad me venerunt literæ tuæ, quibus me quoque principibus illis Achivis (ita loqueris, intelligens eos, qui literas hodie colunt) permiscendum voluisti, cultum scilicet quem meæ famæ (iterum hæc verba tua) ac meritis devoveras, significaturus. Sed hæc majora quam in me agnoscam pede meo me metiens, ac gnarus, quam sit mihi curta supellex. Interim quod dixi, inexpectato mihi advenere tuæ, ac magis, quod nomen tuum mihi haud ante notum aut indicatum, ex iisdem tum primo didicerim. At nunc & nomen tuum & studium ita commendarunt, ut hoc literarum tuarum officium beneficium interpreter. Petis quid sentiam super locis aliquot Senecæ a te annotatis atque animadversis ex libris ejus de *Beneficiis*. Mihi vero serio placent singula, & maxime quæ medio loco posita animadversio tua, sensum, qui alias perobscurus est, clariorem evolvit. Gruterus,

rus, quem inspexi, quod ad conjecturam, quæ in ordine prima est, testatur se, quotquot viderit MSS. reperire in iis, aut reperisse, non *summis* aut *summissimis*, quod solus Lipsius adducit, sed *submissis honoribus*, & ea de locutione plura dixisse *lib.* 24. *cap.* 3. *Suspicion.* At cum *Suspicionum* librum vidisse me nunquam memini, qui plures novem aut decem ab eo editos ignoravi. Putem interim ita velle id accipere eum quasi *honoribus submissis* ad eam formam dictum sit, quemadmodum *fasces submittere* vulgo dicitur. Illius tamen phraseos exemplum ex authore classico desiderem. Sed ut dixi *Suspiciones* illas, ubi docuisse id se putat, non vidi, & ideo sententiam, ut ille loquitur, ampliabo, dicamque mihi necdum liquere, quamvis dum hic sum silentio præterire non possum legisse me apud Suetonium in *Caligula cap.* 26. dicendi formulam superiori illi, cujusmodi habent editiones fere omnes Senecæ, non dissimilem. Nam loquens ille de Senatu item urbis ab eodem C. Cæsare contemptim habito ait: *Nihil reverentior leniorque erga Senatum, quosdam summis honoribus functos ad essedum sibi occurrere togatos passus est. Summis honoribus functos* ait, non ut Lipsius absolute, *summis honoribus.* Et idem Suetonius cum id aliaque de C. Cæsaris ejusdem fastu & immanitate adversus summos viros referat, miror hocce Senecæ ab eo præteritum, nisi alio loco, qui me fortasse fugit ejus meminit. Sed ad verba Senecæ ut redeam ampliabo, ut innui, hoc tempore, te interea mi Gronovi, ut egregiis hujusmodi observationibus stabilire

atque

atque illustrare rem literariam pergas etiam atque etiam rogatum cupiens. Mihi vero ignosces, quod aliis aliisque oppido districtus brevior nunc fuerim, & ad hasce tuas de literis & Seneca præsertim agentes responsurus asymbolus venerim. Sed reservabimus nos & hæc aliaque talia libris, quos hoc in genere per otium paramus, Retractationum postliminio inserta. Dabam Hardervici Gelrorum III. Non. Iulii 1634.

EPIST. LVI.

Nicolao Vedelio Professori Theologiæ

JOH. ISACIUS PONTANUS

S. P.

De Vedelii tractatu de veteris ecclesiæ prudentia.

Quod grata tibi fuerint acceptaque poëmata mea, Clarissime Vedeli, ex literis tuis, quas attulit ad me nuper Isendornius noster, optatissimis, libenter intellexi. Et his ipsis quod tanto post intervallo nunc demum respondeam, multas adferre causas possum, sed omnes ejusmodi, quæ nescio an satis excusatum me apud te præstent, præter eam, quæ bibliopegum spectat. Cum enim libros incompactos invite volvam, accidit, ut tardius, quem ad me antidori loco miseras de veteris ecclesiæ prudentia commentarium tuum, ab eo compactum receperim. Et nunc in manus sumptum ubi legere cœpissem, vel extemplo significandum id tibi putavi, idque

præstare, quam ut tu responsum ulterius desiderares, & ego verborum tuorum Sirene delinitus identidem retentusque hoc ipsum differre cogerer. Significo igitur placere ac placuisse initium, ut inde de fine conjicias. *Dimidium facti qui bene cœpit habet.* Hortorque & author sum, ut huic parti etiam ceteras adjungas opusque corones. Damasi Papæ cum Ursicino dissidium, quod libri tui *p.* 41. *&* 42. quo usque legendo promoveram ex Rufino recitas, ego memoria tenebam enarratum graphice ac descriptum ab ethnico authore Ammiano Marcellino temporum eorum æquali. Is *libro* 27. rivalem Damasi Ursicinum vocat, & inter se *supra humanum modum* ad rapiendam episcopalem sedem ardentes conflictatos ait *adusque mortis vulnerumque discrimina.* Ita enim verba ipsius habent. Et idem suum deinde super eodem utriusque digladiantis episcopi ambitu judicium ac censuram subjiciens indicat, quæ tum ejus sedis paulo ultra annum Christi trecentesimum & magnificentia & luxus fuerit. Ita enim loquitur: *Neque ego abnuo ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium vive-*

viverent. Plura habet nec minus notatu digna de decessore Damasi Liberio, & alia insuper de Athanasio. Quæ singula aliaque, ne prolixior sim, ipse per te reperies, si id agere libuerit. Tu mi Vedeli ornatissime quam feliciter vive valeque. Dab. Hardervici postridie Cal. Maji 1634.

EPIST. LVII.

Clarissimo virorum Dn. Johanni Isacio Pontano

HISTORIOGRAPHO REGIO &c.

Cyprianus locis aliquot, Latinus Pacatus, & Claudianus emendantur.

Clarissime & Amicissime vir. Negotia quædam de transverso dies aliquot me detinuerunt, & muniis amicitiæ litterisque vetuere defungi. Secus exemplo submisso jam dudum fidem fecissemus tibi non in ineptam manum tradidisse te Cyprianum tuum. Reversus Amstelodamum adhibui editionem Pamelio-Goulartianam, & diligenter omnia vestigia persecutus sum. Illud videor animadvertisse Pamelium imparem Cypriano heroi congressum. Goulartius, nisi sibi religio materiam disputandi præbet, de textu plane securus fuit. Epist. ad Donatum, *tam re quam mente totus auditor es, & hoc amore quo diligis.* MSC. *quo ore quamte.* Restituenda elegans & antiqua locu-
MS. *est.* tio, *qua ore qua mente. Instar quoddam veneni, † ubi in letales succos dulcedine aspersa calliditate fallendi sa-*

sapore medicato poculum videtur esse quod sumitur; ubi epotaveris pernicies hausta grassatur. MSC. Pameliani, aut *epotatum est*, aut *epotavimus*, aut *epotandum est.* Quæ diversitas facile ostendit sanam parum vulgatam esse. MSC. tuus, *ubi epotares est.* Gemmulam lectionis habemus: *quod sumitur; ubi epota res est, pernicies hausta grassatur.* Sic apud Phædrum: *siqua res esset tibi.* Guntherus *libr.* 5. *Ligurini*:

Utraque vinetis exuberat, utraque pomis,
Piscibus atque ferit, & cunctis rebus edendis.

Possident ad hoc tantum, ne possidere alteri liceat. O nominum quanta diversitas: bona appellant, ex quibus nullas illis nisi ad res malas usus est. MSC. *liceat: & nominum.* Pamelius ait se conjunctionem *&* loco movisse. Male factum. Animanda distinctione sententia & legendum: *liceat: & (nominum quanta diversitas!) bona appellant &c.* Prope finem: *Sonet Psalmos sobrium convivium, & ut tibi tenax memoria est, vox canora, aggredere hoc munus &c.* Locum hunc prius corruptissimum ita a Manutio restitutum esse ait Pamelius. Qui aut valde fallor, aut falsi sunt. MSC. *Sonet psalmus sobrium convivium.* Græcismo elegantissimo; *Canatur psalmus, sed ita, ut sonus indicet in sobrio convivio cani.* Plura habebam, sed leviora tamen, quæ Cyprianum aut clariorem reddunt, aut certe suum ipsi restituunt. Hic gustus. Quod me monebas apud Latinum Pacatum alicubi pro *tenere tonare* legendum, ecce similiter a nobis sanatum Claudianum in *Consulatu Olybrii & Probini vers.* 208.

- - - - *signum dat summus hiulca*
Nube

Nube pater, gratamque facem per inane rotantes
Prospera vibrati tenuerant omnia nimbi.

Legendum omnino *tonnerunt*. Eleganter nimbi *tonare* dicuntur. Cujus contrarium apud Petronium: *ambitiosus detonuit imber*. Offendit librarios *Tonare* cum accusandi casu poni. Quasi non dictum Plinio *laudes patris tonas*. Horum omnium penes te sit judicium. Epistolam Vossius mihi tradidit & gratias ago. Vale vir magne & me ama, qui te colit & observat. Amstelodami, ὡς τάχος. Postridie Id. Januar. Juliani Ann. CIↃ. IↃC. XXXV. Tuæ Excell. devotiss. JOHAN. FREDER. GRONOVIUS.

EPIST. LVIII.

Eruditissimo & Humanissimo Iuveni Johanni Isacio Pontano nunc Cantabrigiæ in Anglia literis politioribus incumbenti sibi plurimum dilecto

TYCHO BRAHE S. P.

De studiis Astronomicis. De Lucretio quædam.

Ex literis tuis Cantabrigiæ 12. Novemb. anni præcedentis ad me datis, dilecte mi Ioannes Isacide, cognovi te nunc in Anglia degere, & literis humanioribus Criticisque operam navare. Non displicet mihi hoc studium, siquidem eo a Patre tuo olim sic educatus inclinare videris.

Ex-

Exhibebit Anglia multos in his commilitones, cum fertilis ſit liberalium ingeniorum & eloquentiæ inprimis deditorum. Admones de Anglico privilegio, & in eo procurando tuam offers voluntatem. Idque oportune admones, gratumque eſt quod offers. Quæſo itaque omnem moveas lapidem, ut illud mature obtineam, ſi ante feſtum Pentecoſtes vel paulo poſt id fieri queat; votis meis apprime reſponderet. Efficies id per aliquem primariæ auctoritatis in Sereniſſimæ Reginæ Eliſabethæ Cancellaria, quæ cum ſit inter Heroinas noſtri ſeculi non ſolum genere Regio ſplendidiſſima; ſed etiam varia doctrina, quod alias in hoc ſexu perrarum eſt, decoratiſſima, nihil addubito, quin doctrinis & ſtudiis liberalibus, præſertim Aſtronomicis; quæ, ut ait noſter Manilius;

Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes cœlo faſtigia rerum,

clementiſſime & impenſe faveat, ea promovere inter alias Regales curas non dedignetur. Quo vero generalis aliqua forma conſtet ſcribendi ejus diplomatis mitto exemplum Cæſareani, tum quoque Regis Scotorum. Ex quibus perſpicax conſcriptor facile modum reperiet, quo reliquum illud conſignandum ſit. Neque tamen opus eſt præeuntes omnino ſequi, ſed fertile Anglorum ingenium facile rationem inveniet, qua ſingula terſe & magnifice, ut artis regiæ promotioni accommoda & honorifica ſint, concipiantur. Pollicitus eſt olim optimæ memoriæ Daniel Rogerſius, amicus meus deſideratiſſimus (in quo eru-

ditio & humanitas pariter certabant) suum in tali privilegio procurando conscribendoque studium; quando is legatione nomine Serenissimæ Reginæ hic in Dania functus me semel atque iterum invisere non est digravatus. Sed cum fata nimis immatura hunc tantum nobis præripuerint, haud dubito, quin in Cancellaria Latina Reginæ successor aliquis ejus doctrinæ & virtuti non impar substitutus sit, cujus officio & beneficio id quod petimus privilegium non invite, uti spero, obtinebimus. Honorarium vicissim meo nomine gratitudinis ergo exhibendum offer & expone. Ego id quicquid erit, quam primum de eo certior redditus fuero, patri tuo Amstelrodamum, ut ille tibi, restitui curabo. Vide itaque, mi Isacide, nequa mora nostris desideriis, aut ulla alia impedimenta obveniant. Habebis me ad tibi vicissim gratificandum non difficilem, & quid expectandum sit mature significa. Ad quæstionem illam jocosam, & nonnihil Criticam antiqui Lucretii, cum is sectam Philosophorum Deos eorumque providentiam inficiantium profiteretur, Venerem nihilominus, Æneadum genitricem, primordio sui operis, ejusque opem imploret, non habeo serio dicere, quomodo hæc resolvenda sit, siquidem non ad Veneris sidus cœleste, quod nos una cum ceteris subinde scrutamur, sed ad terrestrem illam Venerem, Æneadum, uti fingebant Poëtæ, matrem, & aliorum quoque hominum genitricem pertineat: Cujus naturam & genealogiam Anglis ita perspectam esse existimo, tum quoque tuis Batavis, ut non opus sit Danos de

de his percontari. Meministi me solere dicere Anglos participare ex influentia potissimum ♀ ♃ ☿, unde alacres, mundi, & jocundi sunt, tum quoque ingeniosi pariter & fœcundi. Est igitur hæc quæstio licet non Angelica, Anglicana tamen & faceta. Quamobrem ab iis potius quam a nobis ejus enodationem edisces. Siquid tamen in his nostri valent lusus crediderim Lucretium ad imitationem aliorum Poëtarum sic exorsum esse, non quod revera aliquam Deam, quæ Venus appellaretur, aut ulla alia numina statueret. Ideoque sub hoc nomine voluptatem corpoream, quam etiam Deam subinde nuncupare non veretur, intellexisse arbitror. Verum tute cum aliis sodalibus hæc plenius dispicito. Ante omnia vero voluptatem animi vere Deam omnibus corporis illecebris anteponito. Sic te veræ Veneres, Charites, & Musæ nunquam intermorituræ perpetuo redamabunt, & sertis semper virentibus coronabunt. Vale & nostros in Anglia amicos, licet de facie non omnes notos, quos non paucos esse mihi persuadeo, diligenter ex me saluta. Inprimis optimum illum & reverendum senem virum excellentissimum, Thomam Diggæseum, si isthic locorum is degit. Obtinebunt hi & alii brevi nonnulla ex nostris Operibus, in quibus hos quoque permixtos Ducibus noscetur Olympi. Jamque iterum & multoties vale, mi Ioannes, & me sæpius tuis invise, hisque actutum rescribe. Raptim Uraniburgi die 25. Martii Anni 1596. Tycho Brahe, *Manu propria.*

Binas eodem hoc tempore ad te per diversos

homines misi literas, uti si alteræ intercideren;, unæ saltem ex his tibi traderentur. Quin & hasce ternas, ut res certior esset, addidi.

EPIST. LIX.

Viro Rev. Iacobo Revio
JOH. ISACIUS PONTANUS
S. P.

De loco Pauli ad Corinth. cap. 15. vers. 40. & seq.

Non erat quidem, mi Revi, otium hoc tempore pluribus tecum agere, tamen quia prolixæ tuæ ad me superioribus diebus Leida venerunt, id ne te fugeret, recte nimirum redditas eas mihi, hasce deproperandas existimavi, plenum tamen ad easdem responsum in aliud tempus & ubi coram dabitur differens. Interim cum in recognoscendis sacris Bibliis, quæ Belgice jam olim reddita totum te esse significes, hoc agendum inter cetera putem, ut ex iisdem tollantur ante omnia idiotismi, qui & plures ibi, quam herba irrigua, ut ille inquit, succrescit, uberrime. Eo quæ pertinent adferre omnia prolixius foret, nec charta ista caperet. Unum interim velut sub exemplo posuisse sufficit. Legitur priori ad Corinthios *cap. 15. vers. 40. & seq. Daar sijn hemelsche lichamen, ende daer sijn aertsche lichamen, maer een ander eerlicheit hebben de hemelsche, een ander de aertsche. Een ander eerlicheid heeft de Sonne, ende een ander eerlicheit heeft de Mane, ende een ander eerlicheit hebben de sterren. Want de eene sterre*

ſterre is van d'andere ſterre verſcheiden in eerlicheit. Quam in uno illo alteroque verſiculo cumulata, ſphalmata? & quidem ejuſmodi, quæ ſi aurem non modo, ſed & animum advertas, ſenſum evertant, nata ex idiotiſmo eorum, qui aſpiratam, ubi eſt, omittunt, ubi non eſt, vitio ſermonis adjiciunt. Nam ut aliud nobis *een eerlyck man*, & aliud viciſſim, *een heerlijck man*, ita hic non prius illud, ſed alterum cœleſtibus illis corporibus tribui debet. Sunt enim ea, ut Belgice hoc dicam, *in heerlicheyd verſcheiden.* Textus Græcus habet, ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ. Latinus textus, *ſtella a ſtella differt gloria.* Vel ut Beza, *ſtella a ſtella differt decore.* Et omnium optime Valla tuus, *ſtella a ſtella differt majeſtate.* Et eam ille retinendam ubique vocem hoc loco exiſtimat, pro, quod in Græco hic perpetuo eſt, δόξα. Ita igitur ſecundum eum reddemus. *Et corpora ſunt cœleſtia & corpora terreſtria, ſed alia cœleſtium majeſtas, alia vero terreſtrium. Alia majeſtas ſolis, & alia majeſtas Lunæ, & alia majeſtas ſtellarum. Stella enim a ſtella differt majeſtate.* Cui voci *majeſtatis* optime reſpondebit noſtras iſta *heerlicheyd.* Quæ omnino in poſſeſſionem hic transferenda, eliminata abſona illa & prorſus hoc loco inepta voce, *eerlicheid*, quæ in omnibus tamen quas vidi verſionibus noſtratibus perperam ac putide obtinet. Habes ſymbolam meam, mi Revi, alia alias perſcripſi. Et nuper Reverendo viro collegæ tuo D. Baudartio transmiſi quod huc ſpectaret. Accepiſſe non dubito. Tu eum aliosque amicos ſalutabis meo nomine ſalutatus & ipſe

quam diligenter. Dab. Hardervici Gelrorum. X. Cal. Aug. 1633. JOH. ISACIUS PONTANUS.

EPIST. LX.

V. CL. Matthiæ Berneggero

JOH. ISACIUS PONTANUS

De Q. Curtii ætate. Tentatur loci emendatio apud Curtium lib. 6.

Literæ tuæ, ornatiſſime Berneggere, quæ erant ſcriptæ Argentorati 20. & 30. April. mihi ſub exitum Maji probe fuerunt redditæ per Ianſſonium noſtrum. Ex iis intellexi, quæ quantaque mihi tribuas, quæ ego tenuitatis meæ conſcius in me non agnoſco, tuam tamen humanitatem exoſculor, meque pede meo metior. Florus Freinshemii, qui literas eaſdem tuas ſequebatur, ſimiliter ad manus meas recte fuit delatus, habeoque ingentes gratias elegantiſſimo Freinshemio, ut & tibi, humaniſſime Berneggere, qui me tam inſigni munere honeſtatum voluiſtis. Monui Janſſonium noſtrum, ut vobis viciſſim antidori loco, qui poſtremum prodiit, minuſcula forma, Plautum meum, itemque Curtium, curaret reddi. Efficiamque, Amſterodamum quamprimum venero, ut manu mea exemplaria illa notata ad vos perferantur: Et maxime Curtii nomine id velim, cujus propediem editionem ad formam Flori adornatam promittere te video, Etenim eum ego Authorem, non notis quidem ſed epiſtolis, una alterave ſub calcem additis

non

non Claudii & eo ævo, ut voluerunt huc usque viri docti, & nuperrime amicus olim noster Rutgersius, eumque secutus hodie clarissimus, idemque mihi amicissimus Ger. Joannes Vossius, sed longe inferiori, nec ante Nervam aut Trajanum scripsisse ostendo. Utramque epistolam videbis sub finem editionis istius meæ, quæ prodiit ex officina Iansonii Amstelodami Ann. 1628. Postea & tertiam ad eundem Vossium misi, quæ ibi non addita. Hac præcipue hoc idem ex stilo Curtii ac voculis demonstro, cujusmodi sunt *Ducatus* & aliæ tales non usurpatæ nisi authoribus istius, quod dixi, ævi, puta Suetonio, Floro, Justino, & siqui alii ætate Trajani & Hadriani claruere. Et denique post Tacitum aut illo seculo floruisse palam facere conatus sum ex Taciti manifesta imitatione. Cujusmodi inter ceteras qui ex libello de Germania, qui scriptus & evulgatus putatur, Nerva adhuc vivo est desumpta. Nam Tacitus ubi ait, *superesse adhuc Herculis columnas fama vulgaverat*, Curtius id repetens inquit *lib.* 10. *ibi namque columnas Herculis esse fama vulgaverat.* Et iterum Tacitus ibidem, *ipsa plerumque fama bella profligant.* Curtius autem *lib.* 3. ait, *fama bella stare*, & *lib.* 8. *fama enim bella constant.* Ex libris hist: ubi Tacito *lib.* 4. *stolida audacia Brinio* dicitur, traxit illud suum *lib.* 6. Curtius, ubi Belonem quendam *stolida audacia ferocem* inquit. Tacit. *Annal.* XIV. *Sed a Cæsare perfecto demum scelere magnitudo ejus intellecta est.* Idem imitatus Curtius *lib.* 8. *Rex postea quam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa magnitudinem facino-*

ris sera æstimatione perspexit. Et postremo, ut alios nunc omittam, quæ tu Ornatissime Berneggere propius hoc agens observabis, tota ea Alexandri navigationis periculosissimæ descriptio, quæ legitur apud Curtium *libr.* IX. adumbrata est ex verbis figuratis Taciti, quæ reperio *Annal. lib.* 2. ubi Germanicus ejusque miles classi impositus perque Amisiam Oceanum invectus similiter periclitatur. Nam illud Taciti *claudæ naves, raro remigio*, nonne diserte respexit Curtius, cum ait loco jam dicto, *clauda & inhabilia navigia*, ut & illa ejusdem ibidem, *quo navigia allevarentur*, nonne ex illo Taciti, *quo levarentur alvei*, manifeste formatum. Tum & Curtii illud eodem loco: *Dispersa classis partim in prealta aqua stabat, qua subsederant valles, partim in vado hærebat*, nonne respicit similiter hæc Taciti in eadem Germanici navigatione, *rapuit* (Auster) *disjecitque naves in aperta Oceani, aut insulas saxis abruptas, vel per occulta vada infestas?* Et iterum Tacitus ibidem, *quas naves raptim refectas misit*, Curtius, *navigia lacerata refici jubet.* Sed hæc in gustum. Tu, ut injeci, hoc agens plura indagabis. Sub ipsum vero finem *lib.* VI. reperies apud Curtium in omnibus, quos vidi, libris atque editionibus legi; *Magno non modo salutis sed etiam vitæ periculo liberatus erat Alexander*, quod in nostra ita conceptum videbis, *magno non modo salutis sed etiam invidiæ periculo liberatus erat Alexander*, quod existimem *salutis* & *vitæ* eodem referri, nec sensum bonum perficere. Tu judicabis, mi Berneggere, salutatus resalutatusque a nobis

nobis una cum accuratissimo Freinshemio quam diligentissime. Dab. Hardervici Gelrorum X. August. 1633. Tuus Joh. Isacius Pontanus.

Epist. LXI.

V. CL. Ioh. Isacio Pontano

NICOLAUS VEDELIUS

De loco Tertulliani lib. de Idololatr. cap. VII.

Sal. in Christo, Clarissime vir, Domine observande. Communicavit mecum Rev. & clariss. Dn. Revius noster ea, quæ in Exercitationes meas in Ignatium in epistolâ nuper ad se scripta observâsti. Quemadmodum igitur gratias tibi quas possum ago maximas pro honorifico de qualicunque illo labore judicio tuo (quod charitati tuæ & humanitati potius quàm alii causæ adscribo) ita vicissim tibi de me persuadeas velim, me ex iis esse, qui te ob singularem eruditionem atque merita erga Remp. literariam maximè colunt. Gratissimæ etiam mihi sunt illæ tuæ observationes. Origenis locum in *homil.6.in Luc.* notare, ad eumque respondere *Exercit.* XI. *cap.* I. potuissem quidem per istam occasionem haud incommodè; sed mihi ibi propositum fuit refutare tantum Baronium eo Ignatii loco abutentem. Quia igitur Baronius Origenis ibi non meminit, nec ipse etiam eò excurrere volui. Interim certum est, eodem modo respondendum esse ad eum Orig. locum, quo ad Eusebii locum ibidem respondi.

Vid. *supr. epist.* 49.

di. Si quid ultrà Romanenses desiderent in eâ re, puto iis à me satisfactum in Commentario meo seu libris duobis de utroque Episcopatu Petri editis anno 1614. Quod ad vocem *Ecclesiæ* apud Tertullianum attinet, sum adhuc in eâ sententiâ ex nullo locorum illius necessario inferri posse, *Ecclesiam* ab eo pro loco sumi. Locum quem allegas ex *lib. de idol. c.* 7. vides me expendisse; nam inter cæteros illius loci occasione id ipsum dixi. Ibi enim libenter fateor probabiliter posse sumi vocem *Ecclesiæ* pro loco; sed & contra æque ad minimum probabiliter pro conventu ipso Christianorum sumitur. Nam quemadmodum ibidem *domus Dei*, quæ alioquin pro cœtu Christiano seu Ecclesia collectivâ sumitur, ut 1. *Tim.* 3. 15. ibi tamen pro loco sumitur, quia terminus à quo nimirum officina adversarii locum denotat; ita & haud dubie vox *Ecclesiæ* tanquam terminus ad quem pro loco non accipitur, quia terminus à quo nimirum *idola* locum nequaquam denotant. Restat igitur ut pro cœtu Christiano accipiatur qui in Oratorio jam convenit. Idque eo magis quod nullus auctor ante Tertullianum afferri possit, qui vocem *Ecclesiæ* pro loco sacro dixerit: cum contra ante id tempus & in scriptura & apud Patres *Ecclesia* tantum pro cœtu usurpetur. Cur igitur potius necessario pro loco quam pro cœtu sumatur? Quæ ex Cypriano, Hieronymo, Ammiano Marcellino affers, doctissimè observasti. Inter quos mirum non est posteriores, qui ulterioribus seculis post primitivam Ecclesiam vixerunt, basilicas & Ecclesias dixisse. Si quis alioquin Patrum saniorum & poste-

posteriorum primis illis Ecclesiæ annis templa tribuat, id per ὑστέρως accipiendum est, quomodo Samuelis temporibus & ipsius Eli templum tribuunt 1. *Sam.* 1. 9. His in Domino vale vir Clarissime & me quod facis amare perge, qui sum T. CL. omni studio & officio addictissimus, Nic. Vedelius. Daventriæ raptim. 7. Sept. 1637. Ignosce vir Clarissime subitæ scriptioni, & meo nomine officiosissimè saluta Clarissimos Dn. Collegas tuos. Ante paucos dies impressi sunt Lugduni libri mei duo *De Arcanis Arminianismi*, seu *Decisio hujus Quæstionis: Quænam sit fides & Religio Theologor. Remonstr.*? Ubi secundam editionem adornavero olim S. Ignatii, cum gratiis memor ero doctissimarum observationum tuarum. Clariss. vir Dn. D. Rivetus etiam quædam circa Exercitationes illas meas observavit in editione ultimâ Critici sui sacri.

EPIST. LXII.

V. CL. Johanni Isacio Pontano S. Pl.

J. SMITH

De inscriptioribus Smetii & Thesauro antiquitatum.

Vir Clarissime,

Nihil certe hic tam certum sperari, aut tam vicinum videri potest, quod non casus aliquis inopinus possit intervertere. Stabat nuper acies nostra antiquaria magnam partem ordinata in adventum tuum, exspectabam a tuo conspectu pre-

pretium aliquod non leve tot sumptuum, quos in id genus impendi, domumque festinus in horam condictam ruebam, cum Typographus noster mihi l..ctum, qui te Hardrovicum revocaverat, ex te nunciat; ita spe magna repente excidi. Erant sane non pauca, tibi apud me non visa, quæ te oblectare, forte etiam juvare poterant; sed Deus aliud. Si posthac occasio se det, quæ te huc vocet, non committam, si vivo, ut domo nostra istis non visis excedas. Inscriptiones libelli tui ad meum exemplar, ut voluisti, emendavi. Sunt aliæ apud me, qualis est illa Trajani in columella milliari, & alia omnium quæ hic exstant, si externam formam spectes, elegantissima Licinii Serrani in ara Iovi Opt: Max: dicata. Istas antehac ad te misi. Supersunt adhuc inscriptiones laterum variæ, vasorum testarumque pene innumeræ, majorumque inscriptionum fragmina aliquot, quæ melius coram quam ex scripto cognosces & æstimabis. Bene vale, vir clarissime, Geldriæ nostræ & Reipublicæ litterariæ bono. Noviomagi 5. Cal. Iul. A. 1631.

CL. T. Observantiss.
I. SMITH

Typrographus noster te rogat sui rationem ut habeas, cum de editione Historiæ Geldricæ serio statues. Vale iterum.

Sigillum Ottonis Comitis Gelrensis.

Sittende te peerde, van hoofde tot de voeten gewapent,

pent, hebbende in sijn rechterhandt de baniere ofte standart van Gelderlandt, ende in de slinckerhandt, het schildt ofte wapen van Gelder, met de Geldersche Leeuw daar in, sonder jets anders meer.

EPIST. LXIII.

Viro Amplissimo Iohanni Beverovicio

ARNOLDUS BUCHELLIUS

S. P.

Quæ Hollandia olim vera & proprie sic dicta.

Clarissime Eruditissimeque Domine Doctor, De valetudine restituta est quod Æsculapio hallum (ut olim dicebant) debeamus. Deum veneror ut perennet. De Dordrechto quæ olim collegi exscripta mitto, sed vereor, ut vestri sint saporis, paradoxa enim me loqui dices; at vera puto, quamvis ævi tenebris involuta. De Hollandia vera & primitiva testimonia nobis sunt inprimis duo omni exceptione majora: diploma nempe Godeboldi Episcopi, ubi quædam bona collegio Petrejano dono dat sita apud Thyselineskerkum in Hollant, is locus vicinus Dordrechto: alterum est itidem in monumentis ecclesiæ nostræ, cujus diœcesis divisio per Decanos rurales sic habet; *Decanus de Trajecto &c. Decanus de Batua,* De-

Decanus de Moselandia, Decanus de Rhenolandia, Decanus de Kenemaria &c. Decanus de Hollandia, cujus limites & jurisdictio per insulam Durdrechtensem extendebantur. Si hæc nimis fortean antiquaria placeant, utere, sin; vobis sint inter rejectanea & quisquilias. Vale Clarissime Domine Bevervice, & me inter tuos recense, si mereor, qui tuam eruditionem, ut meretur, amo & suspicio. Raptim Trajecti 7. Mart. 1640.

CL. V. ex asse &c.

EPIST. LXIV.

ARN. BUCHELLIUS

Clariss. Bevervicio

S. P.

De Dordrechto nonnulla.

Clarissime, Doctissimeque Domine Doctor, Literæ tuæ una cum libro rectè mihi nuper per nautam traditæ sunt. Quo libro scitè admodum & eleganter instituis comparationem pugnæ navalis illius memorabilis Græcorum cum Xerxe Persarum Rege potentissimo olim depugnatæ & nostræ jam nuper cum formidanda Hispanorum classe commissæ, cui adjungis variorum navalium præliorum a nostris & aliis nunc & olim parallela: Quæ legere ut jucundum, ita & dono mihi a te auctore dari fuit acceptissimum, & nobis sane speculi instar esse hæc pugna debet divinæ erga

ergā nos benignitatis, quæ & nobis victoriam inexspectatam, & superbo Regi cladem tam ingentem dedit. Hanc quoque victoriam Doctiss. Barlæus a se decantatam tam prosa quam versu ad me misit. De Dordrechto quod moliris, rem te dignam facis. Plures tentarunt, sed tentarunt tantum, Vossius, Gouthovius, alii. Unius Boxhornii extat ejus descriptio satis ampla cum cæteris Hollandiæ hodiernis urbibus, ego quod conferam vix invenio. Sunt apud me quædam de voce *Stapula*, & ego ante 6. 7. annos Diatriben scripsi de Durdrechto, quam Vossius pater, D. Scriverius & Gouthovius viderunt, quam facile a me, si instituto vestro servire posse judicaveris, impetrabis. Vale Clariss. Doctissimeque Domine Doctor, & me, qui ingenii tui facilitatem & eruditionem admiror, inter tuos numerare ne difficulteris. Trajecti ad Rhenum anno novo incipiente, qui ut utrisque nostrum sit faustus & felix, Deum Opt. Max. rogo.

Vester ex asse
ARN. BUCHELIUS.

EPIST. LXV.

Viro Amplissimo Joanni Beverovicio
ARNOLDUS BUCHELIUS. S.

Alia de eadem: Gouthovii error. Trecht quid. Trajectenses Decani.

Mijn Heere, U. E. scrijvens is mij wel behandicht, dan ben door verscheyde saecken ver-

verhindert geworden te antwoorden, ten deele door quade dispositie, ten deele van eenighe besoignien die my niet toe en lieten te doen, dat ick wilde., daar by quam ons hoochtijt Paeschen, en het achterblijven van den boom van de Boots hier by gaande, het gesubreguleerde is gestelt volgens originele ende authentique acten ende mumimenten noch voorhanden sijnde ende my verthoont, het vordere ongelinieerde is conform, de genealogie by Gouthoven eertijts ingestelt. Ende by U. E. gesien ende gecorrigeert, doch heeft deselve Gouthoeven zal. in eenige puncten, sonderling die Utrecht aengaen seer gedwaelt, alwaer hy Arent Boots huysfrou een verkeerden naem geeft, ende hem Schout van Utrecht noemt, 't welck nochtans nergens bevonden wert, Meine dat deese genealogie, alsoo in fleure geweest is, gestelt sijnde, bequamelicken ter gelegender plaetse sal konnen werden geinsereert, aangesien de Dortse en Utrechtse geslachten veeltijts met malkander syn geallieert, als aande voorsz Booten, oock Diemens, Ratingen, ende andere meer is gebleken. Wijders wat aengaet mijne voorgaande scryvens, dat U. E. daar van bent discreperende, en is niet vreemt noch nieus, quisque enim suo sensu utitur, & pleraque mortalium opinionibus constant. *Drecht* pro oppido, foro, aut municipio Kilianus ex Junio probare conatur, ego pro Trajecto illud verbi olim usurpatum ex nostris diplomatibus certus sum.

Ecclesia S. Matini quæ est in loco Trecht vocato Ann. 953.

Eccle-

Ecclesia S. Martini in loco Trecht Ann. 953.

Injuncto sibi Episcopio in urbe quæ Trecht vocatur. Ita Willibaldus in vita S. Bonifacii. Othlonus in vita ejusdem.

Idem aliquoties: & *pervenit ad Trecht.*

Idem bis terve *Trajectum* vocat.

Infinita alia ubi *Trecht* idem quod Trajectum Latine.

Ecclesia S. Martini in Trajecto Veteri 828.

Ecclesia constructa in castello Trajecto 834.

Baldericus Trajectens. Ecclesiæ veter. Episc. 938.

Sic diplomata apud Hedam Add. Alcuin. in vita S. Willebrordi.

Dat U. E. oock scrijft dat Dort noit een riviere is geweest geeft mijn wonder. Unde ergo Dortmonde? Nec enim ostium sine flumine consistere potens, ut nec ripa, aut littus absque mari. Sed nolo tecum contendere mi D. Bevervice, Sal alleen aanwijsen de plaetsen, die niet en twijfele of sult gesien hebben, ende seer wel tot Dordrecht sullen te passe comen, Reginonis ad Ann. C. 898. Chronici Camerac. *lib.* 3. *cap.* 19. Placentii in Vita Baldrici Episcop. Leod. Dithmari *ad finem operis sui historici.* Anselmi in vita Baldrici Leodiensis Episcop. Het geene ick scryve van de afdeelinge vande Decanien is genomen ex libro Cameræ dict. Ecclesiæ Traject., dat anders genoempt wert Liber statutorum ecclesiæ Tr. eertijts gecolligeert door H. Hugo Vuysting, ontrent 300. jaeren geleden, dat noch alhier in pergameno gescreven bewaert wert. *ubi seqq.*

Decanus in Rijnlant in festo Remigii solvet VIII. *lib.*

Decanus in Scouden solvet duas marc argenti in festo S. Martini.

Decan. de Zuytbevelant quinque fertones suprad. argenti.

Decanus de Kynnemere in festo S. Andreæ solvet 8. lib. & quondam 10.

Decanus de Westelinglant quatuor lib.

Decanus de Betuwe sex lib. quondam octo.

Decanus de Hollant tres libr.

Decanus de Goye quatuor libr.

Decanus de civitate octo libr.

Decanus de Amstelle in festo S. Joannis tres lib.

Hæc Archidiacono summi templi olim solvebant. Archidiaconatus vero in nostra ecclesia est dignitas & habet stallum in sinistra parte chori, immediate post Decanum. &c.

Diploma Godeboldi Episcopi, qui ecclesiam sui Juris in Hollant, quæ vocatur Tiezelineskerka B. Petro in Trajecto tradit anno 1126. extat in tablinis ejus eccl. integrum.

Vidi & aliud quod ita incipit : *Tygerus de Riede provisor magnæ Insulæ dictæ Grotenwaert. Giselbertus dictus Bot Dn. Jurisdict. de Emekercke &c.*

Ick hebbe geobserveert, dat de Bisschoppen ofte Stichtse noit Steden beleit, overwonnen, ende geruineert hebben, dan die daerse op pretendeerden, ende de Kercke rebel waren, alse men leest van Dordrecht, Isselstein, Muden, Neerden, Oudewater, &c. Maer omme een eyndt te maeken sal noch antwoorden op U. E. versoeck van over te senden den Boeck Diplomatum, ick hebbe

hebbe by na verlooft geen boecken uyt deser Stadt te senden, daer toe my occasie van verscheyde gegeven, ende onder andere Graswinkel die my qualicken daer over rencontreerde, evenwel U. E. alles goets vertrouwende, sende desen Boeck met den Schipper brenger deses, doch was onseecker wat Boeck U. E. meinde, daer by my verscheyde sulcke Boecken sijn, dan meene dat jegenwoordige eens by U. E. geweest te sijn, ende daerom begeert wert.

Hier meede mijn Heere, desen eyndigende met mijne groeteninge, wil den Almachtigen bidden, dat U. E. verlene gesontheyt en welvaert tot saligheyt, ende blijven

U. E.

Dienstwillige Vrient

ARENT van BUCHELL.

EPIST. LXVI.

Viro Clarissimo Johanni Isacio Pontano

JOACHIMUS MORSIUS

Vetus inscriptio in agro Vorburgensi reperta explicatur.

Salutem plurimam & obsequia paratissima, vir Celeberrime, Domine ac amice plurimum honorande, An hæream adhuc in aliquâ parte animi tui, ambigo,

bigo, me certe memoria ſingularis tuæ pietatis, doctrinæ ac virtutum, tuorumque in eccleſiam & Remp: literariam meritorum, in peregrinationibus meis per montes & maria, tanquam individua & ſuaviſſima quædam ſocia, comitata ſemper fuit. Cave itaque exiſtimes, mihi quidpiam ferè in iis moleſtius extitiſſe, quam quod occaſio hactenus defuerit intimam meam obſervantiam & gratitudinem, pro omni in me olim collata humanitate, & aureis tuis ingenii monumentis, tibi declarandi, a quibus nunquam niſi melior & doctior diſceſſi. Quare nunc cum eam ad Athenas Batavas reverſo typographus tuus aperiat, diutius officio, deſiderioque meo deeſſe nec potui, nec debui. Si pecco, quod profanus ſalutator ſacra Muſarum tuarum interpellem, peto obnixè, ut cultus meus in te verè igneus, qui certis limitibus diutius includi modeſtiam meam non eſt paſſus, peccatum, quod blandâ vi ſuâ verecundæ meæ fronti imperavit, apud te, hominem longè optimum, integerrimum, atque æquiſſimum excuſet, ejuſque veniam confidentiæ meæ impetret. Conſtitueram incoram comite amiciſſimo Thoma Segheto, equite Britanno nobiliſſimo, Hardervici te ſeptimanis aliquot retro compellare, ſed proh dolor! conſilium meum inſperatus ipſius obitus, conturbavit. Libenter enim tecum inter alia locutus fuiſſem de ineditis epiſtolis Lipſii ad diverſos, quæ apud me exſtant. Si illæ veſtris typis excudi poſſent, eas ad te, immortali tuo nomini conſecratas, feſtinarem brevi. Interea ad te dirigo inſcri-

ſcriptionem antiquam ſaxi veteris in agro Vorburgenſi Ao. 1624. VII. Iunii, in præſentiâ Segheti quondam noſtri erutam, & notis ab ipſo illuſtratam, quæ num à te viſa, neſcio, meo judicio non indigna, ut inter monumenta priſca a Cl. Scriverio noſtro vulgata appareat. Accipe illam cum SEGHETI Vindiciis priſtina tua erga me comitate & faventia, meque favore & amore tuo perge dignari. Vale decus egregium ſeculi noſtri, meiſque verbis peramanter & officioſe ſaluta collegam tuum præſtantiſſimum, Dn. Zevecotium, poëtam elegantiſſimum, mihique ejus benevolentiam concilia, quæ candidiſſimo meo pectori gratior omnibus Darii, Cræſi, Craſſique theſauris erit. Dabam properiter Lugduni ad Rhenum Ann. æræ Chriſtianæ M. D. C. XXVIII. V. Kal. Feb.

Tuæ Excellentiæ
Solidè devotiſſimus.
JOACHIMUS MORSIUS.

A. C.
CIↃ IↃC XXIV.

In agro Vorburgenſi.

Saxum quatuor plus minus pedes altum, duos circiter latum, unius craſſitudine, erutum VII. Junii ſpectante Thoma Segheto (qui & primus exſcripſit) cum hac inſcriptione.

A latere Cornu copiæ. J. O. M. SARAPI A latere Cornu copiæ.
ISIDI. FRVGIFERO
CÆLESTI. FORTUN
BONO. EVENTO
FELICITATI. LARI
VIALI. E. GENIO
LOCI. L. LUCREIUS
PAL. FAUSTINIAN
Ɔ. LEG. I. M. P E PRO. SE.
SUISQ. JERUL CONSAC.

Ita lego.

Jovi Optimo Maximo Sarapi,
Isidi, frugifero
Cœlesti, Fortunæ
Bono Evento
Felicitati, Lari
Viali & Genio
Loci L. Lucretius
Palatinâ (sc. tribu) Faustinianus
Centurio Legionis primæ monumentum posuit & pro se
Suisque in eam rem votum libens Consacravit,

EVENTO] Hanc vocem omnes, quibuscum mihi hac de inscriptione fermo fuit, parum Latinam censent. Ego vero eam super omnes maximè probo, atque ita effictam puto, ut AVERRUNCUS, CONSUS, FIDIUS. EVENTUS igitur BONUS, boni eventus dator.

LARI VIALI] Si non omnino memoria fallor, puto apud Plautum exstare alicubi LARES VIALES.

PAL] Palatinâ, nimirum tribu. Crebræ ad hanc

hanc formam inſcriptiones ſunt, quibus ad hominis nomen tribus quoque adjicitur.

FAUSTINIAN] Ex hoc vocabulo conjectare libet ſub Marci Antonini Philoſophi tempora monumentum hoc poſitum. Placere voluit vel Imperatori, vel ejus uxori Fauſtinæ, vel auctor inſcriptionis, vel ejus pater, adſcito aut indito à Fauſtina nomine. Inter numiſmata ab Jacobo Bicio edita exſtat unum, in cujus anteriore parte eſt DIVA FAUSTINA, in averſa FAUSTINIANÆ PUELLÆ. Omiſſum.

FRUGIFERO, CÆLESTI] Prius ad Sarapin, poſterius ad Iſin referendum cenſeo.

Quæ ſequuntur Pontani ſunt.

CÆLESTI FORTUNÆ] Cœleſtis ſubinde abſolute, ſubinde addita voce Dea cœleſtis, ſubinde *virgo cæleſtis* auctoribus dicitur. Subinde etiam, quod huic loco præcipue convenit, *Fortunam cœli* vocant. Tertullian. in Apologet. *Unicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, Syriæ Adſtartes, ut Arabia Dyſares, ut Norico Belenus, ut Africæ Cœleſtis &c.* Spartian. in xxx. Tyrannis: *Afri Celſum Imperatorem appellarunt peplo Deæ cæleſtis ornatum.* Ammian. Marcellin. *lib.* 22. *Aſclepiades Philoſophus cum viſendi gratia Juliani peregre ad id ſuburbanum veniſſet, Deæ cœleſtis argenteum breve figmentum, quocunque ibat, ſecum ſolitus efferre.* Philaſtrius Brixienſis in catalogo hæreſ: *Alia*, inquit, *hæreſis in Judæis, quæ Reginam, quam & Fortunam cœli nuncupant, quam & cœleſtem vocant in Africa.* Item Tertullian.

in Apologet. *Ista ipsa virgo cœlestis pluviarum pollicitatrix.* Qui ultimus locus respondet voci, quæ eadem hac inscriptione posita Jovem FRUGIFERI quoque epitheto affecit. Hæc addenda iis, quæ varie collegit de Cælesti Pythæus, & post eum Justus Lipsius, qui Junonem interpretatur, & locum præterea insignem adducit divi Ambrosii, & alium insuper Dionis ex Xiphilino. Ubi tamen perperam vocem Dionis οὐρανίαν vertunt interpretes *Uraniam*, cum *Cœlestem* deberent. Urania una ex novem Musis. Quamvis apud Apulejum *lib.* 4. *Florid.* hæc verba reperias de Carthagine; *Carthago Africæ Musa cœlestis.* Divi autem Ambrosii locus, quem Lipsius adducit, haudquaquam omittendus. Est vero iste adversus Symmachum: *Unde igitur exemplum, quod currus suos simulato Almonis in flumine lavat Cybele? Unde Phrygii vates & semper invisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? quam Cœlestem Afri, Mitram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate.*

FAUSTINIAN. Faustinianum se hic Centurio appellat, quod *Faustina*, ut diserte habet Xiphilinus, Mater exercituum sit appellata post victoriam ex Quadis & Marcomannis ab Antonino partam. Vid. eum in Antonino Philosoph.

EPIST.

EPIST. LXVII.

Viro Clariss. Joh. Isacio Pontano, Medicinæ Professori & Historiographo Regio

JOH. SMITH S. P.

Vetus quadam inscriptio.

S Pl. Clarissime & Experientissime vir, Quæris, quid de Naggiana celebris, quod in Arcis nostræ sacello visitur, Epitaphii lectione & explicatione judicem? Ego Domino Diestio comite marmor ipsum adii, Naggianamque lectionem simul & meam, quam pridem ad te misi, & nuper coram tradidi, cum lapide contuli. In mea nihil adhuc muto, si gryphum excipiam, in quo intra S. L. legere malo hoc modo

quam I.

Et his notis sepulchri sumptum signari censeo, neque id sine aliarum Inscriptionum exemplo. Quæ de postrema tertiæ lineæ voce IVIHONFI Λ D. Naggius habet, non magis conveniunt quam, Neomagi lectio olim illinc exsculpta. Vox igitur ista singularis erit, inquiet, nec alibi lecta? Quid tum vero? Quotaquæque est inter veteres Inscriptiones, in qua voces alibi non lectæ non occurrant? Quæ fuerunt Ausaniæ? Quis Talbinius, quos memorat Inscriptio,

 quam

quam nuper hic inventam Consul Christianus Terspycken servat? Ea sic habet:

MATRONIS
AUFANIABUS
T. ALBINIUS
JANUARIUS
S L M

Ex antepenultimo charactere, sive E, sive F, sive S. fuerit, supremi apicis extremitas tantum superest. Cætera, marmor integrum est. Sed de his alias si dabitur. Nunc vive, valeque cum collegis & quod facis me ama

Noviom. 12. Cal. Maji
Jul. Ann. 1629.

Cl. T. observantissimum

J. SMITH.

Epist. LXVIII.

Viro Clariss. Joh. Isacio Pontano

JOH. SMIHT S. P.

De eadem nonnulla.

S. Pl. Clarissime & experientissime vir, Inscriptionis Terspyckianæ lapis, colore topho, duritie marmori non absimilis, utroque sui latere striatus, projectura & fastigio inæquali, varia scalptura insignis, proxime infra urbem inventus est. Ingeniosam tuam de *Afraniabus* conjecturam

ram denarius adjuvat hic olim inventus, qui nunc apud me eſt, & Sp: Afranii nomen præfert. Non video tamen quomodo nomen *Afraniæ* improbis fœminarum moribus pro crimine objectum, honoris ergo poni potuerit. Valerius Afranium monſtrum vocat, indignum cujus natales memoriæ tradantur. De Afraniarum collegio, vel matronis Afraniabus altum ubique ſilentium. Et quod in hac cauſa præcipuum eſt inſcriptio non convenit, quæ tam certa & clara eſt, ſic Dn. Mehnius αὐτόπτης teſtabitur, ut Afraniarum nomen non admittat. Nec in tota iſta inſcriptione quicquam dubiæ lectionis eſt, præter antepenultimam notam & Talbinii vocem, in qua puncti veſtigium inter T & A facit, ut dubitem, legendum ne ſit TALBINIUS, an T. ALBINIUS. Ita adhuc ſumus in IVIEONFI A & Aufaniarum inveſtigatione. Qui hic certi quid dabit magnus nobis merito ſuo Apollo erit. Hiſtoria Danica confecta, Geldrica te nunc totum occupat. Curſus ut porro tibi circa metam felix ſit animitus precor. Vale. Dn. Leoninus mecum officioſe te ſalutat. Scribebam Noviomagi, Nonis Maji Iul. anno 1629.

Cl. T. Obſervantiſſimus

I. SMITH.

EPIST.

EPIST. LXIX.

Ad Ordines Generales Belgii Fœderati.

Cæsari a Rege Sueciæ bellum indictum.

GUSTAVUS ADOLPHUS,
Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Dominus.

Illustres & Potentes, boni Amici & Confœderati.

Quam indigne hactenus à Cæsareanis simus habiti, quotque injuriis per triennium lacessiti, arma nunc tandem capiamus, vobis non ignotum, imo orbi Christiano perspectum esse potest. Fecit nos quidem pacifica quæque sperare oblata nuper Serenissimi Regis Daniæ interpositio, dictusque ad eam dies, inprimis rumore publico circumlatum Cæsareanorum studium; ideo à nobis solemni cum mandato, rerum nostrarum in Borussia Gubernator deputatus præsto erat, ad omnia rerum momenta intentus: sed cum Cæsaris Commissarius Dantiscum quidem cum pompa ingressus, moras saltem ibi nectere, & popularem auram captare videretur, ne mentione quidem de tractatibus facta, ipsique Danici nondum apparerent; Nos, ne nobis & Amicis diutius deessemus, cum hæc, tum priorum temporum ludibria, armis vindicare statuimus, classeque nostra mare trajicere parati sumus. Cum vero amicitia nostra non patiatur, ut consilia hæc nostra vos

vos celemus, in mandatis dedimus Nobili & Consultissimo Consiliario & Legato nostro apud vos Ordinario, Ludovico Camerario, ut ea vobis prolixius communicaret; amice requirentes, ut cum expeditionem hanc, non solum nostræ, sed etiam communis securitatis causa (ad quam toties a vobis, amicis, oppressisque in Germania sollicitati sumus) suscipiamus, vos eam favore vestro prosequamini, conatusque nostros modis omnibus sublevetis; de quo uti non dubitamus, tot jam monumentis securi, ita rem facietis nobis & afflictis in Germania rebus gratissimam, & vobis ipsis utilissimam: nosque vicissim omni conatu & viribus studium in rem communem nostrum testabimur, vobisque omni benevolentia & officiorum genere addicti erimus, quibus vos divini numinis protectioni amice commendamus. Ex Classe nostra Regia ad Elffnaben, die 5. mensis Iunii, Anno 1630. Signatum erat GUSTAVUS ADOLPHUS.

EPIST. LXX.

Viro Clariss. Ioh. Isacio Pontano

MARCUS BOXHORN ZUERIUS

De Plauto Pontani. De Republica Platonica.

Dilectissime & Clarissime D. Cognate;

Gratissimæ litteræ tuæ recte ad me curatæ sunt; una cum iis, quas ad humanissimum & clarissimum virorum P. Scriverium adjunxeras perferendas. Ego ipsi de manu mea in manus, capse, qua

qua tuas accepi, hora tradidi; monuique ut si quid dare ad te vellet, recte & cum fide me curaturum. Respondit tunc temporis, visurum se, an quid posset in Historiam tuam Danicam extundere; voluit itaque, ut ejus rei caussa, post bidum aut triduum ad se reverterer: feci id quam lubentissime, semel, iterum, & amplius; sed frustra: rusticatum enim ille concesserat; nunc Amstelodamum profectus est; adeo ut sperare aut exspectare quidquam jam desierim. Quod itaque serius, quam par sit, ad tuas respondeam, id totum est ejus, quem dixi, viri mora. Si hac in re aut quacunque alia ulterius inservire tibi opera mea possit, habebis omnia mea officia quam paratissima. Tu modo perscribe, & imperare mihi aude, curabo quæ ex re tua futura sunt, diligenter. Pro Plauto, quem velut benivolentiæ & eruditionis tuæ singulare monumentnm lubentissime excepi, magnas tibi & multas gratias ago, si possem, etiam referrem. Certè quantum venustissimo huic Auctori lingua & Comædia Romana, tantum tibi ille debet, & ego tibi. Criticam ἀγχίνοιαν tuam quis non miretur? cujus præclara specimina (ut Analecta tua, quæ necdum vidi, & Macrobium nunc omittam) in classicis istis Auctoribus, cum sempiterna nominis tui fama, exstare voluisti. Tuum enim est (ut de te loquitur vir multæ & stupendæ lectionis, quidquid alii obganniant, C. Barthius) non calore cum multis, sed ratione judicare. De Barthio illo quid sentias, quia mentio ejus incidit, scire ex te velim. Sinistre quidem de eo loquuntur, ju-

judicium requirunt, audaciam culpant. Dum vixit, vitæ illum fuisse dissolutioris inaudivi: Sed hæc meritis ejus, ut ego quidem existimo, in Rempublicam litterariam sunt condonanda. Non possum tibi celare meum gaudium: pronuper enim quam plurimos veterum quorundam Auctorum locos, præsertim Mythologiæ F. P. Fulgentii, & Sidonii Apollinaris, partim ex Joannis Bocatii Genealogia Deorum, cujus antiquissimam & primam, nisi fallor, editionem sum nactus, in qua illorum scriptorum verba adducit, partim ab ingeniolo (præfiscine dictum & acceptum velim) nescio quo impetu, emendavi. Certe tot memorabiles mendas expunxi, ut mirari subeat, viros eruditos, qui eorum Auctorum postremas editiones procurarunt, nullas earum animadvertisse. Sed de istis alias. Hodæporico illo Ruthenico jam ante usus sum, tu tibi habe, amoris in te mei leve & nullius momenti monumentum. De Republica Platonica, quæ me sibi totum jam devincit, recte est quod addis, Theoreticam illam futuram, non Practicam, cum nusquam exstet, & exstituram nunquam, jam olim vaticinatus est Aristoteles. Nosti tamen Ausonianum illud de Marco Antonio Cæsare;

Post Marco tutela datur; qui scita Platonis
Fecit ad Imperium, Patre Pio melior.

Certe quo accuratius & penitius politica ejus scita intueor, non possum satis admirari divini illius mortalis & felicitatem in hoc genere, & majestatem, qui Socraticis istis dialogis omnem prudentiam civilem elegantissime est complexus. Sed quid

Digitized by Google

quid ego hæc tibi, qui illa non ignoras? Ecce epigramma illud meum in tuam Danorum Historiam ex tempore a me effusum. Non possum quin te, cognate dulcissime, iterum per Musarum sacra obtester, ut si quid sub manus se tibi dederit, quod ad Rempub. divini illius Dialogistæ spectet, continuo ad me transmittas. Fieri enim vix potest, quin aliquid hujuscemodi lateat in tam instructa tua Bibliotheca. Usuram ejus, si quid est, per diem unum aut alterum tantum peto. Quod si feceris, immortali beneficio vadatum me tibi semper habebis. Vale, cognate eruditissime, & ignosce meæ impudentiæ. Scripsi hæc raptissime; eram enim occupatissimus, adeo ut relegere epistolam non vacaverit. Salutant te & uxorem tuam omnes nostri. Iterum vale Vir animo charissime nostro, & me redama, qui te efflictim.

Lugd. Bat. 10.
Iulii 1630.

D. V. dicatissimus Cognatus
MARCUS BOXHORN ZUERIUS.

EPIST. LXXI.

PETRUS SCRIVERIUS ISACIO SUO. S.

De historia Danica Meursii nonnulla.

Tuas 11. Februarii datas, & priores etiam, quarum mentionem faciunt posteriores, hodie mane accepi V. Cl. cum jam me accingerem ad

ad ſcriptionem. Nam heri ſero veſpere advenerat Lugduno Batavorum filius meus Gulielmus; cui ante octiduum hinc diſcedenti in mandatis dederam, ut adferret ſecum ex bibliotheca mea petitum Meurſii illum fœtum nuperum ac novitium. Verum anxie quæſitus non comparuit. Liber erat in albis & nondum adhuc ligatus. Quo nomine credideram latere non potuiſſe, non inventus eſt tamen. Quod ſi ipſe Leydæ fuiſſem, non effugiſſet fortaſſe manus meas. Memini inter alios amicos ejuſdem hiſtoriæ Danicæ exemplaria etiam miſſa ad Clariſſ. Voſſium & Barlæum. Ab alterutro (ſi operæ videbitur) per Boxhorn-Suerium petas licebit. Nam è re mea non erit, ut hinc ante menſem Martium diſcedam Quod autem concurſum exiſtimes, fugit te ratio. Nam tu, quantum memini, ab ipſis Cimbris & Aboriginibus exorſus perducis hiſtoriam ad Reges ſtemmatis Oldenburgici. Ille autem, niſi fallor, orditur ab anno CIↃ CCCC. L. & deſinit in Chriſtiano II. an III. nôn ſatis accurate memini. Liber ſane non ineleganter, eodemque prorſus modo quo Belgarum & Auriaci res geſtæ, ſcriptus, quantum in guſtu deprehendere potui. Saltuatim enim tantum percurri. Sed velim, ipſe judices. Idcirco equis veliſque operam dederam, ut poſſis. Dolet profecto mihi unice, ad manum non eſſe. Quod tuis ſtatim non reſponderim, ſcito unicam cauſſam eſſe libri iſtius abſentiam, & quod indies, imo in horas eam hiſtoriam per filium exſpectarem. Sed fruſtra ambo fuimus, ego in commendando, ille in exequendo negotio,

nam rediit, ut dixi, absque libro. Sed in reditu, quod minus cruciat, offendit me prorsus sanum ac pristinæ valetudini restitutum: Deo opt. Max. favente. Te autem verum ob consilium plurimi facio atque amo. Rogo denique, ut desiderium meum in transmittendo tuo volumine historiarum, quam maturrime fieri possit, velis explere. Jam (puto) titulum expedierit Chalcographus.

Plura volenti adest Tabellarius, qui hodie mihi tuas attulit. Amsterodami XIII. Febr. S. N. cIↃ IↃ CXXXI.

EPIST. LXXII.

Viro Clariss. Johanni Isacio Pontano

N. N.

De opere Poëtico Joannis Secundi.

Absfui aliquot diebus, mi Pontane, & ea propter factum, ut defuerim hactenus officio, & gratiarum actioni, quas debebam ob inscriptionem Richenaviensem de Johanne à Veza. Illud autem distichon:

Si juvat a gravibus discinctum ludere curis,
Me lege, Lector, erit lectio grata, vale.

alienum mihi a genio Secundi nostri videtur. Neque in manuscripto illud, aut aliubi invenio. Et ut verum fatear, nauci est. Et vellem profecto ejus fere notæ pauciora extare, quæ cum famæ dispendio optimi juvenis leguntur. Ita ut in poste-

fterum Basia tantum, & selectiora quædam ex elegiis & epigrammatis edenda censeam. Nunc visum fuit typographo omnem editionem recentari; & adsensus sum invitus, ob causas quas dixi, nisi tu dissentis docte Trebati, cujus judicium exspecto: ut & historiam Danicam. Quam cura, ut maturrime, quam fieri potest, habeam. Cæterum tua omnia, quæ desideras, hic habes, Nempe Notas & Castigationes in nuperum Satyrographum. Quotidie nova in ipsum scommata eduntur, & habeo triplo majores nugas, quam hic vides.

Scribunt indocti, doctique poëmata passim.

Prodiitque superioribus diebus Apologia Hermophili Tanugriensis satyrici, adversus Notas istas & Castigationes, sed ipsum Bodecherum vellicantes. Successit Ignotii Benningophili sacculus responsionum, aliaque ejus commatis. Audio Bodecherum in lectionibus publicis pastoritia fistula excipi identidem, & pedum manuumque strepitu explodi, ita ut Academiæ Curatoribus, quos jam Lugduni Bat. esse intelligo, negotium facessant. Disputari etiam de missione Vossiana, &c. Amplissimo Brinckio salutem amicissimam adscribo, eique schedam hanc manuscriptam Secundi exemptam lubenti animo trado. Communica cum eodem, si placet, Amstelodamum bilingue, quod oblatum nudius sextus ipsis Consulibus. Quid tui judicii sit, aveo scire. Pro Paraleipomenis *de usu & abusu Tabaci*, multum tibi debeo. Nonnemo exigit à me alteram editionem Latinorum istorum Epigrammatum: quod si fiat, addentur tua.

Sed quare ſemper *elleborum* ſcribis? ſtudione an errore typothetæ factum? Vale amicorum integerrime. Plura nec tempus, nec charta permittunt. Raptim XIII. Martii cIↃ IↃ C.XXXI.

EPIST. LXXIII.

Viro Clariſſ. Arn. Buchelio

JOH. ISACIUS PONTANUS S. P.

De hiſtoria Gelrica & an eccleſiaſtica ei mixta.

Quod, Bucheli optime, quæris, cur opus meum Gelricum venale non exſtet, idem & ego & bibliopola non unus non quæſivit modo ſed queſtus eſt. Nunc tandem audio pretium operi poſitum & paſſim diſtrahi. Hæc ſcribo & ad eam tuam quæſtionem ante omnia reſpondeo, ut intelligas nihil minus me in iſta afflictiſſima mea valetudine vel cogitare vel agere quam de opere illo & prima hac editione, ſive emaculanda, ſive augenda. Et quod addis te id magis miratum venale nimirum id opus meum non proſtare, cum *ante menſes duos legeris*, verba ſunt tua, *apud dominam Schurmanniam*, id te ſcribere miror, cum tibi ipſi ante menſes tres hoc ipſum opus meum dono miſerim. Nam ſi a Martio menſe, quo tibi a me id miſſum eſt, in Junium hunc computes, menſis jam quartus agitur. Cæterum quæ notas obſervata a te inter legendum, mihique trans-

transſmittis, pro veteri tuo candore agis, mihique pergrata fuerunt, & propius diſpicerem ſingula allato ad manum ipſo exemplari, ſi valetudo hoc ſineret. Interea doleo mihi a te haud indicatum penes te eſſe Cornelium Goudanum, eum toties totieſque petitum a Scriverio, cui cognatus meus Zuerius Boxhornius commodato ut daret, obtinere, ut eſt is homo, nequii. Quod articulos eos ſive conditiones pacis a Carolo V. Imp. Duci Iuliacenſi in caſtris Venloanis conceſſas, aliaque ejuſmodi, verbotenus non expreſſerim, placet aliis, aliis diſplicet. Illis nimirum placet, quod iſta malint uno faſce verborum ab Authore paucis dici, quam lectorem fatigare longa talium programmatum recitatione. Parcius quoque eccleſiaſtica ei miſcui, & præſertim monachalia, quia ea peculiare opus propemodum requirant. Notat Scaliger Baronium, hoc tamen ſolum & ſeorſim agentem, ut conditorem Annalium. Ego ſi jungere ea & miſcere inſtituiſſem, opus hoc noſtrum habuiſſetis non ad noſtras ſed Græcorum Calendas. Quod reliquum eſt, Non omnia poſſumus omnes. Tu mi Clariſſime atque Ornatiſſime Bucheli quam feliciter ac diu in viridi iſta ſenecta nobis vive ac vale. Nos Troes fuimus. Dabam raptim & e lectulo. Hardervici XXIV. Iun. 1639.

EPIST. LXXIV.

Clarissimo Lectissimoque Viro
DN. MARCO ZUERIO BOXHORNIO
Eloquentiæ in Academia Batavorum Lugdunensi Professori florentissimo, Cognato suo,
JOH. ISACIUS PONTANUS S. P.

De Originibus Francicis. Roterodamum unde dictum.

Habes mi, cognate Clarissime, adversarios duos, qui se mihi aut Originibus illis meis Francicis opposuerunt, quibus sufficere ne quidem, quod proverbio fertur, Hercules posset. At vide, etiam tertius accessit, ut iterum me Herculi adsimilem, qui hydræ resecans caput repullulare continuo alia sibi deprehendit. Ita & ego prioribus confutatis nihil fortasse egero, nisi & tertium hunc confecero. Eum, Cognate suavissime, cum tuo indicio se mihi prodiderit, qui alias fortasse latuisset, ad te etiam universam hanc responsionis nostræ panopliam deferendam existimavi. Et ultimum quidem hunc loco ultimo collocaturus, cum præsertim ea tangat, quæ a prioribus δὶς διὰ πασῶν discrepant. Nam ut illi Francicæ gentis antiquitatem atque origines vel eruere vel tutari studio habent, ita tertius hic Originum nostrarum librum, qui in ordine est sextus, sibi impetendum pro parte sumit, & quidem eam libri ejus partem, qui sacra ceremoniasque tangit. Cujusmodi ea scilicet fuere, cum primum ad Chri-

ſti fidem Franci converterentur. Tu ſi vel huic vel prioribus duobus minus ſatisfactum judicabis id ut ſuppleas adjiciaſque tuo arbitrio permitto. Primus omnium eſt nobiliſſimus Jacobus Charonius regis Galliarum Cubicularius, homo Gallus, cui ſuffeciſſet vel unum Auguſtum Thuanum, hominem etiam Gallum, longe alia ac ſaniora ſentientem oppoſuiſſe, niſi etiam rationum ipſius, quas adduxit, aliquam rationem habendam exiſtimaſſem. Juriſconſultus Lovanienſis, qui ſecundus eſt, popularem etiam habet virum doctiſſimum Johannem Deſſelium, qui Bibliothecam Belgicam edidit. in qua iſta Juriſconſulti de *Rotero* Francorum rege Roterodami ante Chriſti, ut vult, natalem conditore, naſo, ut cum Poëta hoc dicam, ſuſpendit adunco, cum palam conſtet urbem illam Roterodami novitiam eſſe, & a *Rotera* amne nomen ei inditum, ne alia nunc hoc loco repetam. Ejus tamen verba quoque expreſſimus, ſubjecta noſtra ad eadem reſponſione; ut lector non tantum hæc legat, ſed velut eques ac judex in cauſa ſedens, inſpectis utriuſque rationum momentis, ſententiam quoque pronunciet. Tu mihi, Cognate humaniſſime, hæc tibi dicata donataque habe. Tu iis ut tuis utere ac fruere. Dabam e lectulo æger, ut vel ideo epiſtolæ brevitatem excuſatam ſimul habeas. Hardervici Gelrorum, Cal. Aug. cIↃ. IↃc. xxxix.

EPIST. LXXV.

Viro Nobiliss.

D. A. Wickefortio

JOH. ISACIUS PONTANUS S. P.

De Q. Curtii ætate.

Nobilissime Wickeforti, Gavisus sane sum, cum acciperem te ex Gallica & Germanica peregrinatione non incolumem modo, sed honore etiam, quo te Christianissimus Galliarum Rex honestatum voluit, florentem lætumque ad tuos rediisse, idque gaudium meum cumulavit beneficium tuum, quo me affecisti, Freinshemii elegantissimus Curtius tibi inscriptus dicatusque. De ejus auctoris ætate cum non minus quam de patria Homeri inter doctos certetur, optavissem Clarissimum Freinshemium Johannis Decembrii hominis Itali non in classem eorum tantum, qui de stylo Authoris judicant, sed in priorem quoque, ubi ii memorantur, qui de ætate Authoris pronuntiant, verba retulisse. Decembrius enim diserte Arriani, qui res Alexandri Græce perscripsit, ævo inferiorem ponit, atque ejus esse interpretem clare dicit. Nos quoque post Decembrium aliquot ad varios datis epistolis, quarum inter alias illam ad Berneccerum non vidisse Freinshemius videtur, idem adstruximus ac demonstravimus post ævum Trajani & Adriani claruisse, & Taciti insuper maximi Authoris imitatorem esse, ejusque non semel verba ac dictionem expres-

pressisse, & usum subinde iis vocibus, quæ non nisi ab Authoribus ejus ævi usurpantur. Est penes me editio Curtiana Erasmi, qui illi editioni suæ indicem dictionum & vocum Curtii adjecit, quem omnino hanc in rem Freinshemio utilem, imo necessarium fore puto, præsertim cum Indicem Curtii seorsim promittat. Hunc ego Erasmi indicem multis locis auctiorem ex ipso Curtio reddidi, curaboque, ut descriptus Freinshemio mittatur, si id ipsum expetere vel per ipsum, vel per te cognovero. Ipsemet Clarissimo Freinshemio nunc scripsissem, sed æger ac graviter decumbens pro animi voluntate id præstare hoc tempore haud potui. Hoc ipsum, quod ad te nunc scribo amanuensi è lectulo dictavi, ne diutius in ære tuo seu mora essem agendi gratias pro acceptissimo, quem ad me misisse dixi, Freinshemii, aut si ita mavis, Curtio tuo, quod fecisse nunc me, si animo & verbis fecisse sat erit, tibi persuasum habeto. E re foret epistolæ hujus exemplar festinato ad Freinshemium transmittere, quia Indicem illum suum propediem & nisi fallor, futuris aut sequentibus nundinis pollicetur. Harderv. Gelr. 9. Aug. 1639.

EPIST. LXXVI.

Viro Clariss. Stephan. Joh. Stephanio

JOHANNES ISACIUS PONTANUS S. P.

De Bibliis Islandicis. Versum in linguam Finnicam Enchiridion Lutheri. De mirandis naturæ.

Recte ad me perlati sunt libri illi omnes, quos meo Consulisque Brinckii nomine in nupera illa auctione Elseviriana coëmeras, de quibus, ut & illis, quos non mittis, coram volente Numine. Nunc tibi en pretium eorum, quos missos accepimus, quæ est summa viginti trium florenorum & quinque stuferorum, ut habet designatio tua in literis expressa. Gratiasque tibi & meo & Consulis nomine habeo. Quæ his est adjuncta scheda ea manu Consulis ejusdem Ernesti Brinckii est exarata. Optaret enim ille, si haberi, possent aut excusi uspiam in Dania sint, libellos istos. Hos enim, ut nosse te puto, inter cetera ei curæ est, ut in pinacotheca sua habeat, aliisque exhibere queat gentium, quæcunque typis descripta exstant, idiomata seu libros. Memini me apud illustrem Cancellarium Frisium, cum in Dania nuper essem, vidisse Islandica Biblia in Islandia impressa. At Lapponica lingua, quod sciam, nihil adhuc vidi. Nec Islandica etiam lingua minori præsertim forma libelli, cujus-

jusmodi expetit Brinckius, mihi visi. Quamvis idem portatili & minuscula forma habeat enchiridion Lutheri lingua Finnica excusum Stocholmiæ, ac versum in illud idioma ab episcopo Aboensi. Sed tuæ hæc curæ atque inquisitioni committo. Pretium adjecit idem Brinckius. Porro ut *Aquas* tuas *Mirandaque* augeam occurrit inter legendum & aliud veluti in orbe novo agenti locus unus alterque.

Hic lacus, in quo locata urbs Mexico fossus est, & crescit ac decrescit pelagi instar, & dum crescit suas aquas in alium locum vicinum effundit, qui dulcis est, nullos autem pisces fert, sed tantum vermes æstate putrescentes, ac aërem infestantes. Extrahitur tamen in eo magna satis copia &c.

Fontes passim in insula Tercera calidi. Unus etiam in quo ligna lapidescunt, adeo ut juxta fontem arboris ejusdem radices, quæ fontem tangunt, sint lapideæ, aversæ suam servent naturam.

Hæc an tuo instituto faciant, tu videbis. Interea quam felicissime vale salutatus a nobis omnibus quam diligentissime. Dabam raptim Hardervici Ann. 1629. Martii XVI.

EPIST.

EPIST. LXXVII.

Viro Clarissimo

DN. Iohanni Smethio. Neomagum.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Idem olim nomen Afrania & Aufania.

Vid. supr. epist. 67. Statim ecce per Mhenium nostrum mihi redduntur tuæ mi Smethi, quibus præter cetera formam lapidis istius Terspyckianæ inscriptionis ob oculos nobis graphice proponis. Quod vero ipsum Afraniarum nomen attinet, vel ut in ea diserte expressum legi significas *Aufaniarum*, hoc insuper erat, quod superioribus ad te meis insertum volebam, reperiri scilicet hoc etiam nominis in *Dig. lib.* 3. *tit.* 1. ubi hæc ipsa Valerii Bucconis uxor Valerio Maximo, ut meminimus, indicata appellatur *C. Calphurnia* itemque, prout variant editiones, *Carfania* pro C. Afrania seu C. Affania, idque, ut facile est existimare, euphoniæ gratia. Solent enim veteres asperam illam & caninam literam R sæpiuscule hoc pacto emollire, vel non pronunciando præterire, imo nec scribere, quod nunc exemplis demonstrare otium meum vix sinit. Nec interim est, quod existimes hoc me agere, quasi persuasum cuiquam velim ita accipiendum & legendum istud, deque Afraniis hujusmodi ac fœminis cordatis, vel ut habet Valerius, impudentia abundantibus intelligendum in hac, de qua agimus inscriptione Au-

FA-

FANIARUM nomen. Nequaquam mi Smethi. Nam causas ejus, quæ id urgeant, exsculpere adhuc nullas potui. Tantum id modo sufficit, si demonstrare queamus, quomodo Romanum id vocabulum sit genti togatæ usitatum. Habes quæ desubito tuis illis addenda vel respondenda existimabam. Tu, mi amicissime, cum tuis valebis quam feliciter. Dab. Harderv. x. Maji 1629.

EPIST. LXXVIII.

Viro Clariss. Stephano Stephanio

JOH. ISACIUS PONTANUS S.

Correctus Saxo Grammaticus.

Ornatissime mi Stephani, Pergratum fuit ex tuis, quæ mihi commode sunt redditæ, intelligere, imo cum iisdem accipere & potiri, quod desiderabam V. CL. Casp. Barlæi iterato descriptum mihi epigramma. Illud prius nondum in manus meas rediit. Itaque tanto hoc erit gratius, quo deperditum id magis magisque indies intelligo. Cerevisia ad D. Scriverium hesterno die missa est per nauclerum Hardervicensem, cui nomen est Cornelis Woutersen. Spero in cellam ejus penuariam modo delatam. De quo fieri ex ipso certior aveo. Scriptum Dn. Buræi, quod cur polemicum voces ignoro, ecce hic habes nostra manu jam pridem descriptum. Est vero id Arctoi orbis succincta ac brevis descriptio. Ubi descripseris ad me meum redire velim. Quod

&

& curaturum te non dubito. Jonam Coldincensem de regno Daniæ & Jonam ab Elverfelt de Holsatia tibi una mitterem, nisi utroque mihi hoc tempore inspecto opus esset, ut & Blefkenii Islandiam. Singulos interim, nec ambigo, reperies apud Scriverium nostrum. Quibus addi velim ipsius Arngrimi Islandi Islandiam, cui, quia ut plurimum refutat Munsterum, obiter præmittere poteris ipsa Munsteri verba. Siquid aliud aut alias occurrat, indicabo, aut coram, ubi ad nos per occasionem hac æstate excurreris, communicabo. Arngrimi illa Islandia itidem apud Scriverium est. Locus porro, de quo quæris, Saxonis nostri Grammatici, quique est *lib.* 9. de Ubbone Regneri Lodbrogi filio his verbis, *At ille immensa vi extricatis recisisque catenis indies sibi nexus disjicere ac lacerare adorsus nullis obitum modis effugere potuit*, eum recte animadvertisti nonnihil mendosum, cum vinculis exinde solutus ac patri reconciliatus Ubbo idem memoretur. Nec dubitem delere vocem *obitum*, ut intelligatur id temporis effugere haud potuisse, aut saltem, si placeat, legam *nullis abitum modis effingere potuit*. Adde quod versio Danica Andreæ Velleji similiter omittat turbantem eam voculam *obitum*. Hæc calamo & animo festinante deproperabam XVII. Maji 1619. paulo post quam tuas accepissem, & de manu adhuc calentes seposuissem.

EPIST. LXXIX.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Emanueli Morales ſuo

S. P.

Veterum ſaccharum ac noſtrum an unum idemque.

Sæpenumero ex te, Ornatiſſime Emanuel, cum de eo ageretur, percepi, Saccharum noſtrum & veterum unum idemque fuiſſe ac eſſe, ſi primam ejus originem, qua in cannis & arundinibus naſcitur, videamus; acceſſiſſe poſtmodo artem, & excoluiſſe, quæ veteres ignorarunt. Quod cum ita ſit, & ex te acceperim, qui annos circiter quadraginta Braſiliam inhabitaſti, veterum authorum verba inſpicienda propius judicavi, quæ alio ſubinde ire videantur. Inter antiquiſſimos fere primus Dioſcorides ſaccharum inter mella recenſet, & aliud apum, aliud arundinum eſſe dicit; At quam laxe hic loquatur Dioſcorides, quis non videt? cum illud quod arundinum eſt, ad apes ſive animalia referri non debeat. Eſt enim arundo ſtirps ſive planta, quæ, ut reliqua vegetabilia, ſuccum ſuum & frugem, qua adoleſcit, ex terra trahit. Sed ignoſcendum hic vetuſtis authoribus, ut in multis hujuſmodi aliis. Illud interim nos docet Dioſcorides, arundinum illum ſuccum, ut ipſemet appellat, ſaccharum dici. At occurrunt hic alii, voluntque, arundinem, ex qua ſaccharum ſuum colligebant antiqui, fuiſſe ex eo genere arundinum

num Indicarum, quæ in tantam altitudinem & crassitudinem excrescebant, ut quinque homines brachiorum amplexu eas circumcingere non quirent, ex quarum singulis internodiis naviculæ excavabantur μονόξυλοι. Iam quærunt, an ad eam magnitudinem accedant hodiernæ cannæ saccharinæ. Respondetur, haudquaquam accedere, & illas crassiores apud Indos cannas, quod docet hodie ipsa αὐτοψία succo omni, ut omittam saccharum, esse vacuas. At inquiunt, in ipsa arundine concrescebat vetustum, & in ea quidem parte, qua folia ex corpore arundinis prodeunt, quæ sive Plinii, sive alterius authoris sint, à vero sunt remotissima, cum ea refutet hodie ocularis inspectio & experientia, quæ nec in canna, nec in foliis tale quid reperiri prodit, quod in aliquem numerum aut momentum referri queat. Unde & Senecæ illa verba epistola 84. *Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod ros illius cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat*, haudquaquam majoris ponderis habenda, utpote qui res auditione acceptas ac sibi incompertissimas memorat: quemadmodum Tacitus, cum de Germaniæ gentibus retulisset, sub finem addit, miras formas hominum sub extremum boream, ex authorum traditione reperiri, sed ut gravis author Tacitus continuo addit, se ea in medium malle relinquere, quam asserere. Nam hodie cum totus nobis boreas pateat, quis talia ibi deprehendit? Non itaque authorum verba, ut κυρίως semper δόξαι habenda, nisi illa longa dies, ac filia veritatis, tempus, firmaverit. Ipsi autem ut porro hic

hic occurrant objicienti seu quæritanti: *Ubi ergo illud veterum saccharum? aut cur id hodie nobis ignotum?* respondent, Indis suis hodie cognitum esse, cum eadem canna, eodem concrescendi colligendique modo &c. At illud quis non simplici ac levi obviatione quam facillime eludat? Cum illud si esset, quomodo id sagacissimos, & qui cuncta perreptant, solertissimos orbis nostri institores latere potuerit? aut quomodo id in illorum conspectum ac notitiam devenire hucusque nequierit? Plura vellem, & possent opportune plura quoque adduci, sed prohibet corporis afflictissima ægritudo, quæ nec ad Musas nec ad Musæum respicere concedit. Tu mi Emanuel, quæ raptim scripsi, sive potius ad calamum amanuensi è lectulo dictavi, boni consule. Harderv. cIↃ. IↃC. XXXIX.

EPIST. LXXX.

Viro Clarissimo

Dn. Stephano Johannis Stephanio

JOHAN. ISACIUS PONTANUS

De discussionibus historicis adversus Seldenum. De tomo secundo historiæ Danicæ.

Literas tuas, mi optime Stephani, hodie accepi, & eodem tempore, urgente, qui res tuas

O Am-

Amsterodami dexterrime curat, Elzevirio, ad easdem respondeo, sed & sponte mea ad easdem respondere non cessassem, licet afflictissima sit, quæ me jam semestre totum lecto detinet, valetudo. Est intestinorum debilitas, est tenasmus, est & aliud, nescio quod, malum, quod eam corporis partem infestat, ac pessum quasi reddit. Discussiones nostræ adversus Seldenum, quod tibi placuerint, quodque eas diligenter perlegeris, indicium mihi est, quod super iis in hac epistola ponis, judicium tuum. Quod ego judicium libro isti meo nonnihil hinc inde emendato & aucto præfigi, aut saltem præscribi curabo, qui ad novam editionem, sed minori formâ, destinatur, & nuper destinabatur, nisi tardasset, ut solet, typographus. Nunc ad te mitto historiam meam Gelricam. Danicam, sive tomum secundum istius historiæ, paratum quoque habemus, emittendum, volente Deo, ubi parata omnia habuerit, quæ ad tantum opus emoliendum spectant, bibliopola. Tua, quæ præ manibus habere te scribis, ætas & judicium, quæ tibi supersunt, expolire paulatim poterunt. Laudum tuarum, quibus Zevecotium nostrum cumulas, ipsemet lector fuit, avidus earum haud dubie auditor, ut sumus fere omnes philautuli. Interim dum isti ejus inhærescis præconio, omisisti consulem nostrum Brinckium, quem nominare, aut saltem salutare, pro veteri more soles. De Arngrimo Islando nihil jam habent literæ tuæ, is an adhuc vivat valeatque, & an episcopali dignitate, aut simili, quam meretur eruditio ejus, in ista

ex-

extremi Boreæ patria sua præditus sit, scire deside-ro. Hæc è lectulo, utpote qui exercere manus extra ejus lodices non audeo, amanuensi dictavi. Harderv. Ann. cIↃ. IↃc. xxxix.

Epist. LXXXI.

Viro Clariss. Johanni Isacio Pontano

CONSTANTINUS L'EMPEREUR
S.

Cur Jovi Ammoni cornua. Quid cornu in sacris.

Celeberrime vir atque amice integerrime, Ad eruditam epistolam, quam 8. Kal. Augusti præcedentis anni exarasti, nondum respondisse mihi videor. Loca quæ ex authoribus diversis producis, eorum occasione quæ de vite aurea scripseram, appositissima sunt, meamque expositionem adeo illustrant, ut secunda editione (si eam quandoque exhibere detur) nulla ratione prætermittenda censeam. Si coram tecum de aliis codice *Middoth* contentis conferre licuisset, nullus dubito, quin similia multa suppeditasses. Sed hujusmodi impediunt locorum distincta spatia. Cæterum tui favoris & familiaritatis nostræ testimonium aliquod ut inpæsentiarum a te expetam, facit consuetudo, quæ per octennium intercessit arctissima. Quod peto tale est, ut institutionibus Mosis Kimchi, quas lingua Rabbinica conscripsit, quasque una cum annotationibus (quibus multa scripturæ sacræ per occasionem illustro testi-

Vid. supr. epist. 45.

O 2 mo-

monia) jam edo, carmen præfigendum transmittas. Liber jam in octavo excusus; præfationem præmittere supersedebo, donec petitioni meæ satisfeceris. Porro ante septimanas aliquot adfuit mihi Boxhornii nepos cognatus tuus, qui a te litteras accepisse narrabat, ubi & Jovis Ammonis fieret mentio, cui cornua tribuit antiquitas. Cornu in sacris potentiam denotare indubium & pervulgatum est: sed auxilium & defensionem etiam notari assero; idque e ritu veteri, quo cum altari cornua imponebantur, tum ad ista cornua altaris confugientes in asylo tuti erant. Quo pertinet Joabi factum 1. Reg. 2. 28. *Fugit Joab ad tabernaculum Domini, & apprehendit cornua altaris.* Cum vero hujusmodi asyla, unde nemo abduci facile posset, antiquis diversa fuerint, non dubium quin Ammonis templum etiam hoc privilegio condecoratum fuerit, merito ergo ei tributa cornua, quibus veteres, opem, defensionem, ac salutem olim designasse testantur plurima S. Scripturæ loca, ut 2. Sam. 22. 3. *Deus petra mea, sperabo in eo: scutum meum, & cornu salutis meæ, elevator meus, & refugium meum.* Sed de nomine ambigitur magis; omnino existimo, nominis etymologiam nemini dubiam esse posse, si quis Diodori Siculi, quæ occurrunt *lib.* XVII. *cap.* 49. contulerit cum his verbis Rabbi Nathanis in lexico suo Talmudico. Sic enim R. Nathan in voce חמון inquit, *In Genesi magna* (commentarius est antiquissimus in Genesim) *exponunt Ammon quatuor significationibus, Ammon pedagogus; Ammon occultatus; Ammon tectus; Ammon magnus.* Confe-

ferantur quæ Diodorus dicto loco de Ammone reliquit scripta, nec nominis ratio quenquam latebit. Ammon ut pædagogus occulta ac ignota docebat; de occultis consultus, respondens eadem revelabat; ejus *templum alterum multis magnisque arboribus inumbratum* tegebatur; quin etiam adeo tectum & occultum ad templum iter Alexandro fuit, ut crocitantes corvos sequi oporteret; magnus etiam & venerandus cultoribus, magnoque etiam Alexandro, videbatur. Cum a Græca voce ἄμμος, quæ arenam significat, nomen arcessunt, certe non omnino fallutnur: siquidem arenæ vis immensa erat, Diodoro teste, antequam eo perveniri posset. Qui a חמה *sole* deducunt, Diodorum etiam faventem habent: quippe qui Solis fontem Ammoni vicinum faciat. Hæc per occasionem adjeci; alia, si cupias, adjicere paratus. Vale mi Pontane & amicum tuum vicissim amplectere: tuos a me saluta, atque insuper D. Essenium, Alardum Honingium, Zevencotium &c. nec ullo modo prætermittas D. Bronchostium. Iterum Vale & salve ab eo qui

Lugd. Bat. 16. Kal. Aug.
1631. partæ salutis.

Tui est amantissimus
CONST. L. E.

O 3 EPIST.

EPIST. LXXXII.

P. SCRIVERIUS ISAACIO SUO S. P. D.

De prælio inter Gelriæ & Juliaci Duces, Tacitus tribus locis correctus.

Vid. *supr. epist.* 42.

Vicinior tibi factus, Pontane jucundissime, non possum equidem intermittere, quin amicum tantum salute mea impertiam, quem coram tueri atque amplecti mavelim. Et sane, si permisisset cœlum, destinaveram rheda ad vos excurrere. Nunc, quod licet, istis literulis me tibi sistam, coactus iter meum differre in ver proximum, Ita variis occupationibus distrahor, & distendor. Scripsi ante mensem unum aut alterum, ut mihi, non obiter, sed prolixè, significare velles, quid tui, cæterique annales Gelrici memoriæ prodant de memorabili prælio, commisso inter Gelriæ & Juliaci Duces anno 1444. Quis nam ille, qui e primaria nobilitate cæsus eo conflictu traditur, *Vande-rykius*. Ita enim illud nomen Latine annotatum invenio, cum reliquo desideratorum numero, quos omnes vernaculis nominibus mihi, aut potius nobili cuidam, amico meo, prima occasione exprimi velim: dilucidiusque illud ipsum bellum exponi: Præterea scire inprimis aveo, quando Gelros historiâ sua sis cohonestaturus? quando Danos item suâ? quæ jam diu sub prælo desudat: &

typographum jam obijsse intelligo. Petiit nuper Stephanius tuo nomine a me carmen encomiasticum, sive eucharisticum. Continuo ipsi exhibui Elegidion, quod in honorem Gelricæ Historiæ condideram. An communicaverit, nescio: hoc scio, advocasse me aliquoties deinde Musas; sed frustra. Itaque de poëmatio ad Danicam Historiam nihil polliceri ausim. Destinati mensæ tuæ casei duo Leydæ, dum inveterascant, detinentur, una cum aliis quos in usum meum servat tricliniarches. Hoc volebam nescius ne esses. *Pestilentia extinctum.*

Sed heus, etiam hoc. Tacitum viæ meæ comitem assumpsi. In quo me turbat initio statim Annal. I. *Dictatura ad tempus sumebantur: neque Decemviralis potestas ultra biennium, neque Tribunorum militum consulare jus diu valuit.* Quid audio? Tacitus ne asserat Decemviri imperium non ultra biennium fuisse! Immo ultra biennium & aliquot menses fuit. Quare malim, *intra triennium. Intra*, inquam, non *ultra triennium*, quæ Vertranii correctio est erronea. Fastos, Livium, aliosque vide. At si exactè totum locum consideremus, nullibi tempus exprimit auctor: non Dictatorum, non Tribunorum militum: solum Dicemviralis potestatis tempus, & quidem falsum, designabitur? Credat Judæus Apella, Non ego; & ejecto glossemate Cornelianam phrasin restituo. *Neque Decemviralis potestas, neque Tribunorum militum consulare jus diu valuit.* Doctus quispiam e regione *Decemviralis* adscripserat in margine, *ultra biennium.* Quod deinceps in contextum irrepsit. Glossula quidem ea optima est,

sed exculcanda ex historia Taciti, temere inculcata:

Pagina sequenti simile mihi videor deprehendisse glossematium his verbis: *Bruto & Cassio casis; nulla jam publica arma. Pompejus apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido.* &c. Nec sic alibi loca stragis exprimit Tacitus: quare contaminatum ab impurâ manu locum corrigo: *Pompejanis oppressis.* Oræ appositum fuit, *apud Siciliam:* satis barbare. De re ipsa Lipsium consule in Commentario.

Annali xv, ubi de Senecæ immortalitate dignissimi herois cæde: *Quin & verba Flavii vulgabantur*, inquit, *non referri dedecori, si citharœdus dimoveretur, & tragœdus succederet: quia ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.* Lego, nisi me fallit animus, verissima transpositione, *ita ipse tragico ornatu &c. Ipse*, scilicet Philosophus qui & Tragicus, quanquam omnes quæ circumferuntur ejus nomine Tragœdiæ, Senecæ non sint. Tacitum tuum minuscula formâ nondum vidi. Vale amicorum veterrime, atque integerrime. Raptim Amstelredami X. Martii cIɔ Iɔ c xxx.

Quæso, ad hæc dum hic moror (octiduum, & forte diutius ero) mihi de plano, quod potes, responde. Saluta Cos. Brinckium, & repete ab eo librum meum manuscript. quo opus habeo.

EPIST. LXXXIII.

CL. V. J. Isacio Pontano Suo
SIBRANDUS SICCAMA
S.

De veteri Codice Legum Germanicarum. De Ausonii Popmæ & Titi fratris ejus morte.

Heri annus vertebatur Cl. & amicissime Pontane, ut habent Ephemerides meæ, quod Hardervico a vobis Amstelodamum discessi, ab eo tempore unas a te literas accepi, quibus tum rescripsi, unaque libellos aliquot ad te misi, quos petieras, nimirum Suffridi Petri de Scriptoribus Frisiæ, & Sixti Hemmama Astrologica, aliosque, quos sartos tectosque apud te servari existimo; ut & apud me castissime habetur Codex LL. Germanicarum ex Bibliotheca vestra publicâ, thesaurus sane rarissimus, literatis & Antiquitatum studiosis, qui verum ejus æstimium inire possunt. Nam superficiarios literiones, quibus hæc barbariem sapiunt, nihil moror, nec hili aut titivilitii facio. Equidem candide profiteor me plurima ex iis didicisse, & gemmas quasdam ex hoc stercore (ut illis quidem olere videtur) collegi, quibus notas meas ad LL. Frisicas, editione secunda, & Commentarium ad Pragmaticam sanctionem Imp. Sigismundi de libertate Frisiorum ornatiorem me redditu-

EPIST. LXXXIV.

TYCHO BRAHE

Joh. Isacio Pontano S.

De Willebrordo Snellio. De Scaligeri opere de emendatione temporum.

S. Binas jam nuper a te, dilecte mi Joannes Isacide, intra paucos dies accepi literas. Ex quibus cognovi te salvum ad patrem Amstelrodamum hinc rediisse. Quod & libenter audio. Respondebo vero ad utrasque hisce unis : & ad priores primum. Indicas illic statim ab initio, commilitonem Joannis Antonii tecum fuisse, literas accepisse, contenta earum placuisse; ideoque ipsum itineri confestim se accinxisse. At vero, nec is, nec ejus socius, tanto interim elapso tempore huc advenit. Si postmodum id fiet, mihi non erit ingratum. De Sphæropæo quod scribis, illum propriis literis suam sententiam mihi aperturum: nihil tamen etiamnum ea in re effectum est. Nam, nec literas, nec globos, exinde ab eo obtinui. Videtur avaritia nimium fascinatus: a qua Astrali infectione, sive cæli, sive soli vitio, plerique eorum, qui cætera propemodum religionis quodam affectu, effectuque superare, vel didicerunt, vel videri volunt, se vindicare non sustinent. Si is promissis non ste-

ſteterit, erit fortè alius, qui lubens hanc conditionem arripiet. De doctis veſtratibus quæ ſcribis, mihi inprimis accepta ſunt. Magnus ille Scaliger ſi huc in Daniam (uti ſignificas) advenerit, haud vulgaris felicitatis loco, ſi me inviſere non degravatus fuerit, duxerim. Virum enim illum, etſi abſentem, mihique de facie adhuc ignotum, ſemper (uti etiam ejus meretur virtus, & doctrina incomparabilis) in precio habui, ſuſpexique plurimum. Douzam Filium ſummæ expectationis juvenem, quem a vobis in Germaniam, adeoque vicinam nobis Cimbriam diſceſſiſſe, meque, ſi alia non obſtiterint, hic alloqui decreviſſe, ais, nondum vidi. Si is deinceps acceſſerit, erit mihi ipſius congreſſus perquam jucundus. Nam & ejus ingenium, & ad ſolidam eruditionem arduum enixum, diu, multumque magni feci. R. Snellium, eximium illum Lugdunenſium Mathematicum, quod meo nomine conveneris, & conſilium de filio iſthuc mittendo aperueris, ejuſque diſciplinæ commendando, gratum eſt: Longe vero adhuc gratius, quod jam in tantum ipſi placuerit, ut filium ſuum huc viciſſim mittere, & meæ fidei concredere (dummodo de meâ voluntate prius certior redditus fuerit) animum induxerit. Ego meum Tychonem iſthuc ſub initia futuræ æſtatis, ut ſtudiis ingenuis operam navet, amandare conſtitui, & Snellii diſciplinæ, morumque inſpectioni ſubmittere: nihil de ipſius fide, & integritate addubitans; quin ſeduli & fidelis præceptoris, ac moderatoris munus ſit obiturus. Si ille ſuum

ſuum Gillebrodum, aut antea, vel etiam poſt, huc ad me miſerit, erit is mihi pariter ſerio curæ; tam quoad liberalem inſtitutionem, & honeſtatis morum inſpectionem, quam cætera, ad decentem educationem, ſuſtentationemque neceſſaria. Intelligo, ipſum eſſe ferme ejuſdem ætatis cum meo filio, id eſt, jam primos pueritiæ annos, ſive ſecundum ſeptenarium exceſſiſſe; atque in hac tenera ætate Arithmetices, & Geometriæ ſtudiis initiatum eſſe: Idque non ſaltem ex tuis literis; ſed & a Franciſco Tengnagel, qui nunc mecum eſt, a Douza Juniore mihi commendatus, perlubenter cognovi. Erit itaque is, ubi huc appulerit, mihi loco mei filii, quemadmodum ſpero, optimum illum Snellium meum quoque vice ſui habiturum: ſicque, quiſnam majori affectu ſuum adoptivum proſequi pergat, invicem certabimus. De ſumptibus, quæ ad honeſtam mei filii ſuſtentationem requiruntur, haud gravatim providebo. Quæ omnia ut ad ipſum Dominum Snellium meo nomine referas, te rogatum habeo. Scripſiſſem ipſemet illi, modo ſuppeteret otium. Verum fiet id alio tempore commodius. Literas ejus, quas illum ad me miſiſſe innuis, necdum accepi. Sed, ſive is ſcribat, ſive non, nihilominus mea de ipſo ſincera perſuaſio ac fiducia, ſartæ, tectæ manebunt. Ipſum eſſe quam occupatiſſimum, tam in privatæ ſuæ ſcholæ, quam publicis Academiæ laboribus exequendis, & ab aliis, & a prædicto Tengnagelio jam antea ſatis percepi, ut ob id eum, quod ſcriptione ſuperſederit, non invitè excuſatum habeam. De

re

re pecuniaria patri tuo scribo. Quare hic subticeo. Nunc ad alteras tuas. Iconem mei isthic expressam una accepi : licet & antea eadem per Cunradum nostrum (qui hanc Coloniæ sculptam existimavit) huc delata sit. Non satis placet, quod duobus hæmisphæriis imaginem istam inniti fecerit artifex. Videtur id minus gravitatis præ se ferre. Is quidem forte suo quodam consilio, nec sine industrio labore sic faciendum censuit. At mihi, si rotundas istas picturas omisisset, vel adhuc in aliqua altera (si sic volet) imitatione omiserit, rem magis arridentem præstiterit : sic quoque pomposa illa circumscriptio nimia est. Neque enim tanto me dignor honore: Opera nonnulla ex meis, de quibus solicite inquiri asseris, brevi (uti spero) lucem publicam videbunt. Nactus enim jam tandem sum chartopæum. Ideoque papyrus Typographiæ nostræ inserviens, (cujus defectus editionem hactenus retardavit) nunc indies in propria hic moletrina conficitur. Ad ea, quæ de Snellio, & utriusque nostrum filiis in his posterioribus repetis, jam antea responsum est. Scaligeri de Emendatione Temporum præstans illud opus recognitum, ubi illud consummatum fuerit, si mihi transmiseris, rectè feceris. Quoniam vero de Anni Juliani cum cælesti comparatione ad amussim præfinienda is inibi non minima ex parte agit, quo epocham antiquissimam illam Judaicam a se productam, vel quamvis aliam, cum æquinoctiis, hoc ævo cælitus quam accuratissimè depromptis, penitius conferat (siquidem ea,

quæ

quæ ex libris, & tabulis quibusve petuntur, nimium devia sunt) addidi quaterniones aliquot Primi Capitis Progymnasmatum nostrorum Astronomicorum, quod de Olari curriculo tractat. Isthic pagina 13. utriusque Æquinoctii rata momenta certis annis applicata inveniet; quæ cum vetustissimis illis pariter, respectu bisexti Juliani, se habentibus non inutiliter componet; veriorem que Anni cælestis, & Juliani ad invicem commensurationem, quam antea hinc extricabit. Quamvis autem ea, qua ego isthic utor, pro hisce proximis seculis Anni Æquinoctialis, Olarisque quantitas, saltem ab Epocha centum annorum derivata sit, Observationibus videlicet Regiomontani, ejusque discipuli Gualteri; idque peculiari quodam consilio; ut inæqualitatis labyrinthos, a Copernico, & aliis, nimia tum (uti ego sentio) credulitate & licentia introductos isthic loci evitarem: Attamen, si comparatio cum Observationibus ante plurima secula habitis rite instituatur, iis præsertim quæ fidem indubitatam merentur, (quales ego Hipparchi præ ceteris esse judico, qui ad utriusque luminaris Apparentias diligentissime attendit) vix annua quantitas a nobis illic prædefinita in pauculis, ut pote 5. vel 6. scrupulis secundis deficiet: ideoque annorum determinationem nequaquam attinget. Disparitatem vero, tam in anni quantitate, quam in motu fixarum stellarum, non adeo esse magnam, tantique momenti, prout suspicantur Astronomi, meæ Observationes selectioribus vetustis applicatæ demonstrant. Hæc per occasionem

nem ad Dominum Scaligerum ut referantur, efficies. Alibi pluribus, quid in his expertus sim, sentiamque, declarabo. Tu autem illustrem illum virum nostri seculi decus ex me quam officiosissime saluta, resalutaque. Tum quoque doctiss. Dominum Snellium, Douzam enim ad vos nondum reversum existimo. Verum antea ejus hic præsentiam avide expecto. Vale mi Joannes, & de mea erga te benevolentia nihil ambige, quam semper tibi probatam relinquam, præsertim si (quando ad nos redieris) mea opera tibi uspiam commodare possit. Iterumque vale. Raptim Uraniburgi 5. Septembris Anni 95.

TYCHO BRAHE
manu propria.

EPIST. LXXXV.

P. SCRIVERIUS
I. Isacio suo S.

Vienna vitifera. De Dea Epona. Inscriptio explicatur.

Binas tuas accepi, sed non patricium illum, qui ultimas tulit, excepi, aut in familiaritatem meam, quod volebas, admisi. Domi non eram, quum me quæreret, & serio irascor fortunæ ejusce horæ, quæ invidit mihi tantum bonum. Sed dabitur alias, volente Deo, cum eo colloquendi occasio. Sane me, quando volet, appellabit, imo interpellabit nunquam repellendus. Norit & ille meam indolem factam benignitati, imo comi-

comitati. Sed hæc hactenus. De Itinerario tuo securus esto, nominis mei oblivio me potius capiet, quam ullam prætermittam tibi inserviendi & mandata tua exsequendi occasionem. Quin id jam sedulo egi, & typographum qui suis sumptibus id excuderet quæsivi, sed non inveni. Raphelengius quidem non abhorret, quid abhorret? imo cupide cupit, sed operas & præla sua occupatissima dicit. Ad Bassonium itaque me contuli, qui pro charta & impressione in singula folia septem florenos exigit. Hunc, si in proximas nundinas prodire velis, suadeo adeamus. Non minoris alios hoc quidquid est suscepturos confido. Ego in Martiale meo sex florenos dedi, & charta mihi seorsim persolvenda fuit. Quid fieri velis semel statue, & simul exemplar per proximum nautam mitte, si modo descriptum fuerit. Curabuntur omnia haut secus ac si ipse hic præsens esses quam diligentissime. Vienna illa omnino est Vienna Allobrogica Galliæ Narbonensis, neque ullum interpretem vidi, qui de Austriaca Germaniæ accipiendum diceret. Cæterum notandum *vitiferam* eandem urbem vocari in Xeniis disticho CIV sub lemmate, *Picatum vinum*.

Constarent itaque viginti quaterniones 140. florenis.

Hæc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

De Viennensi uva etiam Plinius *lib.* 14. *cap.* 2. Sed quis ibi Romulus sit non satis enucleant Interpretes, & mihi profecto hæret aqua. Conjeci in Animadversionibus meis M. Antonium Primum, de quo Tacitus, & Martialis non uno loco, intelligi. Qui melius conjecerit, vatem hunc perhibebo optimum.

Inscriptiones istæ descriptæ ex arce Meudon apud Gruterum extant, qui habuit a Scaligero. C. JULIUS AUG. L. EROS pag. 614. & JULIA GLAPHYRA pag. 874 legitur. De EPONA vero inscriptionem, quæ Saloduri in Helvetia ostenditur, habet Gruterus pag. 87. ut & duas alias de eadem Dea, quas, in usum si fors tuum, hic adscribam.

In Corinthia valle Laventina,

HERCULI. ET. EPONÆ
AUG
PRO SALUTE. IMP. CÆS.
M.AUR.ANTONINI.PII.FELICIS
INVICTI

- - - - - - - - - -

- - - - - - - - -

Ex Apiano.

In arce Pinoberg prope Danubium.

CAMPES. ET EPONÆ
ALA. IST.NG: HR. CR. QUI. ET
ÆL. BASSIANUS. PRÆ.
V. S. L. L. M.

Ex Apiano.

Hujus deæ meminit Juvenal. Sat. 8. & ibi vet. Interp. Prudentius in Apotheosi, Apulejus Milesf. 3. Tertullianus Apolog. Minutius Octav. Fulgentius *lib. de prisco sermone* in voce *Semones*. Plutarchus denique in *Parallelis* ubi de Fulvio Stello. Ex quibus omnibus liquet fuisse deam jumentorum, asinorum puta & equorum. Scribendum autem *Epona* ut Plutarchus & Inscriptiones, non *Hippona*, quomodo fere editur in plerisque auctoribus. Sed quid ago? finem tecum garriendi facere jubet nauta jam jam profecturus. Desino igitur, & uberiores literas, cum tuas accepero, promitto. Restabat aliquid de Campestri deo, qui Eponæ conjungitur in lapide arcis Pinobergensis. Libros quos per me dato syllabo cu-

curari volebas hic habes: de singulorum pretio constabit tibi ex addito Raphelengii cheirographo. Wouwerii ad Tertullianum emendationes haberi non possunt. Notitiam Imperii credo Elzevirium Hagæ Comitis emisse, sed nondum ex illa librorum L. Casembrotii auctione reversus est. Quam primum accepero, mittam & una, si videre aves, Meursii librum, quem proxime edidit de Luxu Romanorum, addita Mantissa philologicarum aliquot observationum. De quibus quid sentiam aliquando coram. Vale noster amor, Vale. Scripsi summa cum festinatione. Lugd. Bat. die XIV. Maji. CIↃ. IↃ. C. V.

EPIST. LXXXVI.

JOH. SMITH

Johanni Isacio Pontano S. P.

Vetus inscriptio, aliaque.

S. Pl. Clarissime & experientissime Vir. Gratum fuit Coss. nostris audire, quod de tuo erga hoc oppidum studio retuli. Ipsorum jussu antiquæ actuariorum tabulæ fastorum concinnandorum causa excussæ sunt. Sed frustra fuimus: Tanta enim superioribus seculis illorum hominum incuria fuit, ut quales speraveramus fastos aliquot seculorum non lacunosos dare non possimus. Cœpi tamen ego ab illo tempore notare alia, quæ ad urbis hujus splendorem illustrandum mihi facere videntur, & crescit sub manu moles, justum ut video aliquando volumen, si quis in ea

exornanda operam ponat, æquatura. Præcipue si omnia antiquitatis monumenta, quæ hic inventa sunt, vel per indicem enumeret. Inscriptiones nummorum, laterum, testarum, quæ apud me unum sunt, non paucas paginas implebunt. Neque hæc enumeratio ab ista tractatione aliena, vel antiquitatum studiosis meo judicio ingrata erit. Cipporum nostrorum inscriptiones, quas Gruterus dedit, infeliciter redditæ sunt. Exemplum habe in illa omnium celeberrima, quæ si ego recte lego talis est:



De aliis si Deus volet coram. Videbis tum quinquaginta amplius diversas fibularum formas, & quod magis forte videre juvabit ænea Sicambrorum capita, barbis prolixis, capillo in nodum supra caput colligata insignia. Interea amicorum quorundam causa apographum te rogo ejus carminis, quod de Novimagensibus Jovialibus Martinien-

tiniensibus mihi prælegisti. Si quid hic est, in quo meæ operæ tibi usus esse potest, tuo jure impera. Vale optime & me ama.

Noviomago 3. Idus Januarii Ann. 1628.

C. T. observantissimus
J. SMITH.

EPIST. LXXXVII.

Ger. Io. Vossio
JOH. ISACIUS PONTANUS S. P.

De Q. Curtii ætate.

Ornatissime Vossi, Cum istis diebus præsens præsentem compellarem, illud me male habuit tam iniquum tum fuisse tempus meum, ut non mea sed aliena, id est, rauca & adhæsa te voce affari cogerer, & dies quoque, quem præfinitum mihi habebam, illa tua, quam prolixe offerebas, frui humanitate haud ulterius permitteret. Sane me tibi & illæ tuæ prothymiæ devinctum semper fatebor. De Curtio autem quod tum volebam innuisse magis quam dixisse puto. Nam quod existimabas de *domo eadem*, quod Curtius ait, ad Vespasianum quoque posse referri, cum Æneidum prosapia in prioribus ante eum Cæsaribus, & præsertim in Nerone, finem habuerit, etiamsi concederetur, hærebit nihilominus aqua in illis verbis, *Absit invidia*,

 ex-

excipiet hujus seculi tempora ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna posteritas, quod Vespasiani posteritas diuturna non fuerit, & filius ejus Titus annos tantum duos, frater vero Titi Domitianus quindecim, in imperio transegerit, quibus haudquaquam adscribi possit *Bonum Factum*, aut illud Curtianum elogium, *Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium.* Ipse autem Vespasianus, qui ultra decennium rerum potitus, quomodo *longæ pacis* laude *cuncta refoventis*, quam suis *lib.* 3. temporibus sub Romana mansuetudine tribuit Curtius, celebrari poterit? Adeo ut iterum iterumque fateri habeam ejus noctis, quam ait Curtius, Romanos pene habuisse supremam, haud aliud illuxisse sidus novum, quam Trajanum, ejusque, non Solis, ortum, ut idem porro addit, conditis gladiis lucem caliganti reddidisse mundo, idque tum præcipue, cum in Nervam conjuratio Calpurnii Crassi, Ælianique, & aliorum inita detegeretur. Nam statim exinde ascenso Capitolio M. Ulpium Trajanum adoptavit, ac successorem sibi Nerva declaravit. Cui etiam continuo post defuncto succedens Trajanus imperium diu feliciterque tenuit, ut & Adrianus, qui eum excepit, non filius, sed ejusdem, ut verba habent diserte Curtii, *domus* & familiæ imperator. Jam quod stilum Curtii attinet, eum anterioris fere seculi videri, movere id posset, nisi omnibus sub Trajano authoribus concisum ut plurimum dicendi genus placuisse videam, nec tamen omnes pari id modo aut laude assecutos. Nam Florus, licet verba ei stricta sententiæque argutæ sint, flos-

flosculis tamen rhetorum orationem subinde fingit. Contraria Taciti est ratio, & multo vicissim alia Suetonii, aliaque Plinii, qui tamen omnes Trajani seculo claruerunt. Et adde his Asinium Pollionem, æqualem propemodum Ciceronis, quem tamen a nitore & jucunditate Ciceronis ita longe abfuisse Fabius fassus est, ut videri potuisset seculo prior. Et denique Eginhardum quis seculo barbaro eam Caroli Magni vitam contexuisse dicat, nisi hoc adstruat auctoritas Adami Bremensis, qui eum prolixe citat, seculo æque barbaro, utpote sequentibus statim temporibus sub Caroli filiis aut nepotibus florens, Curtius, de quo dicere cœperamus, etiamsi dictio ejus tersa multumque elegans sit, nonne & habet, quæ ad seculum inclinans ac deterius referri debent? Sane *Ducatus* vox, quæ apud eum occurrit, nescio an apud alios, nisi eos, qui sub Trajano & illis temporibus floruerunt. De aliis alibi oportunius. At tu, qui tuus est veri cognoscendi amor & studium, in re præsertim tam intricata, quæque tot egregios viros Brissonium, Bongarsium, Modium, Pithæum, Lipsium, aliosque, & nuper quoque virum Amplissimum, nostrumque utrique amicissimum Rutgersium, exercuit, hanc ut spero parrhesiam nostram æqui facies. Age itaque iterum nunc Curtii verba inspiciamus, conferamusque cum singulorum sententiis propius. Ait *lib.* 10. *Sed jam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam & insociabile est regnum & a pluribus expetebatur. Quodque imperium sub uno stare potuisset, dum a*

 plu-

pluribus sustinetur ruit. Proinde jure meritoque populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pene supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus hercule non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces! quot condidit gladios! quantam tempestatem subita serenitate discussit! Non ergo reviviscit solum, sed floret imperium. Absit modo invidia, excipiet hujus seculi tempora ejusdem domus (utinam perpetua!) certe diuturna posteritas. Quibus ex verbis Curtii liquet occasione Macedonici imperii, quod jam a pluribus extincto Alexandro expetebatur, ista de rei Romanæ statu interseri, & demonstrari, *jure meritoque populum Romanum salutem Principi suo debere, cui noctis, quam pene supremam habuerat, novum sidus illuxerit.* Quod sane nec ad Augustum referri potest, cui vivo & ad imperium promoto nullum novum sidus aut successor auxiliaris illuxit, nec ad Claudium, quia post cædem Caji neque imperium a pluribus expetebatur, nec motibus intestinis agitabatur, ut Macedonicum, nec ad Vespasianum, qui ipsi sibi imperium post necem & occidionem Vitellii ascivit. At a Nerva, in quem præter Calpurnium Crassum Ælianus aliique imperio imminentes conjuraverant, adoptatus Trajanus novum ac salutare hoc sidus vere fuit, qui & eam seditionum ac temporum noctem desubito serenavit. Ita enim *noctis* vocabulum accipiendum ibi. Quæ est in voce *sidus* metaphoram puto ostendere. Proprie autem de prælio, quod inter copias Vespasiani & Vitel-

Vitellii noctu est excitatum, frustra expones, quasi ea nocte Vespasianus Vitellio profligato novum sidus ipsi Principi illuxisset. At Vespasianus Principi Vitellio non salutare aut novum sidus illuxit, sed jam ante eam pugnam e Syria cum legionibus adveniens ei minitabatur exitium, atque internecionis quoque postremum causa fuit. Exortus igitur accipiendus hic Trajani, qui Nervæ jam seni & contempto accurrens ipsi *mundo*, id est, imperio universo, *caliganti*, & veluti *trepidanti sine suo capite lucem reddidit*, *faces exstinxit*, *gladios condidit*, Calpurnii puta & Æliani, in quos ut capita & faces conjurationis, quam primum imperium capessiit, animadverti etiam fecit. Atque ita *subita serenitate*, ut deinceps author loquitur, tantam *tempestatem discussit.* Quod iterum nec ad Augustum referas, qui initio imperii sui cum monstris illis Antonio, Pompejo, Lepido tamdiu est colluctatus, nec ad Vespasianum, qui solo sublato Vitellio securus egit, ac brevi exinde decennio circiter exacto imperium finiit. Quibus hoc pacto expositis apte jam, quemadmodum & Florus aliique de ejusdem Trajani seculo, revirescere non solum post miserandum illum sub tot Neronibus rerum statum, sed etiam florere inquit imperium. Et tandem epiphonemate ac bono quasi omine claudens excepturam addit istius seculi tempora domus ejusdem, utinam perpetuam! certe diuturnam posteritatem. Quod neque de Augusto, aut Claudio, ac multo minus de Vespasiano potest accipi, cum ut dixi biennium tantum filius ejus Ti-

tus, & quindecim Domitianus Titi frater, imperaverit, idque ut constat truculentissime. Estque notandum cum *domus ejusdem posteritatem* dicat minime ad Vespasianum hoc referendum, cujus filii successere, sed optime quadrare in Trajanum, qui ex sua domo ac familia Adrianum successorem sortitus est. Quorum etiam uterque expertus, quam innuit alibi idem Curtius, sui temporis longam sub tutela Romanæ mansuetudinis pacem cuncta refoventem, idque ut habet sub finem Domitiani Suetonius, beneficio ac moderatione insequentium Cæsarum, in quibus eminuit ac princeps fuit Trajanus.

Hæc super Curtio breviter & veluti corollarii vice occasione familiaris nostri nuper sermonis adjicienda prioribus putavi: Cujus inquam Curtii fatum idem esse video, quod Manilii, de quo quam varia similiter doctorum judicia sint non ignorare te existimo, præsertim cum ita orationem quoque suam ubique ille temperarit, ut intra gyrum ævi Augustei vixisse cuncta demonstrare videantur, & intercurrant nihilominus, quæ suadeant quodammodo aliud.

Locum porro Dionis, quem præter cetera Cluverio emendatiorem ex conjectura in Disceptationibus prioribus exhibueramus, quemque exinde non mihi, sed Xylandro, apud quem tamen occurrit nuspiam, adscribit, reperies in nova, seu altera, *Disceptationum* nostrarum *Chorographicarum* parte *p.* 46. Quomodo autem primo a nobis est indicatus in parte *Disceptationum Chorographicarum* priore *p.* 22 & *p.* 163. docetur.

Et

Et denique quod spectat Asinium Quadratum Agathiæ, eum alium esse ab Asinio, quem Strabo citat, prolixe præter ea, quæ in Notis ad *Fragmenta* seu *Mantissam* historicorum Latinorum diximus, ostensum est nobis in partis ejusdem alterius *Disceptationum Chorographicarum* præfatione, non dedicatoria, quæ ibi est ad D. Grotium & alios, sed in præfatione, quæ sequitur, ad Lectorem. Jamque vale, mi Vossi, virorum optime, & nos tui amantes redama, qui est amor, ut Comicus ille noster ait, suavissimus. Dabam Hardervici x. Junii stilo nostro CIↃ. IↃC. XXV.

EPIST. LXXXVIII.

Petro Scrivero V. CL.

JOH. ISACIUS PONTANUS

De Originibus Francicis. Valerius Maximus tentatus.

Mitto ad te Scriveri amicissime exemplaria tria epistolarum Lipsiacarum pro tuo arbitrio amicis distribuenda. Quibus & folium accedit, unde defectus in Heinsiano exemplari suppleatur. Addidissem libellum tuum, quo orationes aliquot Lipsii & vita cum Politicis Regemorteri continentur, sed inter meos sepositum, quamvis diligenter quæsitum, reperire nondum potui. Ubi ad manus venerit, ad te redibit. De notis meis & emendationibus ad Hygini de Castrametatione com-

commentarium, quas infra reperies, nihil præter ibi dicta addam. Illud interea monendum te puto, vidisse me libellum Erycii Puteani de *militari stipendio* hoc, ni fallor, aut superiori anno editum. Quod moneo, quia apud te vidisse non memini, nec etiam ejus a te ullam mentionem factam. At ista dum paras omnino ut inspicias opus erit. Deinde quia *Militiam Romanam* opusculum illud inscribis, vide si instituto tuo faciant, quæ observavimus *cap.* XIX. XX. XXI. & XXII. *Originum nostrarum Francicarum lib.* VI. Capite præsertim XX. de machinis atque operibus bellicis prolixe egi, & vetera cum novis comparavi. Ubi & arietem ævo inferiori Francorumque temporibus usitatum demonstravi, & novam nec antehac auditam compositi arietis rationem ex auctoribus probatis post Lipsium, & quicunque Poliorcetica scripserunt, prævio quod Campis ad Isalam hodieque visitur schemate, omnibus ob oculos posui. Pauca nunc tantum immutanda vel potius addenda velim, & inter cætera sub finem *cap.* XX. hæc verba: *Quin & Germanis & paulo adhuc ante inventas bombardas pulveremque pyrium haud ignotum fuisse arietis usum inde colligit vir Clariss. atque eruditissimus Joh. Pincierus lib.* 4. *cap.* 3. *Parerg. Otii Marpurg. quod hodieque serio aliquid acturi vulgo dicant, der bock werd angefurt, i. e. nunc aries admovetur.* Lipsianæ epistolæ siquæ haberi præterea poterunt velim diligenter inquiras. Illas ad Martinum Lydium de quibus filius Johannes injecit, haberi earum apud D. Rutgersium apographa, obsecro

te,

te, prima occasione habeamus. Mihi præter cætera, quorum præsens mentionem injeci, elegans ejus ad Dav. Chytræum epistolium bona scæva obvenit, quod per oportunitatem videbis. Tantum reliqua & tuæ jam curæ commendata ut tempori obtineamus etiam atque etiam memineris rogo. Datum Hardervici XXVI. Octobr. CIↃ. IↃC. XXI.

Valerii Maximi locum *lib.* 2. *cap.* 7. ita legit MS. Cantabrigiensis; *Quod ejus culpa agger incensus pene castra fuerant capta.* Omissa vocula *&* pene c. f. c. ut est in vulgatis. Forte legendum: *aggere inscenso pene castra fuerant capta*, vel *incenso*, vel *aggeris inscensu*, *vel peneque castra.*

EPIST. LXXXIX.

IDEM

ARNOLDO BOECOPIO S.

De Comitibus Zutphaniæ. De cultu Sanctorum.

Quas ad me ipsis Idibus Quintilis dedisti literas, Ornatissime Boecopi, eas ego XVII. Kal. Sextiles recte accepi. Et gratas acceptasque habui. Nec enim frustra quereris de obscuritate, quæ occurrit in primis Originibus, & præsertim circa principia & primos Principes nobilissimi alias atque antiquissimi Comitatus Zutphaniæ. Lazio Wichmannus, pater Sophiæ, quæ nupsit

nupsit Othoni Nassavio Gelriæ Comiti I. sub annum CIↃ. LXXVII. aut circiter, postremus est Comes Zutphaniensium, cum tamen Wichardi I. Præfecti uxor eidem postremi Zutphaniæ Comitis dicatur filia, ex qua nimirum Gerlacum is genuerit, qui anno Domini DCCC. LX. Gelriæ præfuit. Quod quam est involutum & falsum multifariam? Nam primo Wichmannus non fuit postremus Zutphaniensium Comes, sed nepos ejus Gerlacus ex filia Sophia & Othone Nassavio prognatus. Deinde uxoris Wichmanni I. parens non potuit postremus fuisse Zutphaniæ Comes, si is, ut idem dicit, Wichmannus fuerit, præsertim cum uxoris primi Gelriæ Præfecti parens annis fere ducentis Wichmannum Comitem præcesserit. Is autem an uxoris Wichardi parens Hermannus, an quis alius fuerit, nondum reperi. Tu siquid hac de re compertius invenisti, quod videris innuere, velim authores & locum indices. Ego vicem reddam aut saltem gratiam tibi debebo. Alterum quod volebas hoc erat, ut tam in Danica quam Gelrica historia, siquando illa nobis concinnanda mandetur, mitius agam in Catholicos, & ritus, ac dogmata eorum, aut plane intacta relinquam, aut sincera exhibeam. Quod scilicet cum in sexto Originum nostrarum Francicarum, quam etiam seorsim in Amstelodamensibus hac parte exorbitarim, & non miscenda miscuerim. Sed ad sextum Originum librum quod attinet, non accersita, sed oblata sunt, & loco suo posita, quæ ibi de ritibus ecclesiæ Romanæ veteris ac hodiernæ, veterumque Franco-

rum

rum circa sacra institutis differuntur. Et loquitur pro me libri illius, qui singularis est, titulus, qui & hoc plane sibi agendum proposuit, ut omittam Agathiæ Græci & gravis authoris verba, quæ mihi sequenda *cap.* 2. libri jam dicti præscripsi, eo duxisse. Nam ille cum non modo, quæ Francorum veterum politia, sed etiam religio, & de Deo sensus, ac circa divina cultus quis fuerit, obiter inquirat, propius illa & pressius omnino enucleanda fuerunt. Nec illud tantum, sed demonstrandum insuper, quid olim obtinuerit, & quid hodie fiat, quantumque a veteri illa simplicitate exorbitatum sit in plurimis. Eadem quoque mens & scopus in Amstelodamensibus fuit. Ubi occasione mutationum, quæ circa monasteria & sacra loca inciderunt, omittere non potui, nec debui, quin origines eorum & progressus, & tandem etiam excessus annotarem, auctoribus utrobique & testibus usus, qui omni exceptione esse majores solent, apud moderata saltem ingenia. Nam de convitiis & asperitate, qua toties in Divos, toties in homines quoque, invectum me objicis, mihi conscius non sum; nec tu quoque locum aut verba nostra recitas. Et siqui sunt extra rerum naturam tales, quibus etiam post obitum sanctorum aut Divorum vocabulum competit, eos memoria & admiratione virtutum ipsorum, dum essent in terris colo, nec aliter sanctos habeo. Tibi si alia mens & ulterius progredi stat sententia, facito, sed ita tamen, ut suo hic quemque frui sensu permittas. Vale & siquid de Herman-

Digitized by Google

no Zutphaniæ Comite, ejusque filia & sorore, enucleatius habes, & auctores quoque certiores, quæsumus communica. Hardervici x. Kal. August. cIↄ. Iↄc. xxi.

EPIST. XC.

Nobiliss. Ampliss. ac Magnifico viro, Dn. Christiano Frys, Toparchæ in Cragerup, Equiti Aurato, Sereniss. Christiani IV. Daniæ Norvegiæque &c. Regis Cancellario.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Dani an Dahæ. An Danschiones Ptolemæi. Bosphorus Cimmerius an a Cimbris. Pagus Cimbricus.

Librum illum nostrum manuscriptum, quem tuæ Magnificentiæ superiori autumno transmiseram, Chorographica, & ea, quæ ad antiquitates gentis Danicæ spectant, potissimum complectentem recte ad me retulit, cui tua Magnific. eum perferendum tradiderat. Multasque tuæ Magnificentiæ grates gratias memini, quod eum percurrere, ac suis selectis observationibus exactaque lima illustrare sparsim atque annotare haud gravata fuerit. Delectavit sane haud uno loco tuæ Magnificentiæ sententiam de obscurioribus ac dubiis quibusdam locis propius intelligere. Quæ & ejusmodi fuit, ut vel firmarit nostram juve-

juveritque, vel etiam de nonnullis ulteriorem cogitandi occasionem suppeditarit. Nec displicet initio statim de Dahis Parthorum gente Magnificentiæ tuæ annotatio, si præsertim (quod & addit tua Magnificentia) linguam Parthorum respiciamus, tam multa cum lingua Danorum habentem convenientia. Quibus si modo accederet gentium commigratio, & simul transitus in has oras Daharum certa demonstratio, haud parum id momenti hæsitantibus adferret. Nam esse Japethi & Gomeri posteros Germanos, Boreæque populos cum fateantur omnes, tamen a Danicis, aut Dacis, Dahisque repetendos ex gentium migrationibus argumentum vix suppetit. Tacitus indigenas eos credidit, minimeque aliarum gentium migrationibus aut hospitiis mixtos. Quod tamen haud ita interpretor, quasi terrigenæ aut autochtones fuerint, sed qui sedes istas, in quas a primis suis ἀρχηγοῖς Japeto Gomeroque deducti aut emissi fuerunt, cum nec Danici, aut Daci, Dahæque, vel nomen eorum in rerum natura haberetur, continenter incoluerint, ac ibi nomen ediderint, gentemque suam ac propriam. Et ideo Ptolemæus cum hic Danschiones agnoscat, quis eum sequi magnopere dubitet tutoque dicere ab istis Danorum originationem, sive Danschiorum, ut ipsi se hodieque Dani, *Deensche* dicentes, appellant, esse repetendam? Pagum vero Cimbricum, cujus ex Strabone memineramus, circa Mæotim positum, vix ullum est dubium a Cimbris ita nominatum. Quos & eousque arma sua circumtulisse, cum ultra Bo-

hemos & illum tractum excurrerent, authores loquuntur, Bosphorum autem Cimmerium a Cimbris esse, quod videtur innuere apud eundem Strabonem Posidonius, miramur a Strabone sine censura prætermissum, cum constet, & Strabo quoque *libr.* 1. *suæ Geographiæ* egregie ostendat, Homero etiam, idque ante Cimbrorum ex sua Chersoneso migrationem, indicatos intellectosque Cimmerios? Quod si sit, uti revera est, quomodo a Cimbris originem accepisse Cimmerii ante nominationem dicentur. Sed de his suo loco intellectis propiusque inspectis omnibus agemus, Deo volente, postmodum. Nunc Magnificentiæ tuæ Genealogicam istam synopsim transmitto complectentem Danorum reges, eorumque progeniem absque Suenone Esthritio ad primum usque Valdemarum, cui Magno cognomentum fuit. Deus Opt. Max. &c. Dab. Harderv. cIↃ. IↃC. XXVII.

EPIST. XCI.

IDEM

Viro Clariss. Lamberto Goris

De historia Gelrica. De Sallustio nonnulla.

Literis tuis, vir humanissime, ipsis Calendis Aprilis hujus anni datis, quod nunc demum exeunte Majo respondeam, adferre causas non unas possum. Nam cum primo adferrentur, Paschales erant feriæ nostræ, quo tempore aberam in

in Zelandia. At mox domum reverſo cum mihi redderentur, evocor haud multo poſt publicis procerum literis ad Ordinum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanienſis Comitia Zutphaniam. Ubi te cum adfuturum etiam nullus ambigerem, dilata identidem reſcriptio, quod coram omnia agere tecumque eſſe ac verſari oportunius jucundiusque exiſtimaveram. Sed & hic adverſa mihi ſcæva accidit. Nam uno die, priuſquam ipſe accederem, a parente tuo honorando digreſſus Arnhemium te receperas. Ut ergo ad rem tuaſque literas veniam, ante omnia grates tibi dicere, & in poſterum meminiſſe habeo, quod ea ſolicitudine, quæ ad noſtrum inſtitutum & Gelricam præſertim hiſtoriam ſpectant, ſubmonere, meque participem reddere volueris. Quamvis authorem, de quo injicis, Gaguinum mihi jam olim paraverim, ac locum etiam, quem notas, inobſervatum indictumque ſuo ordine ſuoque tempore, cum eo uſque volente numine, progreſſus fuero, haudquaquam ſum prætermiſſurus. Exemplar interim illud meum excuſum Lutetiæ Pariſiorum ævo adhuc rudi, & cum ars typographica eum nitorem, quo hodie prodire ibi volumina videmus, nondum accepiſſet. Eſt enim inordinatis colis & commatis, tum & abbreviationibus paſſim reſperſum, ut ſæpius divinandum ſit, quid author velit. Tamen eo Catone, quod dicitur, contenti, dum accuratior editio non ſuppetit, quod in uſum noſtrum ſit ſeponere, & quantum in nobis eſt ad verum revocare haud negligemus. Addidi his Suetonii

minuscula forma a me editi, tuoque parenti honoratissimo proprie dicati, & in Comitiis exhibiti, exemplar unum, meo nomine postlim nio reddendum Clarissimo Amplissimoque Dn. Kelfkenio, Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphaniæ consiliario, rogoque ut exiguum hoc munusculum æqui faciat, habeatque ut animi erga se nostri devoti testimonium. Intelligebam inter cetera iisdem in Comitiis ex parente tuo D. Cancellario, non sine honoris præfatione nominando, te in Sallustio historico um principe nunc esse, & parata habere, quæ ei illustrando faciant. Quod sane mihi intelligere voluppe fuit, cum eum authorem singulariter amem, & veluti amussim censeam, ac regulam, ad quam historiæ scriptor & calamum, & animum, seque totum conformet. Unde & eum portatili quoque hac forma, quomodo jam ante Florum, & nunc Suetonium, excudi superiori anno fecimus, addito præter alia Sallustianarum dictionum indiculo. Exemplar quoque ejus ad te venisset, si ad manus fuisset. Nam mihi ex liberalitate vivendum typographi, qui exemplaria etiam monitus perparce suppeditat. At Deo volente fiet alias. Te interim mi amicissime ac ornatissime Lamberte Goris plurimum salutatum resalutatumque a nobis amicisque omnibus Deus Opt. Max. incolumem ac florentem diu servet ac prosperet, ut & parentem tuum Ampliss. Dn. Cancellarium, cui omnia quæ velit voveo exoptoque. Dab. Harderv. cIɔ. Iɔc. xxvII. xIx. Maji.

EPIST.

EPIST. XCII.

IDEM

Viro Nobilissimo Sigero ab Arnhem.

De stirpe & prosapia Dominorum ab Arnhem.

Cum nuper, Nobilissime Arnhemi, tuam Amplitudinem in Comitiis Zutphaniæ convenirem, sermoque inter cetera de historia Gelrica incideret, deque vestra Arnhemiorum prosapia, indicabam mentionem eorum & nomen in historia non Ducum modo, sed & Comitum statim ævo haberi, & annos ante quingentos circiter reperisse me Arnhemios, quibus prænomen Christianus & Jacobus dignatione apud Othonem III. aliosque equestri, primæque admissionis, sed & inde Reinaldi III. & Eduardi Ducum temporibus, cum exitiali factione Hekerorum & Bronchorstiorum arderet patria, & hinc defunctis utrisque Reinaldo Eduardoque fratribus Mechtilda soror, quæ tum sibi Comitem Blosii maritum adsciverat, post obitum Lossensis & Clivensis Comitum, quibus antea nupta fuerat, facere eam suæ & mariti potestatis satageret, iterum iterumque vestratium proavorum mentio. Et inter ceteros Gerhardus ab Arnhem occurrit, Mechtildæ & Comitis Blosii, qui se Gelriæ Ducem & Ducissam ferebant, partes cum pluribus aliis ex ordine equestri sustinens. Sed præcipue notari

intereſt, defunctâ deinde Mechtildâ, cum jam Gulielmus I. Juliacenſis ſibi ob matrem Mariam, Mechtildæ & Eduardi ſororem, Ducatum Gelriæ & Comitatum Zutphaniæ jure retineret, illuſtrem exiſtere Vinandi ab Arnhem memoriam, utpote qui inter primos apud Ducem eundem Gulielmum author & promotor memoretur fundandi monaſterii *Fontis B. Mariæ* prope Arnhemum. Verba ea de re, cujuſmodi in ſchedis reperi, ævum illud vetus ac minus cultum reſipientia hic ipſa adſcripſi: *Providi enim viri Vinandus ab Arnhem & Arnoldus Gruthuſen ad patrum præfatorum inſtantiam illuſtrem Principem dominum Wilhelmum Ducem Gelrenſem ac Juliacenſem adierunt humiliter ſupplicantes, & ut in fundis & bonis* Vinandi *ab* Arnhem *præfati monaſterium poſſent conſtruere, juxta omnem modum & inſtitutionem monaſterii in Windesheim, & ut conſenſum quoque domini Trajectenſis deſuper ipſe procuraret. Qui vir prudens cum eſſet, juſtis eorum petitionibus pie inclinans ſtatim aſſenſum nunciosque ſolemnes pro hujuſmodi licentia impetranda ad dominum Trajectenſem continuo deſtinavit &c.* Sed & mox ubi ad ſequentia venietur tempora, nam illud in annum Chriſti 1392. incidit,

Sæpe pater tibi ſit ſæpe legendus avus.

ut cum Poëta hoc dicam. Atque ita ſcilicet horum illuſtres memoriæ haud aliter quam Q. ille Maximus & P. Scipio viſis olim majorum ſuorum inſignibus ad res magnas capeſſendas accendi ſe ſentiebant, tibi quoque tuiſque ad novam virtutem omniaque præclara gradum ſtruant. Habes nobi-

nobilissime Arnhemi, quod occasione istius sermocinaciunculæ nostræ visum luculentius nonnihil, quod raptim tum non dabatur, tuæ Amplitudini hac oportunitate & paulo pressius perscribere; ac simul animum affectumque nostrum tuæ Amplitudini jam dudum deditum devotumque magis magisque hoc pacto propensum promptumque declarare. Deus Opt. Max. tuam Amplitudinem quam felicissime servet ac prosperet. Dab. Harderv. cIↄ. Iↄc. xxvii. xxii. Maji.

EPIST. XCIII.

IDEM

GER. JOANNI VOSSIO

De titulo operis historici Pauli Orosii & aliis nonnullis.

Superioribus tuis Clarissime, & addi hoc sine etiam, Amicissime Vossi, quibus absolutum de Historicis Latinis opus tuum, cujus & brevi exinde missurum te mihi exemplar significabas, jam ante respondisse me scio. Nunc illud ad me missum opus, curante typographo vestro, rectéque curatum accepi. Gratias vero hoc nomine tibi ingentes habeo debeoque; nam ut referam hoc tempore in mundo non est. Suetonium interim ecce tibi, ante semestre & quod excurrit minori hac forma typis excusum, pro munere tuo munusculum. Est vero insignis hæc opera tua, istamque egregie nobis exornatam spartam dedisti,

 sti,

sti, quantum ex filo operis, & ea, qua adhuc frui licuit, inspectione subitanea conjicere potui. Nam mihi exinde propius sæpiusque adeunda & repetenda hæc adyta. Primo intuitu, & modo hanc modo illam volutanti paginam occurrit Orosius, ejusque, ut scribunt, *Ormesda*. De qua voce cum tuas legerem conjecturas, ut elegantes ita doctas opido, animadverti editionem, quæ prodiit Maguntiæ Ann. 1615. cum annotationibus Fabricii, Lautii, & notis postremo marginalibus And. Schotti visam a te haud esse. Nam ibi Schottus in præfatione præter cetera hoc monet hanc Orosii historiam inscriptam olim vitiose ac barbare ORMESIAM MUNDI sive ORMESDAM pro Orchestram, ut titulum scilicet ejusmodi habuerit: OROSII ORCHESTRA MUNDI. quasi in ea, ut in scena ac theatro quodam mundi mortalium clades ac calamitates ob oculos propositas omnibus ac recitatas voluerit. Et addit Schottus ita nominandam inscribendamque primo vidisse & monuisse in Prodicio suo Pighium. Occurrit deinde & aliud, & quod me propius respexit, illud scilicet, quod in Saxone Grammatico de S. Guilielmo Parisiensi refers, qui in Dania Abbas obiit cœnobii Ebtelteffensis. Ejus enim vita a discipulo ipsius descripta, si penes te sit, aut ubi haberi possit (nam ex ea verba quædam citas) mihi ut significare haud graveris, opido velim. Historia quoque Mussati, & ea præsertim, cujus mentionem facis, editio Veneta, si jam prodiit & Leidæ prostet, ejus mihi exemplar mittat bibliopola Joh. Maire, ut moneas,

neas, rogo. Authorum præterea veterum emendationes, variasque in eosdem observationes perutiles ac necessarias passim aspersas vidi. Quarum ego rerum atque authorum syllabum sive indicem omissum solummodo desideravi. Sed hæc altera tua editio aliaque talia adjicere poterit volente domino. Qui & te mi Vossi diu salvum ac sospitem præstet, quo ita egregiis hujusmodi laboribus ac lucubrationibus doctissimis sufficere deinceps multosque in annos valeas. Dab. Harderv. 5. Novemb. 1627.

EPIST. XCIV.

Clariss. ac Rever. Viro Dn. Francisco Gomaro SS. Theologiæ Doctori ac Professori Rectorique Magnifico Academiæ illustrium Ordinum Groningæ atque Omlandiæ,

JOHAN. ISACIUS PONTANUS

Evocatio Pontani Groningam ad Professionem historiarum ac linguæ Græcæ.

Reddidit mihi humanissimas tuas literas domesticus ac perfamiliaris tuus Ornatiss. Balthasar Vander-voordius, easque gratas habere nec uno nomine merito debui. Nam a tali viro profectæ, cujus amicitiam favoremque plurimi semper feci ambiique, me non omnino excidisse voto ostenderunt. Tum & illa tam insperata tamque

que honorifica offerentes nostram haud simplice vice mentem recrearunt. Tantum quod me pede meo metiens supra mediocritatem meam honore me affici, & de me majorem quam res sit opinionem vestram agnoscere habeam. Nam geminam, quæ offertur, Nobilissimorum Curatorum vestrorum nomine, cum amplissimo octingentorum florenorum salario, professionem historiæ ac linguæ Græcæ, quam olim V. CL. felicissimæ memoriæ Ubbo Emmius excoluit, in me suscipere, & eam pro dignitate & ex usu juventutis sustinere hoc tempore, & cum eruditissimo illo viro paria facere vix humeri mei se pares fore facile sentiant. Præsertim cum mihi jam ante annos aliquot a Serenissima Regia majestate Danica, ejusque illustri Cancellario Christiano Frisio demandata Sparta sit, & ampla seges suppeditata, eaque monumenta concredita, ex quibus historia rerum Danicarum ad plenum educi ac perfici queat, & nunc primo tomo typis describendo totus desudem. Ut omittam etiam Gelriæ Ducatus ac Comitatus Zutphaniæ illustres Ordines archiva sua hac occasione patefecisse nobis, ut simul dato otio rebus etiam illis illustrandis enarrandisque manum animumque accommodarem. Alias quod ad me promptamque voluntatem nihil antiquius sit quam parere tam præclara deferentibus, & juventuti studiosæ, quantum in nobis est, prodesse ac præire in optimis artibus. Interea quam possum maximas & ago habeoque gratias, cum tibi seorsim vir Clarissime, tum etiam prolixe Nobiliss. Amplissimis-

que

que D. D. Curatoribus pro tam honesta ac honorifica de me opinione, officia ac studia, quæcunque alioquin potero, prompta semper parataque promittens. Quod superest Deum Opt. Max. oro, ut tuam Rev. ecclesiæ publicisque studiis, ac Academiæ toti, quam diutissime incolumem servet & sospitet. Dab. Hardervici xv. Jul. cIↄ. Iↄc. xxvi.

EPIST. XCV.

IDEM

Christiano Frys Toparchæ de Cragerup Daniæ Regis Cancellario.

De Idatii & Cassiodori Chronicis. Gotthi, Danique, Gutones, Gutæ, Jutæ, Jutlandi, Juthungi, Vithungi, Guthungi an iidem. Emendatur Ammianus.

Magnifice Domine Cancellarie Literas tuæ Magnific. scriptas 18. *Septemb.* jam ante quatriduum accepi opido gratas acceptasque. Ex iis enim Magnificentiam tuam meliori valetudini post tenuem illam, qua aliquamdiu est usa, esse restitutam intellexi, tum & nostri colere memoriam, cum earum præsertim rerum, quæ ad Danicam historiam, cujus nobis provincia demandata, spectant, tam amice tamque sedulo mentionem injiciat, nosque ad editionem priorum aliquot partium cohortetur, & animum, quod dicitur, currenti addat. Nam ego, quantum in

in me erit occasioni haud deero. Et rite simul ordineque tua Magnificentia id præterea curæ nostræ esse debere commonstrat, ut omnia nitide & ornate, talibusque typis prodeant, qui opus etiam ipsum commendare hac parte possint. Unde & agere cum chalcographis cœpi, animumque eorum tentavi, comperique non abhorrere ab excusione operis, modo id integrum & absolutum ipsis edendum permittatur. Sed iterum propiusque tentabo, quid obtinere apud Elsevirios ac bibliopolas Leidenses queam. Nam hic Hardervici, ubi ago, non est ea officinæ typographicæ ratio, nec ille typorum delectus, ut iis in publicum prodire e re putem. Præstaret itaque differre paulatim editionem, quam eam nosque prostituere ac præcipitare. Interim aliquam particulam seorsim, & ex toto opere selectum quiddam, si apud nos describi typis fecerim, quomodo & alios fecisse, & Ubbonem Emmium ac Thuanum, qui omnia exinde junctim publicarunt, haud refugiendum existimem, cum ita aliorum censuras intelligere, quod fecisse expositis in publicum tabellis pictorum etiam principem ferunt, atque explorare virorum præstantium judicia, imo & expectare hoc pacto eos ad symbola sua conferenda oportunum fuerit. Sed de re tota amplius cogitabo, expectaturus simul quid tua porro Magnificentia faciendum statuat. Interea misissem hoc tempore Christophorum II. quem describi curavi, ut & filium ejus Waldemarum ultimum, modo certus obtigisset nuncius. Quem ubi nactus ero id quicquid est ad tuam Magnificen-

centiam veniet. Nunc quos sibi transmitti tua Magnificentia Gothicarum rerum scriptores petit, eos uno volumine, forma libri, quæ est octava, omnes mitto, exceptis Idatio & Aurel. Cassiodoro. Quorum Idatius non quidem historiam Danicam, ut Draudii index habet, sed breve paucarum pagellarum Chronicon inscripsit, quo Gothorum Vandalorumque ut & aliarum gentium exoticarum persequitur bella, quæ a tempore statim Theodosii Augusti Hispaniam divexarunt. Quod ipsum chronicon suo quod edidit Eusebii Chronico inseruit præter cetera Josephus Scaliger hoc titulo: *Idatii Lemicensis in Gallæcia episcopi Chronicon continuans derelicta ab Hieronymo* Nec alius fere est, qui Aurelius Cassiodorus de gestis Gothorum inscribitur. Est enim hoc ipsum quoque simile Chronicon, habeturque inter ejus opuscula, quæ duobus voluminibus in forma VIII. sunt excusa Lutetiæ Parisiorum anno CIↃ. DC. Gothos porro Danosque unam gentem esse haud absone adstruere Magnificentia tua conatur ex Vitungis populis, qui haud alii quam *Vitæ* aut *Gutæ* sive *Gutones* fuerint, quique hodie I. pro G. posito *Jutones* vulgo & *Jutlandi* appellantur. Et idem quoque haud leviter juvat, quod illi ipsi *Vitungi* Suidæ & aliis authoribus *Juthungi* nominentur, & populus intelligatur, qui a Borea veniens Istrum trajecit. Ambrosius in epistolis sæpius etiam eorum mentionem facit, nec aliter quam *Juthungos* nominat. A Borea autem Danubium versus profectos præter authorum testimonia clarum facit, quod refert

fert tua Magnificentia de territorio seu nomarchia Chersonesi Cimbricæ *Vidung-herrit* dicta, sicut & *Vesheherrit* diœcesis in eadem Chersoneso a tua quoque Magnificentia adducta Vesegotthorum memoriam manifesto refricat, accedente præsertim Sidonii Apollinaris calculo, qui Vesegotthos ut plurimum simplici hac voce Vesos appellat, & inter cætera carmine septimo, ubi ait;

Hac secum rigido Vesus dum corde volutat.

Et iterum ibidem, *Vesorum proceres*, sicut & Carmine quinto ad Julium Valerium Majorianum Augustum, ubi & Ostrogotthorum meminit his verbis:

Hoc totum tua signa pavet. Bastarna, Suevus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus,
Post aquilas venere tuas. Tibi militat omnis
Caucasus, & Scythicæ potor Tanaiticus undæ.

Jutungorum vero idem quoque Sidonius meminit *Carm.* VII. Vitungos appellans, cum inquit: *Nam post Vithungos & Norica bella &c.* At Prosper Aquitanus *Juthungorum* habet vocem, ut Suidas superius, scribens de Aëtio: *Aëtius Juthungorum gentem delere intendit.* Quin & *Guthungos* veteribus eosdem nominatos colligi ex Ammiano Marcellino potest *lib.* 27. ubi legitur: *Grutungos bellicosam gentem aggressus est.* Quis enim dubitet pro *Grutungos* legendum ibi *Gutungos?* Atque ex hisce omnibus liquere similiter potest, sive *Vithungos*, *Jut-*

Juthungos, aut denique, ut Ammianus scripsisse videtur, *Guthungos* pronunciando efferamus, eas omnes voces ac dialectos quam proxime ad Cimbriæ nostræ *Vitas*, *Jutas*, *Gutas*, & *Gutones*, sive *Jutlandos*, prout a variis varie efferuntur, accedere. Vesegotthi autem, quod deinde addit tua Magnificentia, an ita dicti nullo respectu ad occidentem aut orientem habito, cum vulgo tamen Vestrogothi & Ostrogothi hoc sensu videantur appellati, pressius inquirendum, præsertim cum illud *Vesheerrit* Jutiæ territorium, a Magnificentia tua, ut supra meminimus, indicatum eo videatur ducere. Et illud quoque haud temerarium sit, quod tua præterea commonet Magnificentia, *Vestrogothos* scilicet & *Ostrogothos* Sueciæ ita ab ipsis potius Danis Teutonisque, qui eo commerciorum gratia commearunt, quam sui respectu appellatos, cum Ostrogothia non tam ortum quam Boream spectet, & ipsi quoque Vestrogothi Australes non Occidui sint. Sed hæc talia libro operis nostri primo reservabimus, rogantes interea Magnificentiam tuam, ut data occasione studia nostra excitare, ac eruditissimis ejusmodi selectisque suggestionibus suis instituere ornareque deinceps copiolas nostras haud intermittat. Deus Opt. Max. tuam Magnificentiam quam felicissime servet ac prosperet. Dat. Hardervici 18. Octobr. 1624.

EPIST.

EPIST. XCVI.

IDEM

GER. JO. VOSSIO

De loco Macrobii Saturn. lib. 6. cap. 4.

Cum nuper dato otio tuum in manus ſumerem de hiſtoria & hiſtoricis Græcis commentarium, Voſſi clariſſime, & eſſem aliquo uſque legendo provectus comperi ſtatim, quanto intervallo hoc argumentum a te tractatum diſtaret a prioribus, qui idem jam olim egerunt. Et cum omnia veluti ab ipſis efficta Muſis placerent, turbavit unum illud ſcilicet, quod non eodem impetu ad cetera, quæ de Latinis quoque Hiſtoricis polliceris, liceret pergere, & uno illo quaſi ſpiritu etiam illa percurrere. Hortator itaque ſuaſorque accedo obſecrans reſecranſque, ut eam etiam partem Muſis faventibus deproperes, nec diu rei literariæ debere hoc nomine, ſed expedire quam primum velis, iſta præſertim adeo benigniter a puppi ſpirante nunc aura, & omnibus, ut auguror, qui literas meliores amant, acclamantibus Voſſio feliciter. Miſerat ante triennium, & quod excurrit, Commelinus typographo noſtro excudenda hiſtoricorum veterum Latinorum fragmenta in unum collecta a viro clariſſimo Auſonio Popma Friſio. Eaque occaſione, neſcio quomodo, ego vacantibus ſub calcem pagellis quæ-

dam

dam adjeci sub Auctarii nomine raptim ac tumultuarie, cujusmodi est illud de PESTANO VIBONENSI, qui ibi ut historicus producitur ex indice Authorum, qui Macrobio subjectus est. At tantum abest, ut historicus fuerit *Pestanus Vibonensis*, ut ne hominem quidem fuisse clarum sit ex *epist. 6. lib. 16.* ad *Attic.* Ciceronis, ubi diserte vox utraque: Maris sinus fuerunt duo. Ac sic voces has debere accipi apud Macrobium docebunt verba ejus, quae in vulgo editis *Saturn. lib 6. cap.* 4. hoc modo leguntur, *sed & Pestanus Vibonensis sic ait, Pedibus equis transmisimus, quod est transivimus*, nimirum si legamus ex epistola Ciceronis jam indicata hunc fere ad modum: *Pestanum & Vibonensem Cicero ait pedibus equis transmisimus.* Habent enim loco jam dicto verba Ciceronis: *Duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet, Pestanus & Vibonensis utrumque pedibus equis transmisimus.* Quorum illud *pedibus equis* ex emendatione praesertim est V. CL. Ausonii Popmae, qui ad epistolas illas Ciceronis Commentarium ac Castigationes haud ineruditas jam pridem dedit, & omnium est primus, cui loci illius Macrobiani ad exemplum hujus Ciceronis debetur emendatio. Nam nos cum Ann. 1597. Macrobium ederemus fugisse id aut saltem minus ad eum locum attendisse fateor. Et ut ibi, qui non esset, facere historicum inducti sint, illo Macrobii, ut ostendimus, male descripto loco, viri eruditi, quo & nos decepti sumus, ita vicissim sint, qui eum in censum referri debeant, ac nobis etiam tum omissi. Quos inter numerabitur praeter Cremu-

tium Cordum cæterosque Arruntius belli Punici scriptor, qui Senecæ est Sallustianus, & in illud genus nitens. In quem ejusdem Senecæ censura exstat ad formam veterum Criticorum plane censoria. De Asinio Pollione quæ eodem illo Auctario dixi, atque inde sub calcem notarum Popmæ in Observationum mearum Mantissa adjeci, necdum retractanda mihi existimo, nisi tu Vossi clarissime aliter censeas. Qui ut otio meliori ita animo etiam magis præparato & numeris omnibus ad ista tractanda instructiore accedis, erisque unus instar omnium. Vale vir Clarissime & parresiæ nostræ ignosce, qui istis tam familiariter & ex inopinato te compellem, ignotus fortassis ignotum. De facie loquor. Nam Leidæ cum nuper apud virum Clarissimum & collegam veterem Dn. Doctorem Thysium essem, statueram de his aliisque coram conferre tecum, sed nescio quomodo tum alia me traxere alio. Nec moram diuturniorem permittebat, quod mihi præfinitum habebam, tempus perbreve. Vale iterum salutatus quam diligentissime &c. Hardervici IX. Maji. CIↃ. IↃC. XXIV.

EPIST. XCVII.

Idem Eidem

De Q. Curtii ætate.

De Pestano Vibonensi, deque Arruntio, quæ adducta a te sunt Clariss. atque Ornatissime Vossi, in epistola ad me nuper transmissa, eadem omnia

omnia tecum sentio. Nec quicquam idcirco addo amplius. Tantum quod attinet ad Curtium hoc præter ea, quæ allata sunt, videor dicturus, eum scilicet Clarissimo olim viro Barnab. Brissonio *lib* 1. *de regno Persarum* haberi atque existimari Curtium illum Rufum, qui inde a Tiberii temporibus Rempub. attigit; & cui, dum Africæ Proconsuli velut comes & sectator adhæret, spectrum istud se obtulit memoratum Plinio *lib*. 8. *epist*. 27. Nec alium intellectum Suetonio, qui pictorum clarorum albo eundem sub Rufi cognomine adscripserit, quomodo & nominasse eum videatur Tacitus *Annal*. XI. Ideoque ad Claudium Imperatorem referenda idem Brissonius existimat, quæ historiæ suæ *libr*. 10. in hæc verba perscripsit: *Proinde jure meritoque Populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pene supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus hercle non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo cum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. Absit modo invidia, excipiet hujus seculi tempora ejusdem domus, utinam perpetua, certe diuturna posteritas.* Eaque Curtiana verba haud alia interpretatione egere subjicit idem Brissonius, quam ex Suetonii *cap*. 10. *&* 11. *in Claudio*, & Josepho *lib*. XIX. *antiq. cap*. 2. *&* 3. ubi scilicet post cædem Caji per biduum de mutando Reipub. statu adserendaque communi libertate hæsitatum memoratur,

ratur, ac tandem rectore uno ac nominatim constituto Claudio imperium stabilitum firmatumque. Quæ sane haud alia sunt quam annotata jam inde a CL. Justo Lipsio ad *lib.* XI. *Annal. Tacit.* memorantis originem Curtii Rufi. Cui tamen Lipsio omissum eo loco nomen ac mentio Brissonii, addito tamen esse, qui eundem censuit illum Rufum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri. Interim hæsitare se idem Lipsius profitetur, & facile manum daturum, siquis adferat verisimiliora. Qua occasione tentasse aliquid postea reperio virum Clariss. ac multa eruditione præstantem Janum Rutgersium in illis suis rerum selectarum ac variarum lectionibus, ubi Brissonii opinionem, qui ad Claudii ævum referendum volebat, paucis & accurate confutans ostendit, post Caji cædem Romanum imperium neque a pluribus expetitum, neque civilibus bellis, ut Macedonum illud, cujus occasione superiora ista de Romana Republ. interposuit Curtius, fuisse laceratum. Quod tamen necesse esset, si hic locus eo trahendus foret. Itaque Rutgersius ipse a Brissonio hac parte jure decedens ævum Curtii ad Vespasianum potius referendum credidit. Nec ego valde abnuerim, nisi verba illa Curtii superius posita, *Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium*, alio me quasi traherent. Ecce *revirescere imperium* inquit, quod dici haud potuit, imo nec dicitur, nisi de seculo insequenti, & præsertim Trajani principatu, ut habet diserte prologus ille Flori, qui postquam juventam imperii retulisset ad usque ætatem Augusti Cæsaris, ab eo

eo paulatim ad usque Trajanum, qui anni fuerint CC. *consenuisse* idem ait, atque inde sub eodem movisse lacertos, ac præter spem omnium, quasi deposito senio ac resumpta juventute *revirescere* cœpisse. Nec aliter de suo quoque ævo Prudentius, ubi introducens Romam loquentem ita canit:

O clari salvete duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam, flavescere rursum
Canitiem.

Nec ultra quod addam magnopere est, dimicans nimirum in tenebris, & auram aliquam captans lucis. Quam ut spero plenius ob oculos jam ponet post omnes omnium observationes tuum illud de *Historicis Latinis* opus, nunc votis cunctorum opido expetitum. Quanquam interea haud abs re erit attendere etiam obiter, quam apte verbis Curtii superius recitatis Trajani respondeat imperium, imperiique initium. De quo omnia quæ velim & fuse ad hanc rem refert in illustri illo suo ad hunc Principem Panegyrico Plinius Junior. Et idem quoque, sed paucis agens, clare tamen disserteque, Aurelius Victor in vita Trajani, ubi inquit: *Quæ omnia eo videbantur majora, quoniam per multos atque atroces tyrannos perdito atque prostrato statu Romano in remedium tantorum malorum divinitus credebatur oportune datus, usque eo, ut adveniens imperium ejus pleraque mirifica denunciaverint: In queis præcipuum cornix e fastigio Capitolii Atticis sermonibus effata*, καλῶς ἔσαι. Quod

Suetonius sub finem Domitiani Latine reddens ita expressit:

Nuper Tarpejo quæ sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere, dixit, erit.

Qui & addit epiphonema: *Ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse gibbam sibi pone cervicem auream enatam: pro certoque habuisse beatiorem post se lætioremque portendi statum Reipublicæ. Sicut sane brevi evenit abstinentia & moderatione insequentium Principum.* Quorum Principum præcipuus atque coryphæus fuit post brevissimum Nervæ principatum Trajanus, de quo dictum. Qui longo moderatoque imperio pulsa temporum antecedentium nocte novum illud, quod Curtius innuit, sidus illuxit, ac velut sol excitus lucem caliganti reddidit mundo, faces extinxit, gladios condidit, summaque ac subita serenitate tempestates circumquaque Romani imperii feliciter discussit. Unde & iterum idem Curtius *lib.* 1. de Tyro loquens agnoscit haud immerito longam pacem, cuncta refoventem, post scilicet Domitianum & illos Principes, beneficio præsertim ac moderatione, ut verba fuerunt Suetonii, insequentium Imperatorum, in quibus familiam duxit Trajanus præcipue. Ut omittam postremis illis ejusdem superius Curtii verbis, quæ votum continent pro nova ad Principatum evecta domo haud alium intelligi quam Trajanum, qui post Nervam a quo est adoptatus, primus habetur Principum externorum, & a prioribus, qui Romani omnes fuere, prosapia ac gente diversus. Fuit enim ex urbe Tudertina Hispanus. Habes Vossi hu-

humanissime, quæ sit nostra de florentissimo scriptore, deque tempore, quo claruit, sententia. Tu eam qualemcunque æqui facies, ac simul moram responsionis nostræ non negligentiæ aut tui oblivioni sed occupationibus si ita libet tribues. Quæ ut ab isto studiorum genere hoc tempore nonnihil alieniores, ita non facile semel avocato ad eadem regressum permittunt. Tua tamen iterata per Pellesium convictorem olim tuum salutatione excitatus, rebus omnibus relictis, hæc agere extemplo atque ex tempore cœpi. Tu quod dixi, qui & tuus est candor, scriptionem subitaneam atque insubidam boni consules. Harderv. ipsis Calend. Septembr. stili Gregoriani cIↃ. IↃC. XXIV.

EPIST. XCVIII.

Idem viro illustri Christiano Frys, Toparchæ de Cragerup, Daniæ Regis Cancellario

Heneti, Venedi, Vendi; Vandali, an iidem.

Magnifice Domine Cancellarie. Tuæ Magnificentiæ literas, quæ festo divi Michaëlis, id est, 29. *Septembr.* datæ, cum adjuncto manuscriptorum, quos tuæ Magnificentiæ transmiseram, librorum fasciculo, sub finem demum Novembris accepi. Quapropter ignoscet tua Magnificentia, quod & serius ad eas respondeam, & simul Procopium, quem sibi mitti petiit, his non ad-

adjunxerim. Nam Græco-Latinus Procopius diligenter a me quæsitus nullibi haberi potest. Et editus est primum hic author ante annos aliquot Augustæ Vindelicorum opera clarissimi viri Davidis Hoeschelii Græce multis locis quam sunt vulgatæ editiones, quarum etiam in bibliopoliis vix ullæ prostant, auctior. Nec inventus adhuc est, qui eum, ut ab Hoeschelio est editus, Latine reddiderit. Hujus Græcæ inquam editionis penes me exemplum est, idque nunc etiam, modo naves ingruente hac hyeme in Daniam ullæ commeassent, tua Magnificentia habuisset, terrestri autem itinere mittere nec occasio semper est, nec tutum isto præsertim tempore. Expectabo itaque, nisi certi se homines offerant, ver proximum, & mari volente Domino transmittam. Mihi interea aliud advehendum Francofurto proximis nundinis curabo. Ex literis porro tuæ Magnificentiæ agnosco snbsecivi aliquid temporis tuam quoque Magnificentiam nostris inspiciendis impendisse, gratiasque habeo quam maximas. Nec deero suis locis, quæ notantur oportune recolligere, & ad eum modum, ut tua Magnificentia præscribit, quantum poterit, constituere. *Hallandos* subinde *Hallandenses* nominavi, ut *Zelandos Zelandenses* Saxo noster. *Vendos* vero, quos ille fere *Slavos* ubique vocat, *Vandalos* ut plurimum dixi, secutus non tam Crantzium & alios, quam Helmoldum præcipue, authorem istius gentis, & Saxone ipso Grammatico antiquiorem. Ait & is initio statim *lib.* I. *cap.* 2. *Ubi finem facit Polonia, pervenitur ad amplissimam Sla-*

Slavorum provinciam, eorum qui antiquitus Vandali, nunc autem Vinithi sive Vinuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani &c. Quibus etiam verbis, *nunc Vinithi sive Vinuli appellantur*, dubium haud sit voluisse eum *Vendos* intelligi. Et Ptolemæum, qui gentis ejusdem Balticum maris sinum *Venedicum* dicit haud alium quam *Vendicum* cepisse, errarique passim vicinitate harum vocum, ut sunt *Heneti*, *Venedi*, *Vendi*, & *Vandali*. Saxo qui tantum *Slavos* vocat, seu potius tua Magnificentia, quæ *Vendos* insuper dicit, quo respiciat facile conjectura assequor, ex Procopii præsertim citato loco, qui Gothos & Vandalos, licet diversi fuerint populi, unam tamen gentem origine existimat ob linguam & sacra, quæ singulis eadem, adeo ut Vandali, si Boreæ pene extremi gens fuerint, non ex illo Germaniæ littore, sed ex interiori & Boreo axe, unde ipsi Gotthi, arcessendi. Cujus nec vanum indicium sit *Vendsysel*, Jutiæ sive Guthiæ borealis districtus, quem Saxo noster *Vendalium* semper vocat. Ut ita quoque Daniæ regum tituli ea pars, qua Gothorum Vandalorumque reges dicuntur, non ut opinantur plerique ad Gothos partim, partim ad hos Germanici littoris *Vandalos*, seu *Vendos*, armis eorundem Regum subactos, sed ad unum eundemque, si originem videamus, Boreæ interioris cum Gothis populum sit referenda. Sed hæc adductis præterea ac discussis Plinii aliorumque de Vandalis authorum locis uberius propiusque pertractabimus, ubi ad chorographica & operis totius primam partem volente Numine venerimus.

Nunc restat Erici Pomerani vita, resque ejus domi forisque proxime nobis pertractandæ, ut ita iis absolutis Christophorus Bavarus ex prima hac & Aboriginum Daniæ Regum prosapia postremus hunc etiam primum tomum suo fine coronet, colophonemque imponat. De quo deinceps in mundum redigendo, descriptis prius, qui secundam adhuc manum efflagitant, Christophoro II. Valdemaro III. Olao, & Margareta, quorum Valdemarus & Margareta haud paucis foliis absolvuntur, omnem quam potero navabo operam. Deus interim Opt. Max. tuam Magnificentiam quam felicissime servet ac prosperet. Dab. Hardervici X. Decembr. cIↃ. IↃc. xxiii.

Epist. XCIX.

IDEM
V. CL. Antonio Thysio

De certis introducendis in scholas Belgii fœderati Grammatices rudimentis.

Literas tuas Clarissime ac Reverende vir perquam gratas reddidit adolescens idem qui mearum ad te gerulus fuerat. Ego eas, qua illud de communibus in scholas fœderati Belgii triviales introducendis liberalium artium & præsertim Grammaticarum rudimentis negotium spectabant, toti Senatus nostri Scholastici collegio legendas dedi, probavitque summopere in re utilissimi instituti studium ac diligentiam illustrissimæ

mæ vestræ Academiæ, & id ut agat porroque promoveat iterum iterumque eam vosque orat hortaturque. Quod autem in proximo Amplissimorum Curatorum vestrorum conventu, qui erit octavo Februarii proximo die, intellecturum Senatum Academ[illegible] significas, quid illustribus Hollandiæ Ordinibus hac parte opus factu videatur, commonefacque interea censendam ac recognoscendam doctissimorum virorum calculis Grammaticam cum Latinam Lithocomi, tum Græcam Golii, & nos quoque, siquid in utraque mutandum, addendum, succidendum, illustrandum arbitremur, id ut tempori communicemus adhortaris. Eam ad partem quod attinet, respondet Senatus noster existimare se, Etymologiam, Syntaxin, & Prosodiam Latinam Lithocomi a mendis typographicis, quibus scatet, repurgandam, & ex accuratissima Grammatica Philippo-Ramæa Herbornæ excusa perficiendam rejectis, siquæ sunt additæ, notis minus necessariis, & plurimum quoque eidem instituto servituram Grammaticam Lithocomi ab Hieronymo Treutlero ante annos xxx. Herbornæ non indiligenter recognitam, si haberi ea possit, itemque Grammaticam Gissenam editionis ultimæ, hac semper adhibita cautione, ut in istis recognitionibus habeatur præcipue ratio cum brevitatis tum perspicuitatis. Ex Græca similiter etymologia Golii primum tollenda errata typographica, & Syntaxin ejusdem ex Sylburgio supplendam, Prosodiam Langii, quæ Grammaticæ ejusdem Golii Græcæ conjungi solet, esse satis succinctam & accu-

curatam, modo a mendis ſimiliter exoneretur. Cenſetque præterea poſſe ex eadem Grammatica Golii Græca paradigmata Declinationum & Conjugationum eximi, & peculiari libello tyronibus diſcenda proponi, haud ſecus ac fieri in Latinis ſolet, quod eſſet hoc pacto totum id opus multo ſuccinctius breviuſque, tum & captui diſcentium accommodatius. Cæterum quod ad authores tam Latinos quam Græcos ſtylique exercitia, quorum ſpecimen exhibet exemplar Introductionis Lectionum ſcholaſticarum nobis a viro Clariſſimo Academiæ veſtræ Rectore Magnifico Petro Cunæo tranſmiſſum, ea in univerſum probare ſe Senatus ſcholæ noſtræ declarat, ſtatuitque quod ad Logicas Rhetoricaſque præceptiones, eas, quo minus ſunt prolixæ, minus remoraturas diſcentium profectus; ac relinquendum cuique liberum vel Rami vel Molinæi dialecticam docere, itemque Rhetoricam Talæi vel Voſſii, & retinendas in ſcholis præſertim claſſicis diſciplinas tantum Organicas, ne ſi aliæ accedant e Philoſophia vel Theoretica vel Practica petitæ artes retundantur & ſuccumbant ſub onere nimis oneroſo ingenia, quibus plus ſatis illa artium organicarum prima rudimenta faceſſunt negotii. Habes vir Clariſſime & Reverende Senatus noſtri omniumque noſtrum ſuper his ſententiam, qui & exiſtimamus, ſi ab Illuſtriſſimis uniti Belgii Ordinibus inter cetera, quod injecimus, ſtatutum fuerit, optioque facta cuique, vel Rami vel Molinæi Logicam, Talæi vel Voſſii docere Rhetoricam, id cum Ariſtotelicos tum Ramo addictos opido probaturos, amba-

ambabusque amplexuros. Quod superest itaque denuo, quemadmodum initio totius consessus nostri nomine cœperam, ita & nunc ejusdem nomine rogatos velim vos omnes, ut quod feliciter cœpistis, deinceps agere, urgereque, & ad finem tandem speratum perducere non desinatis, ut ita quæ vestra vestrorumque Ampliss. Curatorum opera consilioque impetrata erit in usum scholarum ac juventutis constitutio omnium utilissima, vestram vicissim ad posteritatem transmittat memoriam sempiternam laboremque dilaudet perpetuo. Dab. Harderv. XIX. Jun. CIↃ. DC. XXIX.

EPIST. C.

IDEM

Petro Scriverio V. CL.

De iis qui scripserunt in Apulejum.

Quas coram tibi promiseram, Scriveri eruditissime, ad Apulejum notas sive Observata nostra, ea nunc ecce mitto. Illud scilicet palmis adhuc tuis deerat, ut qui absolutis & in scenam meliori veste productis Philosopho, Rhetore, & Tragico Senecis, ne de Martiale interim dicam, qui peculiariter tibi debet, etiam Apulejum exuto asino ac oris ruditu hominem sonare faceres. Ei quam varii nec e plebe eruditi poliendo desudarint, docet vel omnium primus, idemque haud postremi inter Italos nominis Philippus Beroaldus, & cum exinde

inde annorum aliquot intervallo secutus doctissimus Petrus Colvius Brugensis, & nuper Geverhartus Elmenhorstius Hamburgensis, & qui ei Mantissam haud contemnendam adjecit V. CL. Johannes Brantius Antverpianus; ut taceam Turnebum, Scaligerum, Casaubonum, Lipsium, Gruterum, Modium, Stewechium, aliosque nostri temporis viros doctissimos, qui inter cetera Apuleji opibus rem literariam veluti fatiscentem haud leviter suffultam stabilierunt. Nec ii modo sed & Galliæ decus illud & columen Jurisconsultorum Jacobus Cujacius in Apulejo se invenisse demonstravit, quo penum suæ doctrinæ locupletiorem redderet. Quod & in Germania sal illud reliquum Italorum Scipio Gentilis illustrato ex legibus Romanis Apuleji Apologetico, ac vicissim ex eodem fœnerata legibus luce, tum & ejusdem gentis ocelli ac Medicorum coryphæi Matthiolus & Mercurialis in sua quisque professione maxime & libenter quoque testatum reliquerunt, & hodieque adhuc in omni doctrinarum genere excellentissimus quisque testari haud erubescit. Tu vero, Scriveri eruditissime, inspectis accurate omnibus illud præcipue agendum tibi judicasti, ut ambagibus cunctis, & longis, quod ille ait, logis posthabitis emendatissimum nobis contextum dares. Cui rei si & hæ notulæ nostræ, sive decermina appellare libet, conferre nonnihil possint, tui id totum arbitrii ac judicationis erit. In librum περὶ ἑρμηνείας paucula etiam nostra vides, sed paucula. Nam adjuncta papyrus quæ habet alia manu exarata,

ea

ea cognati & domestici mei Simonis Ertmanni sunt, cui id muneris demandaram, ut eum scilicet libellum cum ipso Aristotele, sepositis paulisper aliis authoribus, quos sibi juvenili hac ætate pervolutandos sumpsit, pro virili conferret. Eam ille Spartam quemadmodum exornarit, specimen illud ostendit. Adjeci & perbreve vocum Apulejanarum Commentariolum, earum præsertim, quas vel omissas aliis vel non animadversas comperi. Tu Scriveri optatissime fruere & vale, salutatus a nobis quam diligentissime. Dab. Hardervici 29. Octobr. cIↄ. DC. XXII.

EPIST. CI.
IDEM
Claudio Lysandro R. H.

De Regum Daniæ Genealogiis, ut & aliis nonnullis.

Quam ad me misisti, vir Clarissime, Danicæ historiæ synopsin Danico idiomate contextam, eam ego recte redditam accepi: munus ut inexpectatum ita opido gratum acceptumque, præsertim a Claudio Lysandro, cujus ego nomen & animi dotes, studiumque illustrandi & ornandi patriam historiam jam ante Serenissimæ Regiæ majestatis Christiani quarti laudatissimæ memoriæ parenti Frederico secundo commendatum a viro Clarissimo, & quem seculi nostri Polyhistorem multi vocant, Davide Chytræo lubentissime perceperam. Nam ejus epistolæ postumæ a filio evul-

evulgatæ, quam primum in manus meas venerunt; etiam tui & fratris tui Johannis honorifica mentio & memoria in libri propemodum frontispicio occurrit. Et eo licet nomine mihi & Daniæ nostræ gratularer ob tam illustria & in hoc studiorum genere edecumata ingenia, ita vicissim dolui, cum perpenderem conditionem humanam, & vos fortasse communi lege ad plures jam pridem abiisse, non absolutis & ad umbilicum deductis præclaris illis, quorum injicit mentionem Chytræus, operibus. Itaque acceptis nunc tuis literis, & libro hoc genealogico, novum & solidum mihi obortum gaudium, qui te superstitem & hoc etiamnum serio atque indefesse agentem comperiam. Tantum rogo ut de fratre quoque Johanne an vivat, & num quid ejus generis, quod Daniæ ac priscis populis, qui Chersonesos ac insulas Borealium regnorum antiquitus coluerunt, illustrandis atque eruendis faciat evulgarit, amice perscribere & communicare nobiscum haud graveris. Ego vicissim, ubi occasio erit, symbolam conferam, sicuti nunc summas tibi gratias ago ob missum eximium hoc donum, in quo ingenii ac laboris tui adeo insignes passim scintillæ emicant. Omnia perlustrandi otium & occasio nondum fuit, interim quæ sub manus se dederunt, in limine ut sic dicam posita, summopere placuerunt. Nam & nos auspiciis Serenissimæ Regiæ Majestatis, ductu vero Nobilissimi ac Magnifici viri Christiani Frys, magni Cancellarii, quem jure ob generosum exornandi hæc regna propositum in præfatione tua ut alterum Daniæ Absolonem celebras, eam

quo-

quoque ſpartam excolere cœpimus. Et jam propemodum per tredecim & quod excurrit ſecula Regum res continuo ſtilo, eoque Latino & populari, id eſt, humili, & qualis eſt noſter, ſervata ubique annorum ſerie, abſolvimus. Idque dum agimus, identidem ad Regum proſapias, ac certa ſingulorum ſtemmata oculos vertimus, deprehendimuſque, quam lubrica ſæpenumero ac fallax eorum ſit opera, qui hoc argumentum in Germania non tantum, ſed apud nos quoque & domi tractaverunt: quamvis inter ceteros poſt Reuſnerum, Reineccium, Henningum, alioſque, præcipuam nobis facem & ad verum viam aperiat nobiliſſimus Witveldius, nec non Andreas Vellejus. Nam Voſſii, quem nominas, Bergenſis epiſcopi, genealogias videre mihi non contigit, licet hominem ipſum in inſula Vèna apud nobiliſſimum Tychonem Brahe coram ut hoſpitem conveniſſe, & uſum familiariter memini. At tuus nunc iſte labor induſtriaque conſummatiſſima, & omnium inſtar nobis erit. Itaque quod porro petis, & noſtrum etiam judicium expoſcis, id quoque curæ erit, quam primum rem cum re, & obſervata cum obſervatis, data oportunitate, propius contulero. Tum enim quærere & expiſcari, & ſiquid uſui erit etiam ſuggerere non ceſſabo, paratus ubique diſcere potius quam docere, judicari quam judicare. Quæ ubi mutuo fient, tum demum naſcetur amicitia, quæ, ut ille, inquit, cultu erit optima. Vale vir Reverende, Hardervici xxv. Auguſt. cIↄ. DC. XXII.

Post scripta ad eundem.

Dum hærent apud me literæ meæ subsistente, nonnihil & præter opinionem tardante tabellario, identidem opus tuum Genealogicum in manus resumpsi, & occurrerunt, quæ operæ pretium existimavi in hanc seorsim chartam conjicere, & tui facere judicii. Nam primo *p.* 199. dicitur prius nuptam fuisse Esthritam Ulfoni quam Richardo Normanniæ Duci, nec aliud videtur dicere pagina 357. cum tamen pagina exinde 203. & 204. contrarium adducatur, prius scilicet nuptam fuisse Duci Richardo, atque inde Ulfoni Anglico. Quod & veritati & verbis Adami Bremensis est consonum. Dicitur præterea *p.* 357. nullos Richardum ex eadem Esthrita liberos procreasse, cum iterum *p.* 203. contrarium referatur sustulisse nimirum ex ea filiam unam Aloyssam, & filios tres, Richardum, Gulielmum, Robertum. Quod licet cum priori pugnet vero, tamen est propius, nec tamen verum omnino. Nam Richardus & Robertus non ex Esthrita, sed ex Juditha anteriore ejus conjuge suscepti. Esthrita, ut est apud Gemmeticensem, Gulielmum ei & Maugericum protulit. Hinc *p.* 197. Sueno Tristeshan, sive ut alias est dictus Suenotho, unum tantum filium habuisse memoratur, cum tamen certis authoribus, & temporum eorum æqualibus, constet Haraldum etiam filium habuisse Daniæ Regem. De quo videndus prolixe Dithmarus, & Encomiastes Emmæ Reginæ, & quæ in omnium est manibus, Erici Regis de origine gentis Danorum historia.

P.

P. eadem 197. Thyra, quæ nupta fuit Godvino Anglico, non Ulfonis Anglici, sed Canuti Magni soror perhibetur, cum habeat similiter contrarium *p.* 204. Thyram scilicet, quæ nupta fuit Godvino Anglico, Ulfonis sororem fuisse, quod & Adamus Bremensis verbis disertis testatur. Prius illud in Andreæ quoque Vellei Genealogiis reperio Saxonem sequentis. Qui habet *lib.* 10. *p.* 177. *vers.* 3. de Canuto Magno loquens: *Quin etiam sororem Anglorum satrapæ Godvino nuptiis junxit.* Sed verius esset, *Quinetiam sororem Ulfonis Anglorum satrapæ Godvino nuptiis junxit*, cum hoc, ut jam dixi, Adamus Bremensis diserte memoret, cui esse hic potior fides debet, utpote qui hæc & ejusmodi ex Thyræ ipsius nepote Suenone Estrithio Danorum rege coram hauserat.

Gisla, quæ soror Magni (*long* Mogensis *suster*) in Chronico Normanniæ dicitur, ea *p.* 440. 444. Magni filia (Mogensis *dochter*) fuisse memoratur, cum tamen idem, quod Chronicon, testetur etiam Adamus Bremensis . . . .

Fridlevum, qui Saxoni numeratur inter filios Regneri Ladbroci, esse alium a Godefrido, qui in insula Batavorum a Ducibus regis Francorum nefarie est trucidatus, asseritur *p.* 348. quia Regino, Sigebertus, & Normannici scriptores utrumque nominant, & facta diversa singulis attribuunt. At si inspiciantur ii authores, non Fridlevum & Godefridum, sed Sigefridum & Godefridum ut diversos nominare deprehendere erit.

EPIST. CII.

CLAUDIUS LYSANDER

Joh. Isacio Pontano S.

De eadem materia.

Literæ tuæ, Clariss. Pontane, Hafnia ad me perlatæ die 16. *Novembr.* Quæ admodum gratæ, cum quia te in respondendo diligentem, tum in admonendo de occurrentibus scrupulis curiosum, candidum, sincerum inveniam. De singulis ergo, quæ in dubium revocas, sic accipies:

De Esthrita *p.* 199. & *p.* 357. quibus contrarium putas asseri *p.* 203. nulla omnino repugnantia. Illic enim aperte distinguuntur conjugia per priorem & posteriorem maritum. Hic autem non per priorem & posteriorem, sed per unum & alterum &c. Et quia continuanda illic Ulfonis genealogia posteriori loco infertur. De qua mutatione Lectorem in calce libri moneo. Non moramur Bremensem & ejus Scholiasten Velleum, qui asserunt Estritam primo nupsisse Richardo, deinde Ulfoni, sed magis ipsorum circumspectionem requirimus. Certum est enim Canutum mortuum in expeditione contra Richardum sororem Estritham repudiantem. Quomodo ergo eam mortuus elocavit Ulfoni? Quomodo Ulfonem invitavit? occidi curavit? Nec movebit, Bremensem paulo post illa tempora vixisse, & gloriari se a Suenone edoctum, cum ipsum multis in locis fefellerit memoria,

ria, & alias ubique in Regum ſucceſſione & genealogiis valde ſit frigidus &c.

EPIST. CIII.

PONTANUS LYSANDRO S. P.

De eadem. Quem Fridlevum vocat Saxo Grammaticus eum ipſum eſſe Godefridum, qui in inſula Batavorum a Francis occiſus. Alia etiam quadam.

Quod literis tuis ad me ſuperiori autumno miſſis nunc demum elapſa hyeme reſpondeam, Clariſſime Lyſander, adferre cauſas non unas poſſum, ſed omnes præter occupationes meas. Præcipua autem fuit brumæ interventus, qua nec commode nec tuto ſatis commeare hæ noſtræ litterulæ ſolent, præſertim iſto tempore, quo itinera illa terreſtria eques Mansfeldicus aliique obſident. Quæ ſi certo ſat cito perferuntur. Itaque de re noſtra ita habe.

Pag. 203. tui libri nullam eſſe repugnantiam putas cum *p.* 199. & 357. quod hic diſtinguantur conjugia per priorem & poſteriorem maritum, illic autem non per priorem & poſteriorem, ſed per unum & alterum. Quam ego excuſationem ad tollendam repugnantiam ut forte concedam, ita non video, quibus tibicinibus ſtabilire eam ſententiam poſſis, Eſtritham ſcilicet primo nupſiſſe Ulphoni, atque inde Richardo, cum pugnet non modo cum Adamo Bremenſi, qui ipſius Eſtrithæ filio Suenoni Regi ſe familiariſſi-

mum fuiſſe, & ab eo res Danicas hauſiſſe fatetur, ſed & pugnat cum aliis authoribus omnibus, & ipſo Saxone noſtro Grammatico, a quo ſane abire, niſi evidens cogat neceſſitas, nobis eſſe religio debet. At inquis certum eſſe Canutum mortuum in expeditione contra Richardum ſororem Eſtritham repudiantem, quomodo ergo eam mortuus elocavit Ulphoni &c.? Hoc quam certum ſit ex Saxone liquere poteſt, qui tradit Canutum ſtatim recuperata Norvegia in Angliam reducem, Richardum acerrimum uxoris oſorem patria exegiſſe, & Eſtritham ſororem Zelandiæ redditam regiarum partium functione donaſſe, atque ad Ulphonem haud multo poſt in Daniam a Canuto miſſum ſingulari aſtutia ad nuptias Eſtrithæ ſororis ejus perveniſſe. Quæ autem idem deinde Saxo ſubjicit de expeditione Normannica, quam Canutus adverſus Richardum Ducem ſuſceperit, in qua & mortuus eſt, ea de familia & poſteris potius Richardi quam de ipſo Richardo accipienda, cum in annum præſertim 1036. Canuto ultimum referatur. Eo enim tempore Richardus jam ante octennium, nec ut Saxo habet in Siciliam, nec ut alii in terram ſanctam digreſſus, ſed placida morte domi obierat, inque monumentis majorum Feſcampi, ut omnes tradunt, ſepultus fuerat. De filio interim Richardi Roberto verum id eſt, eum nimirum anno 1035. idque in peregrinatione Hieroſolymitana obiiſſe. Et notandum hic, quod alibi obſervavimus, ſolemne Saxoni eſſe, ut alia ſæpe Principum & Regum nomina, præſertim in rebus externis pro aliis ponat. Videndus etiam Gemmeticenſis *cap.* 10. *lib.* 6. *Pag.*

Pag. 197. non exiſtimas a te aſſertum Suenonem unum tantum filium Canutum reliquiſſe, ſed ita verba tua habere, *Sueno Thiuforſheg filium Canutum reliquit.* At quia Danice ſcripſiſti ponam verba tua, quæ ego aſpexi: *Suenid afflade mad ſynthe tre dotter oc en ſon Kund*, quod totidem verbis Latine erit, *Sueno genuit ex Syntha tres filias & unum filium tantum.* Fateor deſiderari particulam *tantum*, at ea ſive addatur, ſive omittatur, cum numerus unitatis adjectus ſit, quis non innui dicat, quod expreſſimus. Sed concedamus quod petis, & mente ſervatum tibi Haraldum, quem alii ſuggerunt, atque ideo omiſſum, Primo, quia Saxoni & aliis probatis authoribus omiſſus eſt, Deinde quia non Canuti Magni ſed ſancti Canuti frater fuit. At iis reſpondere viciſſim licebit, & quærere, num Dithmarus, qui diſerte eum nominat, ut & Emmæ Reginæ Encomiaſtes inter ſciptores Normannicos magno rerum Danicarum bono Pariſiis nuper editus, probati authores non ſint? Et denique ipſius Danorum Regis Erici chronologia nonne fidem hactenus apud omnes doctos obtinuit? At ejus quoque diſerta verba ſunt de hoc Haraldo: *Suenoni ſucceſſit filius ejus Haraldus, quem Dani, quod effœminatus eſſet, & libidini totus deditus depoſuerunt, & Gammelcunt fratrem ejus regem fecerunt:* Et ſtatim deinde; *Canutum ſive Gammelcunt, quod raro in regno eſſet, iterum depoſuerunt, & Haraldum effœminatum regno præfecerunt, qui tamen cito poſt mortuus eſt, & ſucceſſit ei dictus Gammelcunt frater ejus.* Jam ſecundo quod addis eum

non Canuti Magni, sed sancti patrem fuisse, inde refellitur, quod Dithmarus & Emmæ Encomiastes, qui eum diserte, ut indicatum, nominant, ad ætatem Canuti sancti haud pertigerint, utpote quorum uterque ævo Canuti Magni floruit. Cum itaque satis constare hinc possit Suenoni Tiuffersheg filium Haraldum, parenti ipsius cognominem, fuisse, & regni etiam rebus admotum, sequitur a nobis quoque nominandum, & in censu aliquo regum habendum, si modo legitimi historici & genealogi audire cupiamus. An vero ex alia quam *Syntha* natus sit, cum authores non noverint, nec nobis aliquid statuere concedendum videtur. Placuit vero, quod ais, eos Reges, qui nec a Saxone nec ab aliis probatis authoribus ut Danici producuntur, extra hunc regum Catalogum omnino habendos. Displicuit semper, reges a Daniæ cœlo alienos, ut Roricum, sive ut Francici annales appellant Chrocum, & Coracum, aliosque diserte Alemannicos non Danicos authoribus dictos regibus a Saxone indicatis certa quasi serie interseri.

P. ead. 197. itemque 104. de *Thyra* contradictionem non annotassem, modo alterutro eorum locorum & præsertim posteriori addidisses, quo nunc ire te video, aliter, & prius *p.* 197. indicatum, alios statuere. At nihil videri certius quam Thyram, quæ Godvino nupsit, fuisse sororem non Canuti Magni, sed Ulphonis Anglici, alibi & suo loco liquido satis ostensum hic repetere supervacuum puto.

Quod notatum *p.* 444. & 446. conjugem Ortulphi

tulphi Saxoniæ Ducis Giſelam, ſive ut Chronicon Norvagiæ nominat, Ulvildam, non Magni, ut paginis jam indicatis a te poſitum, filiam, ſed ſororem fuiſſe, idque non tantum Chronicon Norvagiæ, ſed & Adamum Bremenſem aſſerere idem etiamnum iiſdem authoribus repeto, ac rectum puto. Quos autem Saxones & Brunſvicenſes ſcriptores pro tua ſententia habeas ignoro, cum tantum eos ſcriptores appelles. Nam ſane, qui hodie inter præcipuos Saxonum genealogicos habetur, Reuſnerus, idem quod ex Chronico Norvegiæ & Adamo Bremenſi attulimus, nimirum, Giſelam filiam fuiſſe S. Olavi, Magni autem Regis ſororem, conſtanter & diſerte nobiſcum dicit, tantum in eo errans, quod S. Olavum regem Daniæ faciat, cum Norvagiæ Rex fuerit. Quod deinde ad confirmationem tuæ ſententiæ adducis, ex temporis ratione non *fuiſſe ſcilicet S. Olavi filiam, quia Olavus* (ita habent tua verba) *occiſus ſit Ann.* 1028. *& Magnus ſucceſſit patri Ann.* 1073. *& elapſis annis aliquot tandem Ulfvildam duxit*, & cetera quæ ſequuntur, ex peregrinatione tuæ mentis videntur ſcripta, nam, ut ſcis, non Magno, ſed Ortulpho Saxoniæ Duci Giſela nupſit. At in hac tua epiſtola ita porro verba tua habent: *Ergo vel Ulfvilda in ipſo patris agone nata* 50. *pene erat annorum cum Magno nuberet, quod quam veriſimile ipſe facile vides, cum potiſſimum ex ea liberos aliquot ſuſtulerit.* Quæ omnia ejuſmodi ſunt, ut putem ex tuæ, ut dixi, mentis alienatione, aut ſaltem amanuenſis aliquo errore profecta.

Nam ut indicatum & ipſa genealogia tua typis excuſa habet, Giſela non Magno ſed Ortulpho Duci nupſit, nec potuit etiam Magno nubere, cum ſoror ejus fuerit, ut ex authoribus demonſtravi, tuque filiam ejus fuiſſe vis. Deinde quod eadem illa verba ſupra citata ajunt, Magnum patri ſucceſſiſſe anno 1073. ſimiliter toto cœlo a vero abit, cum Magnus Rex ſtatim ab obitu patris Olavi ſuccedens poſt adminiſtrata Daniæ & Norvagiæ Regna obierit jam anno 1048. id eſt, totis annis 25. ante tempus a te notatum, quo eum ſucceſſiſſe velis. Concludis itaque: *Sed Magni fuiſſe filiam multis argumentis convincitur, 1. Antiquitatibus, 2. annorum ratione, 3. Regis Danorum filia erat (ut omnes teſtantur) non ergo Olai, ſed filii ejus Magni, qui ex pacto ſucceſſit Olavo* (non Olavo ſed Canuto dicere voluiſti) *duro Daniæ Regi, 4. Ulfvilda etiam filium reliquit Magnum, patris potius quam fratris nomen referentem.* Reſpondemus, ſi Magni filia fuerit, male & per errorem jam ante, ut oſtendimus, a te indicatum Magno nupſiſſe, itaque antiquitatum authores nominari nobis deſideramus, 2. annorum rationem a te modo allatam plane deviam & ab omni temporis ipſius æra ſecedere monſtravimus, 3. Quicunque regis Danorum filiam fuiſſe dicunt, eos errare dicimus, ut demonſtratum in Reuſnero, qui cum recte aſſerat S. Olavi filiam fuiſſe, in eo tantum labitur, quod Olaum Daniæ Regem faciat. Itaque facile concedam Germanorum ſcriptorum quoſdam tralatitio errore Danorum filiam dicere, quæ regis Norvagiæ Olavi filia fuerit,

non

non considerantes Norvagiæ tum regnum aliter quam hodie a Daniæ regno fuisse distinctum 4. Ex eo, quod Gisela filium suum non Olavum sed Magnum vocaverit, concludere Magnum patrem fuisse, quamvis fieri subinde id solet, vim argumenti non habet, nisi alia accedant, quæ quia desunt, & alia multa in contrarium possunt adduci, hæc subintulisse sufficiat.

De *Fridlevo* & *Godefrido* ita esse, ut indicavi, comperies, Fridlevum scilicet & Godefridum, ut significatione unum est nomen, ita & personam unam eandemque intelligendam, nimirum quem Saxo Fridlevum vocat esse eum ipsum Godefridum, qui in insula Batavorum est occisus. Quod si ut ais etiam Andreas Vellejus in notis ad Bremensem statuerit recte statuisse censeo. At quod addis Godefridum & Sigefridum unum eundemque esse id nequaquam admitti potest, cum singulis diversæ non tantum res tribuantur, sed Sigefridus etiam post occisum in insula Batavorum Godefridum in historia non semel nominetur.

Hæc erant quæ respondenda ad tuum epistolium, Lysander clarissime, quamvis raptim, habebam, tutatus præcipue aut enodans proprie Adamum Bremensem, Grammaticum Saxonem, Chronicon Norvagiæ vernaculum, regisque Erici Danicæ gentis historiam. Quibus ego authoribus neque antiquiores, neque certiores in rebus, quas tractamus, dari existimo. Tu velim ex censendi, si quam usurpamus, libertate de animi nostri ingenuitate judices, & eum ut ab omni adulatione, ita quoque a malignitate & livore esse

quam

quam remotissimum persuasum habeas, solaque ductum veritate, quæ & scopus & cynosura, ad quam collimare cuncti debent, qui haberi historiarum studiosi expetunt. Ab ea si excidimus, a lege semel hic lata excidimus, & quam veteres historiæ supremam vocarunt. Vale vir Ornatissime a nobis salutatus quam diligentissime. Harderv. xi. Mart. 1623.

Epist. CIV.

GEORGIUS EGMONDANUS EPISCOPUS

Ut & Clerus Ultrajectinus Hermanno Archiepiscopo Coloniensi, Electori &c.

De libro cui titulus, Simplex ac pia deliberatio super reformatione doctrinæ administrationis divinorum sacramentorum &c.

Reverendissimo in Christo Patri, Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Hermanno Archiepiscopo Coloniensi, Principi electori, Westphaliæ & Angariæ Duci &c. Domino nostro plurimum observando. Reverendissime in Christo pater, Illustrissime Princeps & observandissime Domine. Dici facile non possit, quantum fuerimus affecti ac plane commoti, quum ejusdem Reverendissimæ & illustrissimæ D. V. literas ipso die Pentecostes nuperrime elapso Busconii datas una cum libro quodam Latino idiomate edito sub titulo *simplicis ac piæ deliberationis super*

per reformatione doctrinæ administrationis divinorum sacramentorum &c. donec Deus dederit constitui meliorem, in publicum emisso recepissemus, ac per aliquot selectos singularis eruditionis ac pietatis viros diligentius discuti & examinari fecissemus, quorum relatione nobis facta invenimus ipsum librum plenum esse insuetis & novis doctrinis cum traditionibus Apostolicis ac sanctorum Patrum hactenus receptis ex diametro in universum pene pugnantibus. Omittimus vero in præsentia, quod neglecto more majorum & non modo præteritis & inconsultis confratribus suis metropoliticæ ecclesiæ Canonicis, viris vita exemplari, doctrina sincera, ac orthodoxa fide præditis, verum etiam episcopis vestris provincialibus neglectis, sine quorum consilio in tam arduis suæ metropolis negotiis nihil novi præsumere debuerat, idem liber non modo fuerit editus, verum etiam indiscussus, ac plane indigestus in vulgum valde præcipitanter emissus, ideo pro officii nostri debito omittere diutius non potuimus, quin P. V. Reverendissimæ ac illustrissimæ D. tandem aliquando sententiam nostram vere & candide testemur, atque planum faciamus, nos rebus his mature perpensis neque posse neque velle diutius dissimulare, quin impios hos conatus a Martino Bucero, ac nonnullis aliis extraneis, similis sectæ, farinæ, ac notæ hominibus, quos ab ecclesiæ Catholicæ unione ac fide omnibus constat prorsus esse alienos, potius, quam ab eadem D. V. Reverendissima & illustrissima profectos, plane detestemur, & nisi ad mentem redeat, prout summo voto

voto optamus, & superioribus nostris filiali obedientia ac cum debita reverentia eandem Reverendissimam P. V. ac illustrissimam D. non modo cohortati, sed etiam liberius fuimus obtestati, quæ cum nihil apud eandem D. V. Reverendissimam & illustrissimam hactenus habuerint momenti, prout non modo ex communi fama ad nos perlata, verum etiam assiduis scriptis piissimorum & eruditissimorum virorum certiores effecti sumus, de quo non mediocriter dolemus, atque impensius non affligeremur, siquid auxilii aut remedii ea res huic tanto malo afferre posset. Ideo necessitate ipsa ac zelo fidei & orthodoxæ religionis coacti & compulsi P. V. Reverendissime ac illustrissime Domine, palam atque publice protestamur, nos & ecclesiam nostram Trajectensem hactenus vestigiis sanctorum Patrum inhærentem, sanctæque sedis Apostolicæ fidei, religioni, ac obedientiæ consentientem, & fidelem filiam ecclesiæ Romanæ, Capituli vestri metropolitici, clerique ac Universitatis studii Coloniensis interjectæ appellationi plane constituisse adhærere, prout per diplomata in authentica forma desuper confecta, ad quæ nos referimus, latius patet. Quæ P. V. Reverendiss. ac Illustrissima pro sua naturali bonitate æqui bonique consulere dignabitur. Datum Trajecti Ann. 1445. mensis Augusti die 8. Rev. & illustrissimæ D. V. deditissimi Episcopus, Prælati, & Capitula majoris & aliarum ecclesiarum Trajectensium ecclesiam universalem repræsentantium.

Her-

Hermannus, cujus mentio hic, illustri Comitum de Weda oriundus prosapia. Sleydan. *lib.* 24. *hist.* Idem de eodem *lib.* 10. *Archiepiscopus Coloniensis Hermannus, cum jam olim emendationem ecclesiæ cogitaret, hortatu suorum, provinciæ suæ concilium cogit in hoc tempore, vocatis eo reliquis, ut fieri solet, suæ ditionis episcopis, Leodino, Trajectensi, Monasteriensi, Osnabrugensi, Mindensi &c.* De eodem *lib.* 15. *ille suorum Ordinum agit conventus, hi sunt clerus primarii templi, Comites, nobilitas, & civitatum legati. Re deliberata placuit omnibus inchoandum esse tam pium opus atque salutare. Negotium ergo dat quibusdam, ut rationem aliquam futuræ reformationis scripto concipiant, & de viris bonis ecclesiæ ministris circumspiciant. Scriptum illud Theologis Coloniensibus mittit, & ut e sacris literis judicium faciant, sententiamque suam ostendant, petit: Sed quum ejus desiderio non satisfieret, nec essent, quos populo recte præficeret, Martinum Bucerum ad se vocat Argentorato &c.* Add. Sur. ad Ann. 1543. ubi vocat Hermannum hunc *natura virum bonum* & in egenos liberalem, sed parum ait doctum. Cessit Archiepiscopatu ob veræ studium pietatis, ut & frater ejus Fridericus Præpositura Bonnensi, Ann. 1547. 25. Febr. Idem ad eum Ann. Sleydan *lib.* 18. *hist.* Nactus Electoratum Ann. 1515. Divitem & Pacificum Ægidius Gelenius ait Canonicus Coloniensis, sed deceptum a Luthero, *de Colon. Agrippin. magnit. lib.* 1. *syntagm.* 6. versibus his adjectis.

Nobilis & Dives pacisque Hermannus amator
Deceptus periit fraude Luthere tua.

Idem statuit eum Archiepiscopum LXXVI. & librum ait de reformanda religione Bonnæ editum Ann. 1543. Obiit gravis jam ætate Ann. 1552. 15. August. Biverni in Comitatu Wedano sepultus. Sleydan. *lib.* 24. *hist.* Gelen. *d. loc.* Add. Jo. Chapeavill. *in Cornelio a Bergis cap. ult. & in Georg. Austriac. cap.* 1. Matth.

EPIST.

EPIST. CV.

NICOLAUS A CASTRO

D. Gisleno Schryvers &c.

Nicolai a Castro episcopi Medioburgensis in Medioburgum introitus.

Scriberem tibi ordinem consecrationis acceptatæ de manu illustrissimi Domini Cardinalis Granvellani, commigrationis & introitus nostri in Middelburgum cum reliquis aliis subsecutis, nisi habituri essetis ad manum præfatos amicos nostros Dominos de Schoor & Wesels, qui omnium actorum fuerunt inspectores & oculares testes, qui omnia fidelissime referre poterunt. Nam quid fama vulgi ad vos detulerit non magni facio, cum pleraque talia mendaciis resperſa sint. Illud ego profiteor majorem honorem & laudem mihi tributam esse, quam ego dignus sum accipere. Missi sunt tres Deputati a magistratu Middelburgensi Mechliniam, qui meæ interessent consecrationi cum mandato deducendi me Middelburgum expensis civitatis, cumque pervenissemus usque ad portam, qui respicit Middelburgum, nomine Sofs, rursum advenerunt alii Commissarii & Deputati civitatis navigio, qui adduxerunt navem instructissimam omni genere ciborum, cameratam, & circumvestitam tapetis, habentem mensas duas, sedilia, & omnia requisita ad excipiendum, non dico episcopum, & honorifice tractandum, quorum

rum ego sum minimus, sed etiam ad recipiendum Regem: nihil enim defuit, quod ad magnificentiam & liberalitatem ostendendam posset desiderari. Accidit istud 30. præsentis mensis; cumque sub noctem appulissemus Middelburgum, studuimus secreto oppidum ingredi; sed frustra istud tentatum est, quandoquidem cum vellemus circa octavam horam vespertinam ingredi, invenimus littus plenum viris & mulieribus, qui nostrum exspectabant adventum; & vidimus plurima luminaria ad hoc parata; ut nos deducerent ad ædes cujusdam Burgimagistri, qui habitat non longe a porta; & is quoque cubiculum, in quo quiescendum erat, adornaverat honestissime, propositis bellariis quam pluribus & vino electissimo ad reficiendum corpus & exhilarandum animum, honesta societate ad hoc præsentante & invitante nos minime defatigatos. Sequenti die ad egressum nostrum excepti sumus a Domino Secretario Hugone Bonte brevi, sed eloquentissima & nervosa oratione congratulatoria, astante ad ostium magistratu & primoribus civitatis. Deinde progredientes in habitu episcopali, præcedente clero, religiosis, & choro utriusque ecclesiæ S. Petri & S. Martini deducti sumus processionaliter usque ad templum S. Petri, ubi invenimus chorum honeste adornatum non solum tapetis, verum etiam versibus, quorum copiam tibi mittimus his adjunctam cum monteto, quod a magistro cantus compositum dicitur. Finito sacro, quod a Decano ecclesiæ nostræ solenniter decantatum est, perreximus eodem ordine ad

conventum five Abbatiam, in qua Dei gratia & benignitate refidemus. in qua convivium invenimus inftructum pro univerfo clero, qui non folum ex urbe, fed etiam ex vicinis locis illuc confluxerat. Ibi rurfus experti fumus magiftratus & Rectorum civitatis liberalitatem, qui obtulerunt nobis magnum vas vini dictum *een voeder*. Sequenti die excepimus convivio nobiles & præcipuos viros, qui ex vicinis oppidis advenerant ad falutandum nos & congratulandum nobis. Tertio die tractavimus Balivum & magiftratum cum præcipuis Rectoribus civitatis pro noftra mediocritate. Sequentibus diebus inquirere cœpimus de ftatu Conventus noftri, quem etfi non optime fe habere percepimus, nec tam exquifite quam optabamus, facile tamen poterit per tempus, ut fpero, reduci ad ordinem requifitum. Multa ut opinor per incuriam vacante fede perierunt, nam omnibus liberum fuit, quicquid vellent facere, neque vacavit Domino Præpofito, penes quem erat adminiftratio omnium rerum extra conventum confiftentium, omnibus intendere, cum abunde magno onere gravaretur. Invifimus arcem noftram dictam Wefthoven locum peramoenum, & invenimus ibi omnia mundiffime & ornatiffime conftituta. Habet hæc domus cubicula & ambulacra pulcherrima, quæ fufficerent ad recipiendum aliquem Principem, eftque bene inftructa lectis, fulcris, ftanneis & lineis requifitis, ut opus non fit fupellectilem inducere, fed tantummodo attrita renovare. Additum eft quoque per meum prædeceflorem ædificium

ficium novum, quod nondum perfectum est, sed juvante Domino proxima æstate perficietur. Inveni ibidem honestam familiam & custodem domus cum uxore, qui diligentissime curant ea quæ pertinent ad munditiam & conservationem omnium rerum ibidem consistentium. Quapropter non existimo eos esse absolvendos aut dimittendos. Proximis diebus tribus aut quatuor impediti fuimus negotiis Statuum, & circa aggerum reparationem faciendam multæ habitæ sunt & diversæ deliberationes, constitutis officiariis ad hoc requisitis. In ea autem congregatione nos tenuimus consuetum locum Abbati debitum. His vale Domine Greffiarie, & saluta meo nomine Dominum Præsidem, Diemen, Grysperre, & reliquos Dominos, viros Consulares, nec non magistrum Johannem Baex, Pensionarium de Clercq cum vestris conjugiis, & familiaribus amicis nostris, quorum amicitia & familiaritate quam libentissime usi sumus.

Ex ejusdem epistola *Ann.* 1562. 17. *Januar.* Crede mihi officia domus nostræ, quæ administrantur per seculares, exiguum habent constitutum stipendium, propter quod non censeo alicui huc commigrandum. Fama erat cum essem vobiscum magnifica hic esse omnia, & ego experior contrarium esse verum. Nam inspexi libros rationum quatuor, quinque, aut sex annorum, & non comperio officium aliquod esse tam bonum, quod annue pendat domino suo in certis proventibus ultra quatuor libras Flandricas, excepto uno officio, quod dicitur esse melioris matrisfamilias,

quæ habet curam lineorum & mensalium: Hæc enim lucrari annue dicitur XIII. libras Flandricas & locationem domus.

EPIST. CVI.

Antonio Thysio V. CL.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Papæ Romani dictum de Rege Daniæ Waldemaro.

Clarissime ac Reverende vir, Qui has tibi exhibet cognatus est meus Simon Ertmannus, domesticus nunc denuo noster. Ei cum alia quædam apud vos curanda mandassem, simul etiam ut tuam Reverentiam meo nomine salutaret petii, tradita ista scheda, qua rogo, ut mihi authorem indicare velis, quo testante Pontifex Romanus, lecto Waldemari regis Daniæ epistolio, & subscriptione nominis *Waldemarus*, respondisset, ut nobis narrare soles, *Profecto est valde amarus.* Nam authores, quos ego vidi, solum epistolium ponunt, sine ea Pontificis responsiuncula. Te itaque, amice optatissime, iterum iterumque rogo, si occurrat locus aut author, unde id hauseris, mihi hac occasione amanuensis mei indicare haud graveris. Vale salutatus una cum conjuge a me meaque quam diligentissime. Dab. Harderv. 22. Octob. stilo nostro CIↃ. DC. XXII.

EPIST.

EPIST. CVII.

IDEM

Sibrando Siccamæ V. CL.

De Frisiorum origine. Nænia Hunibaldi, & Furmerii errores.

Memoriam nostri, ornatissime Siccama, etiam absente qui eam refricare fortasse possit ex parte filio, nihilominus adhuc integram apud te persistere, ex literis tuis libenter perspexi. Attulit eas ecclesiæ vestræ minister Reverendus, ut elegantissimas, ita purum amorem & vivum animi candorem purissime spirantes. Libelli illi, quos nominas, apud me etiamnum sunt, & remisissem hoc ipso tempore, si onerare illis fuissem ausus virum hunc optimum, quem satis superque vel isto fasce gravatum putavi nostrarum non modo literarum, sed libelli quoque adjuncti, quem ut æqui bonique facias rogo. Prodiit, ut video, opusculum illud de vestra Frisia ejusque Aboriginibus, cujus aliquando apud nos mentionem fecisse te memini, sed minus probare institutum. Nec ego quoque video, quid isti ab alio orbe terræ filii, quibus & similes obtigere præcones, adferre lucis queant laudatissimæ alias genti, & ore ac scriptis authorum classicorum, & qni extra omnem aleam sunt positi, celebratissimæ; qui Germaniæ populos indigenas dicunt, minimeque aliarum gentium adventibus aut hospitiis mixtos. Valeant ergo sordes istæ Vid. supr. epist. 83.

& lutum merum, qui nomen Frisiorum inter Indos aut Persas quærunt, aut inde profectum gentis primum conditorem fabulantur. Valeat quoque Abbas Spanhemius, qui auctoritate Hunibaldi teterrimi veritatis historicæ corruptoris a Friso Clodionis criniti Francorum regis filio Frisios suum nomen accepisse tradit, quasi non multis ante seculis Plinius ac Tacitus eo nomine eos novisset. Sic & Phrasii, quos Indiæ populum Strabo agnoscit, aut Phrygii ab aliis adducti, quid simile habent, nisi inepte detorqueas, cum Frisiis? Aut quis scriptorum veterum, quibus aliqua fides debeatur, vel minimum indicium unquam prodidit, unde exsculpi possit, quod istis nugari ac venditare tam est volupe? Mihi hæc talia, non quod ille dicit amabilis, sed fatuæ videntur insaniæ. Et ut videas sub exemplo, quam etiam constent sibi, Ait Furmerius de Diocaro Segone, quinto Frisiorum principe *cap.* 5. *p.* 47. littus Frisicum ejus tempore ab aggeribus fuisse nudum & omnino planum, ac Oceani ferventis inundationibus quotidianis obnoxium, oblitus scilicet quod dixerat jam ante de Frisone, Frisiorum ex India, si Dîs placet, aut Persia archego, eum nimirum anno 300. ante natum Christum aggeres constituisse, rivos more Persico duxisse, & eosdem claustris ad excludendum & retinendum aquas, si opus esset, munivisse. Et vis addam quod rideas? etiam librum de reficiendis aggeribus tum conscripsisse. Refert & idem *p.* 31. Julium Cæsarem terram omnem a mari Norvagico Tornacum & ad Scaldim usque contu-
lisse

lisse amico suo Salvio Braboni, non videns, præter absurditatem (quod dederit scilicet, quod nunquam ipse habuit) etiam hac donatione necessario comprehensam fuisse Frisiam, cujus tamen Principem tunc fuisse dicit Asingam, regnasseque annos LXXXII. magna cum laude. Testes vero sive auctores istorum si requiras, producuntur & illi, sed tales, quos vel nominasse nænias istas confutasse sit, &

- - - - - qua emendare litura
Haud multa possunt, una litura potest.

Sed tua malo, & gaudeo notas ad LL. Frisicas & Commentarium ad Pragmaticam sanctionem Imp. Sigismundi de libertate Frisiorum propediem iterata editione proditura. Nec est quod festines ad nos remittere Lindebrogii volumen. Utere & fruere quantum & quo usque libet. De obitu quod addis optimorum & natalibus ac doctrina clarissimorum fratrum Titi & Ausonii Popmæ nondum inaudiveram. Et dolui non tam eorum vicem, qui nunc beati & e fæce ista terrestri ad illam cœlestem serenitatem perlati sunt, sed rei communis & literarum præsertim nomine, quas suis sudoribus egregie promoverunt, & indies adhuc, quantum in ipsis erat, promovere non desinebant. Ausonium memini etiam nuper & ultimis meis monuisse, atque aurem tetigisse, ut libellum causarum naturalium, quem a se ex optimis authoribus concinnatum refert in notis ad Fragmenta historicorum Latinorum, publico non invideret. Sed tu amicique hæc posthuma jam curabitis, & istis pupillis & naufragis tabellis ve-

luti patres & servatores eritis. Vale mi optime Siccama, & nos literis tuis sæpius compella semper gratissimis. Dab. Hardervici x. August. cIↄ. DC. XXI.

Annotationum, quæ sparsim occurrunt in libello epistolarum adjuncto, quod nullam præfatio aut titulus mentionem faciat, id studio quodam & dedita opera factum facile animadversurum te existimo. Iterum vale, resalutatus a Consule nostro D. Brinckio quam diligentissime.

EPIST. CVIII.

IDEM

Petro Scriverio V. CL.

Harcuriæ Comites an Normanni. Contracta ab iis olim cum Gelris affinitas. De Frossardo nonnulla.

Literæ tuæ, mi Scriveri optatissime, cum hesterno die ad ædes nostras seriuscule deferrentur, committere tamen nolui, quin tuis votis quam primum satisfieret. Describi igitur quod petis instrumentum extemplo curavi. Et ecce hic habes, sed Latinum, quod vernaculum, qui erat ad manus amanuensis, legere minus poterat, & tibi mora etiam minima morosa foret, mihi vero dictare aut describere tempus haud permitteret. Sed est hoc ipsum religiose & ad verbum, qua poterat, a me Latine redditum, nec aliud in historia suo loco expressi. Videbis autem ipsas has esse

eſſe tabulas nuptiales, a Duce Reinaldo conceptas ſignataſque; Mariam vero, quam ducit, Harcurianam quidem, ſed Ludovici Aureliani Ducis eſſe progeniem, ex regum Francorum ſanguine & domo. Habuitque Ludovicus idem Aurelianenſis filiam ac neptem Marias. Quarum illa Johanni Harcuriæ ac Aumaliæ Comiti nupſit, hanc duxit Antonius Vadani montis Comes. Quæ ut vidua hoc tempore fuerit infantia ejus reclamat, tum & ætas avi, qui natus Ann. 1371. ita ut matri hoc tribuendum potius, quæ defuncto Harcuriæ & Aumaliæ Comite ſecundas has cum Reinaldo Duce nuptias ſit auſpicata, & nomine mariti Maria ab Harcourt dicta. Eo trahere nos, quamvis & aliæ conjecturæ haud deſint, ipſum inſtrumentem comperies, quod ut proximum & præcipuum heredem, defuncta ante Reinaldum ſine prole Maria ipſum Aurelianum ſtatuit, ita & eundem quoque de nuptiis primo compellatum, ac ejus denique nutu aſſenſuque factas pactaſque videbis. Reuſnerum tibi ad manum haud fuiſſe puto. Eum tamen vide in Ludovico Valeſio Duce Aurelianenſi ejuſque ſobole. Quod vero hæſitas Harcurios Normannos an Anglos facere, ſcies a Gallis ſcriptoribus Haillano & aliis haberi Normannos, & mentionem quoque Philippi ab Harcuria fieri apud Mejerum ad Ann. 1404. Froſſardi mentione, quam commode injicis, iterum iterumque te hortor, mi Scriveri, efficias ut is author, quomodo apud Voſſium noſtrum Belgice redditus habetur, alicui typographo excudendus tradatur, ſcriptor ſuorum temporum, ac

Hic Antonius Vaudemontius Heutero dictus & avus ipſius Mariæ. Vid. *p.* 183. *in Carolo Pugnace.*

maxime necessarius. Dedecus seculi sit, ubi tot procuduntur nugæ, hunc authorem utilissimum in abdito latere, & cum blattis ac tineis ætatem degere. De nuptiis porro Mariæ, defuncto jam Duce Reinaldo, quod ultimum quæris, an scilicet Ruperto vel Adolpho Bergensibus, aut alii nupserit, varie enim hoc traditur, de eo, ubi Gelricæ historiæ reliquos acervos colligo, propius inspexero. Interim mi optime Scriveri vives & valebis quidem feliciter a me consuleque Brinckio salutatus ac resalutatus quam diligentissime. Dabam 18. Novembr. 1627.

EPIST. CIX.

IDEM

Petro Scriverio S. P.

De editione Macrobii, & quid in ea peccatum.

Ornatissime atque Amicissime Scriveri, Misit ad me exemplaria aliquot Macrobii nostri typographus. In quo haud pauca sunt quæ desidero. Tanti enim refert adesse præsentem aut abesse operi, quod editioni pares. Titulum præter cetera ita formaveram, *additis ad libros singulos uberioribus notis*, nunc omisso *uberioribus* cetera leges, quasi antea ad libros singulos notæ non fuissent. Sunt & alia in primo illo folio & in præfatione, ubi habetur versa prima pagella, *in Daniam iter instruit*, ego *in Daniam iter instituit* scri-

scripsisse me scio. Sed contenti simus hoc Catone. Vides additam Notationem tuam ad *Fragmentum*, quod quasi Macrobii a me citatur. Et recte atque ordine eam additam video, quamvis nondum reperiam, quomodo Marbodæus ab Isidoro, qui eum ætate longe præcedit, laudari potuerit, nisi dicamus ab Excerptore Glossarum Isidori hæc & talia adjecta. Sed de his alias volente Numine. Nunc me doceas velim, an plures epigraphæ sive elogia in agro circa Leidam vestram nuper reperta præter illud, quod coram ostendebas. Misit idem ad me Joachimus Morsius cum sua interpretatione, in qua cum quædam non infeliciter eruat atque explicet, tamen quod cardinem rei spectat, ab eo nondum animadversum. Quod etiam in epigraphe quapiam; quæ nunc est in manibus, Neomagensi factum ab aliis & tibi quoque negotium creasse eandem in Tabulario tuo reperio. Sed de hoc alias quoque. Monui per literas librarium Joh. Maire tibi exemplar Macrobii compactum traderet. Nec ambigo quin facturus sit. Sin aliter, me certiorem reddas. Nam ante Pascha vix me hic expediam migrando, iis quæ ad migrationem spectant, nunc occupatissimus. Adjeci his, quod nuper omissum erat, apographum Comitis Hollandiæ Guilielmi Boni ad Reinaldum ejus nominis IV. Juliaci ac Gelriæ Ducem. Vale & fruere. Dab. raptim Hardervici 1628. 13. April. stil. nov.

EPIST.

EPIST. CX.

IDEM

Petro Scriverio V. CL.

De loco Macrobii lib. 2. Saturn. cap. 4.

Mitto ecce, Scriveri ornatissime, epistolarum Lipsiacarum libellum tibi promissum, sed huc usque dilatum ob moras nescio quas bibliopolæ, qui exemplaria suis impensis curavit excudi. Compactum tibi servabis, ceteros distribues pro singulorum inscriptionibus. Addidi etiam autographa & apographa, quibus sum usus. Tu reddito singulis suum. Locus Macrobii, quem dixi omissum in testimoniis a te citatis veterum Tragicorum, est iste *Saturn. lib. 2. cap. 4. Ajacem tragædiam scripserat, eandemque, quod sibi displicuisset, deleverat: postea Lucius gravis tragœdiarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax suus, & ille in spongiam, inquit, incubuit.* Ubi tamen jure quæri potest, quis sit ille Lucius tam gravis tragœdiarum scriptor, cujus nullum exstet fragmentum. Cujus nec ullus quod sciam veterum meminit. Ait Justus Rycquius *libr. epistol. epist.* 27. in Vaticano Codice MS. reperisse *L. Gnavius.* De quo cogitare te velim, si fortasse verum inde Tragici istius nomen erui possit. Vale & me ama, ipsis Calendis Augusti CIↃ. DC. XXI.

EPIST.

EPIST. CXI.

IDEM

Viro illustri Christiano Frys, Toparchæ in Cragerup, Daniæ Regis Cancellario.

De Danica historia. Nova nonnulla.

Commodum ad Magnificentiam tuam literas miseram, quibus & fasciculum adjeceram chartarum partem historiæ nostræ Danicæ continentium res tantum Canuti Magni &c. ad usque tempora Voldemari primi per annos circiter centum & quinquaginta serie continua deductas, cum ecce regiæ literæ ad me delatæ sunt, ex quibus Majestatis ipsius clementem erga nos favorem percepi, cum adhortatione aut jussu potius, ut opus historicum rerum Danicarum, quod ante quadriennium circiter concinnandum suscepi, opportune ad colophonem deducere adlaborarem. Absolutoque eo me præsentem in Dania sisterem assumpta ea ipsa quam dixi opella nostra. Hæc regiæ voluntatis indicatio quantum nos excitarit, & calcar currentibus addiderit, malim re ipsa quam verbis demonstrare. Et cum me etiam ex tempore ad obsequendum ipsius majestati paratum esse debere agnoscam, nunc tamen obstat & inhibet operis suscepti modulus, & quod id ultimam adhuc manum desideret. Interim quodcunque concinnatum inque promtu est, omnem movebo lapidem, ut munde descriptum semper

ad

ad manum sit, quo Regiæ Majestatis voluntati tuæque Magnificentiæ in omnem eventum possit satisfieri. Sperabo si Deus vires & valetudinem porro concedat me quæ restant feliciter ad finem perducturum. Interim Magnificentiam tuam oratam habeam, ut super iis, quæ proxime transmisi, suum sensum communicare, & quid deinceps, quod ad regias literas, faciendum existimet nobis quam benigne aperire, aut saltem hac vice nostram apud Regiam Majestatem excusationem suscipere haud degravetur. Quod ad nova attinet, illud reticendum nequaquam puto inexpectato a nobis in Gallias concessisse Bohemiæ regem, & nunc apud Ducem Bulioneum (ita accepimus) sanum & salvum agere. An inde porro ad Comitem Mansfeldium, & cujus jam res ut maxime laborant Palatinatum suum moturus procinctum sit, quod plures existimant, affirmare non habeam. In Flandria qui huc usque circa Slusam ejusque ripas egit miles eum nunc a Spinula acciri, & castra Rhenum versus movere *fama* nunciat, *malum, quo non aliud velocius ullum*. Sed hæc aliaque dies dabit. Interea Deus Opt. Max. tuam Magnificentiam quam felicissime servet ac sospitet. Dab. Hardervici cIↃ.DC. XXII. April. XII.

Astronomiam Danicam D. Magistri Longomontani ante aliquot septimanas ipsi transmissam, & exemplaria perplura ad nundinas Francofurtenses esse delata mihi nuper typographus significari curavit. Salarium quod nobis a regia Majestate clementer est designatum, ut tua Magnificen-

centia, ubi dies solutionis comparuerit, quemadmodum anno superiori, vel fratri, vel fido alicui mercatori nostrati, sub specie dalerorum imperialium adnumerari faciat, obnixe admodum peto &c.

Epist. CXII.

Idem eidem.

De eadem. De præcisa Principi Walliæ nuptiarum spe cum Hispana.

Quod anno superiori datis sub Decembris initium literis tuæ Magnificentiæ significavi, pollicitusque fui Procopium scilicet Græcum ex editione Hoescheliana me primo statim anni sequentis vere, primisque navibus, quæ in Daniam erant soluturæ, transmissurum id nunc concedente numine præsto. Poteritque tua Magnificentia eo exemplari uti frui ut suo, cum ipse per librarios nostros aliud mihi Francofurto curandum mandaverim. Quod ad opus nostrum id jam ex immenso & vasto veluti Oceano eluctari incipit, & Oldenburgicam domum ac novum illud stemma resque seculo nostro propiores ingredi, absoluta Aboriginum primorumque Regum longa serie. Quo in ordine postremus est Christophorus Bavarus, qui parti huic primisque illis heroibus colophonem imponet. Post hæc regnorum Daniæ Norvagiæque chorographica descriptio aliquam etiam manum postulat. Suntque in promtu collecta nonnulla, quæ eo spectant, videboque quid vetus variaque lectio soli-

lique

lique natalis propior inſpectio addere priorum conatibus poſſit, quamvis ejuſmodi hæc ſint, ut repetita identidem, ac iterum iterumque viſa inquiſitaque adjicere ſemper aliquid ante dictis queant. Quocirca & veſtram aliorumque, ac præſertim virorum doctorum, qui in partibus regni utriuſque remotioribus degunt, implorandam hic opem habeam. Sed de his fortaſſe alias. Nunc illud addam, quod publica ſpectat, nos magno in metu hac hyeme circa Bacchanaliorum initia fuiſſe irrumpente, aut potius juſto cum exercitu ingrediente Velaviam noſtram, Henrico Bergenſium Comite, cum omnia jam glacies geluque intenſiſſimum feciſſet pervia. Sed Numine faciente pedem ille intulit exiguo aut nullo adhuc, quod ad rei ſummam attinet, illato detrimento, quemadmodum ex ſchedio adjuncto Magnificentia tua intelliget. Apud Anglos miram rerum animorumque metamorphoſin attulit Valliæ Principis ex Hiſpania reditus. Nam qui a rege ei erat adjunctus itineris conſiliorumque omnium Achates fidiſſimus Buckingamus totam Hiſpanicarum machinationum ſcenam hero ſuo aperuit, oſtenditque ſibi certis documentis authoribuſque conſtare, id præcipue agere Hiſpanum, ut Principe Valliæ connubii ſpe cum regis ſorore ineſcato ſibi Britanniæ regem obſequentem retineret, traheretque eo uſque negotium, dum omnia quæ ſtatui ſuo ſuiſque rebus putaret commoda, in tutum locata videat, atque iis obtentis, ut ſe poſtremum caſtitatis deſiderio monialium ordini inferat regia ſoror, Anglo inſuper habito, & quæ

tam

tam diu velut incerta eum quasi Lutheranum hominem tandem aversetur. Hæc Buckingamus. Britanniæ magnæ Rex hoc astu sive fastu potius Hispanorum accepto convocari extemplo regnorum suorum proceres jussit, eisque inter cætera, quam nihil in rebus filii sui, quod ad speratum illud connubium esset peractum, demonstravit, seque idcirco duo præcipue ab ipsis flagitare, ut nimirum super eodem conjugio, dum res adhuc esset integra, deque restitutione Palatini Principis consilia agitarent, nihilque sibi antiquius fore, quam ut libere serioque, quod in rem regnorum suorumque liberorum foret, in medium conferrent, publiceque declararent. Ea Regis oratio sive propositio est. In omnium nunc manibus versatur, indicioque est haud levi de causa diversa nunc Regem consilia circumspicere, fatente etiam ipso declinasse in quibusdam se, ac conniventia quadam indulsisse, quæ alias minus probaret. Hæc rerum ibi protasis ac primus veluti actus est. Catastrophen ac finem earum dies ac Deus dabit. Qui ter Opt. Max. tuam Magnificentiam quam felicissime incolumem florentemque diu servet prosperetque. Hardervici XIX. Mart. CIↃ. DC. XXIV.

EPIST. CXIII.

FRANCISCUS VAN DER BURCH

Archiepiscopus Cameracensis Lamberto van der Burch Patruo suo.

Ad Cameracensem Archiepiscopatum evectus Ultrajectinus & a Papa confirmatus Ann. 1616.

Nactus hanc occasionem non possum non Reverentiam tuam certiorem facere, de obtenta confirmatione ejusque bullis ac pallio Archiepiscopali huc perlatis. Initio sequentis mensis statui accipere possessionem per procucuratorem, & mox convasatis omnibus hinc discedere. Deus mihi adaugeat suam gratiam, ut grande onus humeris impositum fortiter feram, & vocatione mea dignus ambulem, aliorumque de me expectationi utcunque satisfaciam. Gandavi 18. Julii 1616.

EPIST. CXIV.

Idem eidem.

Gratiarum actio pro dedicatione libri de vita, variis successibus, & tristi exitu Guidonis Flandriæ Comitis.

Admodum Reverende Domine Patrue. Affinis van Lathem pridie nonas hujus mensis Gan-

Gandavum venit & tradidit mihi aliquot exemplaria ejus libelli, quem Reverentia tua composuit, & mihi inscribere dignata est, *de vita, variis successibus, & tristi exitu Guidonis Flandriæ Comitis.* Permagnam habeo gratiam pro munere, pro affectu. Si ea libertate istuc excurrere possem, qua huc Sylvam ducis adveni ob consecrationem Reverendissimi Domini Zoesii hoc ipso die magno & concursu & applausu populi celebratam, cras vel perendie Tua istic me Reverentia videret, & quas illi debeo gratias coram agerem, sed propter habitum quem gero, dignitatem quam sustineo, & hæc tempora, non licet mihi esse tam beato. Tanto ferventius Deum orabo, ut eam Reverentiæ tuæ valetudinem, easque vires largiatur, quæ profectionem ad Divam Virginem Aspricollensem ferant: ea enim occasione fore considerem, ut Reverentiam tuam vel in transitu viderem, & optimi Patrui, qui & multis nominibus Parentis loco mihi colendus est, benedictio super me & domum meam copiosius veniret. Hæc vota, hæc desideria compleat Deus, atque interim mandet mihi Reverentia tua, & suo jure imperet, siquid sit, in quo meam sibi operam non inutilem fore existimet. Raptim Sylvæ Ducis VI. Idus Majas Ann. 1615. Rev. T. obsequentissimus nepos H. Franciscus van der Burch episc. Gandavens.

EPIST. CXV.

H. FRANCISCUS van der BURCH Lamberto Decano patruo ſuo Sal.

Officium epiſcopi.

Adoleſcentem a Rev. tua commendatum in familiam ſuſcipere non potui, non modo quia jam ante in eam receperam, quotquot habebam neceſſarios, verum etiam quia aliis locum addixi, quando vacare continget. Cœpi hanc diœceſin obire, & in ea ex nunc facile quinquaginta millia confirmavi, & veroſimiliter adhuc facile viginti quinque millia confirmabo, antequam Cameracum redibo. Redibo autem proximis quatuor temporibus, ut illic ſacros ordines conferam, ſi Deo placuerit. Ultimis quatuor temporibus ordinavi pene ducentos. Ab eo tempore quo Gandavo diſceſſi tres conſecravi eccleſias & altaria pene centum. Hodie in hoc oppido celebravi in Pontificalibus, & ratione Indulgentiæ plenariæ, quam a ſua Sanctitate impetravi, tantus fuit communicantium numerus, ut uſque ad horam primam ſacram Euchariſtiam adminiſtaverim. Cras & perendie hic hærebo, ut ſacramentum Confirmationis iis conferam, qui ex viciniis pagis huc confluent. Deinde viſitationes monaſteriorum aggrediar, iiſque peractis alio pergam. Hæ continuæ occupationes noſtræ laborioſæ quidem at non injucundæ propter devotionem populi. Deus eam conſervet ac augeat, mihique,

hique vires continuet, & Reverentiam vestram votorum omnium reddat compotem. Raptim Castelli Cameracesii 6. Novembr. 1616.

EPIST. CXVI.

NICOLAUS A CASTRO:

Episcopus Medioburgensis.

Præstantissimo Ornatissimoque Viro D. Gisleno Scryvers Provincialis Concilii Trajectensis Greffiario Amico suo, Trajecti Ann. 1562. Sal. plur.

Paramenta episcopalia. Episcopi consecratio.

Satis felici cursu Domine Greffiarie amice mihi semper observande in Brabantiam pervenimus, tametsi quatuor integris diebus profectionem extraximus, priusquam veniremus Bruxellam, noctes enim non computo, quia cum longiores essent diebus, neque consultum videretur per tenebras nos periculis committere viarum, tardius profectionem nostram absolvimus, quam sperabamus. Bruxellam autem ingressi mox ad palatium illustrissimi Cardinalis me contuli, ut tentarem ejus animum, si sese submittere dignaretur ad conferendum nobis munus consecrationis, quod post salutationem & sumptum de bona gratia cum ipsius dignitate prandium libentissime concessit, præfigens nobis diem B. Stephani, qui post ejus introitum sextus erat dies ad comparendum Mechliniæ una cum Domino Curtio episco-

po Brugensi, cui suam operam ante meam comparitionem addixerat. Bruxellis autem biduo aut triduo completo, ubi *paramenta* episcopalia (sic enim habet Cæremoniale Romanum, quo significantur indumenta episcopalia) paranda erant, Lovanium me contuli. Deinde veni Mechliniam biduo ante solennitatem natalis Christi. In ipsa autem solennitate magno & insolito triumpho cantatum est summum sacrum a Reverendiss. & illustrissimo Domino Cardinali, & Archiepiscopo Mechliniensi, quo completo vocatus sum cum eodem Reverendiss. Archiepiscopo ad convivium solenne, quod magistratus Mechliniensis jusserat in domo civitatis præparari. Die sequenti qui nostræ consecrationi præfixus fuerat, Reverendiss. Dominus Brugensis & ego de manu Domini Illustrissimi Cardinalis, qui Cameracensem suffraganeum & Dominum Abbatem Grimbergensem pro adjuncto & assistentibus sibi delegerat, in ecclesia S. Romaldi consecrati sumus spectante populo & primoribus civitatis, qui in tanto numero confluxerant, ut chorus vix illos caperet & loca choro vicina. Consecratione peracta ducti sumus cum magno comitatu ad palatium Illustrissimi Domini Cardinalis, ubi convivium permagnificum paratum erat. Postridie Dominus Brugensis & ego tractavimus domi Dominos, quorum benevolentiam & liberalitatem antea fueramus experti. Interfuerunt nostræ consecrationi Domini Commissarii Middelburgenses ad hoc huc missi, nempe Burgimagister Seraertskercke & Pensionarius, ut mihi assisterent, & nomine civitatis

tatis nostrum honorarent actum, cum mandato adducendi me, & assistendi mihi in via, donec pervenero Middelburgum. Convenit autem inter nos, quod perendie proficiscemur simul ad partes Flandriæ, eo quod facilior inde videtur trajectus & minus periculosus. Speramus autem, favente Domino, nos ingressuros Middelburgum Dominica prima Januar. nisi aliud occurrat impedimentum, visuri gregem a Domino nobis commissum. Vale Domine Greffiarie, & si in quacunque re nostram desiderabis operam, non parcas amico, qui tibi debet, quicquid præstare potest, & saluta Dominum Præsidem, Diemen, Grisperre, & reliquos amicos & familiares. Mechliniæ ipso die Innocentium Ann. 1562. Tui studiosissimus amicus & Servitor Nicolaus de Castro minister ecclesiæ Middelburgensis.

EPIST. CXVII.

GER. JO. VOSSIUS

Joh. Isacio Pontano.

De loco Macrobii Saturn. lib. 6. cap. IV.
De L. Arruntio belli Punici scriptore.
De Curtio nonnulla.

Ita est, ut ais, clarissime Pontane: Pæstanus Vibonensis falsò inter scriptores Macrobio memoratos repositus fuit in editione Stephanica, & aliis post secutis. Vereque scribis, proram & puppim huic opinioni fuisse Macrobii istum locum

Vid. supra epist. 96.

lib. VI. *Saturn. cap.* IV: *Sed & Paſtanus Vibonenſis ſic ait, Pedibus equos tranſmiſimus.* Quomodo & veteres editiones habent, etiam Aldina, & antiquior hac Colonienſis ante ſeculum recenſita ab Arnoldo Veſalienſi: niſi quod in utraque *Jubonenſis* pro *Vibonenſis* literæ unius trajectiuncula legas. Eſſe vero hunc Macrobii locum corruptiſſimum, ac perperam inde colligi ſcriptoris ullius nomen, primus vidit Ludovicus Carrio *lib.* I. *Emendat. cap.* XV. ubi eum adumbratum eſſe obſervat ex illo Ciceronis *lib.* XVI. *ad Att. cap.* VI. *Duo ſinus fuerunt, quos tramitti oportet, Paſtanus & Vibonenſis: utrumque pedibus equis tranſmiſimus.* Nam ἀσυνδέτως *pedibus equis*, ut etiam in optimo codice Tornæſiano invenerat Lambinus, legi debere jam olim Simeo Boſius vidit, ut editio ab eo procurata arguit: atque item, quæ ex literis ejus ibidem Carrio adducit.

Vid. Voſſ. de Hiſtoric. Latin. *p.* 827. & 828.

Pedibus equis eſt πεζῇ καὶ σὺν ἵππῳ, hoc eſt terreſtri itinere: non autem, ut pedes pro equis fuerint: quod Carrio temere malebat. Nam etſi ob maris receſſum Ciceroni non erat navigio opus; equi tamen illi uſus erat, ſive ob laſſitudinem, ſive quia non ubique mare ita receſſerat, ut ſiccis pedibus ſinum utrumque tranſmittere poſſet. Macrobii igitur locus ſic corrigendus: *Sed & Paſtanum & Vibonenſem, Cicero ait, pedibus equis tranſmiſimus.* Error provenit ex eo, quod librarius compendio literarum ſtudens *Cic.* ſcripſerat, unde poſtea *ſic* fecere. Quod ſiquis verba illa, *Cic. ait*, ante *Paſtanum* reponere malit, fiet illud me non improbante. Nam facile fuit illa traijcere librario, præ-

Quid ſi *pedibus equiſque*, ut equorum uſus in locis, ubi terra ſubhumida, vel ſicca & aquis deſtituta? Matth.

præsertim si prius omissa, posteaque ad oram addita, vel superius adscripta fuere. Imo nec repugnem, siquis librarii incuria putet versum fuisse omissum. Nempe ut ita fuerit in codice, quem is exscriberet: *Sed & Cicero ait, Duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet, Pæstanus & Vibonensis: utrumque pedibus equis transmisimus.* Sed priora malim, quia vocis illius *utrumque* apud Macrobium vestigium est nullum. Multo minus placet Carrionis sententia legentis: *Cicero ad Atticum ait: Pæstanus, & Vibonensis. Vtrumque equis pedibus transmisimus.* Nam ne in structura peccetur, aut paucula verba, quæ proxime antecedunt ante *Pæstanus & Vibonensis*, præmisisset: aut ex recto casu quartum fecisset.

De Arruntio vix aliud observavi, quam illum Punici belli scriptorem, quem stylo Sallustiano sed non sine κακοζηλίᾳ scripsisse ait L. Seneca, eundem videri illi, quem Plinius meminit in indice scriptorum, e quibus profecit *lib.* III. & V. *historiæ suæ.* Agit ibi Plinius de situ terrarum. Et verisimle est in historia sua multa, ubi Pœni Romanique pugnassent, loca descripsisse, Hispaniæ & Africæ inprimis. Cumque Oratoris, si Ciceroni credimus, proprium sit historiam scribere, non abhorret a vero, eundem esse, de quo M. Seneca in *præfat. controvers. lib.* VII. refert, ut in judicio urserit Albutium. Item quem Piso patronum petebat, ut est apud Tacitum *lib.* III. *Annal.* Vocatur ibi T. Arruntius: sed non dubium, quin idem sit ac ille, de quo egit *lib.* I. ubi Lucius dicitur. Itaque fuerit is,

qui consul fuit cum Marcello Æsernino anno Urbis Iↄ cc xxxii.

De Curtio ne γρῦ quidem hactenus apud me doctissimus collega Thysius. Itaque quæ super florentissimo hoc scriptore sententia sit tua planè ignoro. Mihi is videtur, de quo Tranquillus egerat in libello de claris Rhetoribus, ut constat ex superstite indiculo, quem ex vett. libb. dedit Achilles Statius Lusitanus. Sed de hoc & aliis fusius propediem in Historia nostra dicemus. Nec enim diutius debere audeo, propter tot promissi nostri flagitatores. Quanquam interdum vereor, ne ardens hoc aliorum desiderium differre potius suadeat editionem. Nam videtur illud significare, grande eos aliquod bonum exspectare. At ego is non sum, qui grandi summorum virorum exspectationi satisfacere possim: & ut aliquid possem, tamen nunc, partim satis molestis, partim minutis negotiis, sed densis, ita distineor, ut ne illud quidem possim, quod possum.

Quæso, Clarissime Pontane, ubi iterum Lugdunum excurrendi occasio dabitur, ne verbo compellare graveris. Multum enim te amo, cum propter eximiam humanitatem tuam, quam tuæ etiam literæ ad me abunde spirant: tum propter excellentem doctrinam, ac præstantes tot annorum labores, quibus tibi (sine dolo dico) obstrinxisti Remp. literariam, atque in hac me quoque: qui propterea æternum ero Tuus

GER. JO. VOSSIUS.

Lugd. Bat. cIↄ. Iↄc. xxiv.
VI. Eid. Jun.

EPIST.

EPIST. CXVIII.

HENRICUS BOXHORN ZUERIUS

Joh. Iſacio Pontano Cognato ſuo S.

De Jove Ammone, & ejus etymo.
In ſacris quid Cornu.

Clariſſime Cognate, Obſervationem meam ad vocem ADAD in Macrobianis tuis notis declaratam placere tibi gaudeo: tibi inquam, cujus tum eruditionem ac judicium, tum ſingularem in me benevolentiam aliquotiens ſum expertus. Vivit enim adhuc, & quamdiu vivam, vivet ille peramici nuperi congreſſus tui memoria, cum inter cætera vocem illam ad Arabicum دد *Adad* i. e. fortis poſſe deduci oſtendere conarer. Similem locum extare ſcribis pagina præcedenti de Jove Ammone, cujus etymon non a Græco ἄμμος, quod Feſtus, & alii, Græci inprimis, voluerunt, ſed potius ab orientalibus linguis peti debere oſtendis, & non male ab Hebræo חַמָּה *hhamma*, quod ſolem & calorem notat deducis: Interim & meam quoque ſententiam adjungam. Ammonem eſſe occultorum Deum, & eum de rebus occultis conſuli tradunt Plutarchus in Cimone, & alii; autores quoque ſunt Manethus Ægyptius & Hecatæus hanc vocem *Ammon* ſignificare arcanum occultumque, quod notandum eſt prorſus convenire cum lingua Arabica, qua عَمَّ *amma*, tegere,

gere, occultare, ſignificat. Et hinc vox لامة, quæ diadema regum Saracenorum notat, ita dicitur, quia totum caput tegit, ut Arabes obſervant. Alteram etiam conjecturam, Clariſſ. cognate, adſcribam: Euſtathius ad Dionyſium Periegeten de etymo hujus vocis ſic ex Herodoto infit: τῶν τις δὲ μεγάλων φιλοσόφων ἀμμοῦν καὶ πατέρα εἰπεῖν, παντὸν εἶναι ἱερεῖ. At quanta eſt hujus etymologicæ cum Arabicis affinitas, quibus عامّ *ammon* (ſic enim Arabice legitur & ſcribitur) vel عمّ *ammon*, patruum ſignificat, & أمّ *ummon*, matrem. Habes, mi cognate, conjecturas meas ad vocem ipſam. Macrobius hunc Ammonem porro a cornibus arietinis deſcribit, inde eſt quod Alexander magnus, qui Jovem Ammonem parentem ſuum aut credebat eſſe, (ut verbis Curtii utar) aut credi volebat, ab Arabibus ſemper, cum ejus mentio incidit, quæ ſatis frequens eſt, vocatur ذو القرنين i. e. bicornis. Cauſam a te in notis vidi notatam. Aliam ego, ſaluo judicio tuo, ſuperaddam. *Cornu* apud Hebræos notat, tum divinam gloriam, tum regiam majeſtatem; prius ſatis clare apparet ex 1. *lib. Samuelis*, *cap.* 2. ℣. 1. & 10. ubi inquit: *& extollet* קרן *cornu*, *i. e. divinam gloriam Chriſti ſui.* Fortitudinem vero & poteſtatem regiam ſignificat capite 8. Danielis. Simile quid de fortitudine notavit Suidas in voce κέρας. Hæc ſunt quæ ad locum illum Macrobii in præſens notavi, quæ ſi tibi placere cognovero,

ro, libens acquiescam. Vale clarissime & eruditissime cognate; salutatus a me cum uxore tua peramanter. Dabam Leydæ Ann. 1631. 17. Junii. Tui observantissimus cognatus Henricus B. Zuerius.

Memini me aliquoties audivisse a Dn. Golio nostro, qui aliquoties Orientem peragravit, cornua apud Orientales esse regiæ majestatis signum. Unde cornua ante exercitum ferre solebant.

EPIST. CXIX.

Viro doctissimo

GISBERTO LAPPIO A WAVEREN IC.

Joh. Isacius Pontanus.

Quæ ecclesia cathedralis. Catholici Romani an in rerum natura.

Errore factum, Ornatissime Lappi, ut literæ responsumque, quod mittere ad te debebam, tibique debebatur, ad alium, sed amicum nostrum communem Dn. Buchelium sit non missum modo, sed scriptum quoque. Ab eo igitur repetes, ne idem bis dicam, scribamve. Existimabam enim ea Buchelii esse annotata, cum postea tuum nomen subscriptum repererim. Ignosces idcirco homini lecto ac stratis inhærenti, adeoque graviter decumbenti. Cathedralis ecclesiæ vocabulum quod spectat, de quo nihil in illa ad D. Buchelium, nolim in eo nimium te torqueas, sed Joh. Brechæum legas in *Comment. ad l.* 85. *ff.* de

Dixi de cathedrali *lib. 2. de Nobilit. cap.* 55.

de verb. sign. ubi ita loquitur : *Cathedralis ecclesiæ appellatio generalior est : nam reliquas omnes continet. At vero episcopalis ad collegiatæ & cathedralis ecclesiæ nomen non pertinet, neque sub ea comprehenduntur sacerdotia, sodalitia &c.* Hactenus Brechæus. Quam observationem memini aliquando relatam mihi a genero meo V. CL. D. Anton. Matthæo juris apud vos Professore. Doleo quod me certiorem non reddideris penes te esse istum Hermannum Goudanum, qui Gelrica illa gesta circa Vesopum & Amsterodamum perscripsit. Quod etiam in illa mea ad Buchelium questus fui. Si adhuc carere potes meo ære a te redimam. Nam jungam scriptoribus ceteris, qui hujusmodi Gelriæ seorsim & breviter tradidere, ut sunt Aquilius, Henricus Bomelius, Servilius, aliique, tam excusi, quam MSS. qui penes me sunt. Jungam dico, at quomodo in afflictissima hac valetudine mea, nisi Deus a machina, quod dicitur, respiciat? Cætera reperies in epistola illa mea ad Dn. Buchelium. Tu vale ac vive feliciter. Raptim Hardervici ipsis Cal. Julii 1639.

Vitam illam Viglii a Viglio ipso scriptam cur non totam etiam mihi misisti? Frustum accepi; idque expressi.

Venlonianos contractus non unos habui. Secutus sum, quem maxime classicum putavi. Vide historiam nostram *p.* 831. & seq. *Cum risu a Catholicis legitur.* A Catholicis nimirum Romanis. At ejusmodi Catholici in rerum natura non sunt, nec esse possunt. Qui enim est *Catholicus*, non potest esse *Romanus*, & vicissim qui *Romanus*, non potest esse

esse *Catholicus*. Alterum enim excludit alterum. Sicuti a particulari excluditur generale. Vides quantis ubique erroribus conveniamini, qui docti a Romana ecclesia ita recitatis Apostolicum symbolum: *Credo ecclesiam Catholicam Romanam*.

EPIST. CXX.

Viro Clarissimo
ZACUTO LUSITANO MEDICO
Joh. Isacius Pontanus S. P.

Medicamentum & pharmacum voces ambiguæ.

Clarissime atque excellentissime Zacute, Reddidit mihi literas tuas Amplissimus noster Consul Ernestus Brinckius, quas ego iterum serioque sum exosculatus amoris atque affectus erga nos tui plenissimas, ut omittam laudes, quibus ea qualiacunque nostra, quæ in publicum literarum bonum emoliti conatique sumus, nimium sane extollis magnique facis. Sed ego Amoris illius, qui cæcutire vulgo dicitur, etiam in vero atque oculato subinde amore imaginem quandam agnoscens me pede meo metior. Interea ubi ad opuscula respicio, quæ non una sed varia multipliciaque Medicorum filiis communia esse jam pridem voluisti, me summopere cepit atque affecit, quod inter alia Consul idem Ornatissimus mihi inspiciendum tradidit de Praxi Medica admiranda.
Illud

Illud enim dum volvo revolvoque plenum exemplis ut utilissimis ita opido mirandis memorandisque in mentem mihi venit, ac opere in illo tuo reviviscere mihi visus præceptor olim meus, quem Basileæ sum veneratus sectatusque, præstantissimus Felix Platerus, in his haud proletarie versatus. Sed ille suis in observatis quod agere instituerat, peregisse hic tu, ac summam, quod ajunt, manum addidisse videri potes, ut jure nunc seculo tibique gratulemur, qui hæc tam præclara latere ulterius noluisti. Quod autem literæ tuæ, quas dixi, a Consule mihi redditæ, certiores nos faciant libri, quem modo sub manibus seu prælo potius habes, super Medicorum principum historia, in ordine quintum, de Venetis, ut addis dissertantem, eum eximium, & nihil a prioribus recedens, sed omnia summa, & post Hieronymum Mercurialem, quæ in eo argumento desideramus allaturum, nosque in intima ejus rei penetralia deducturum, plurimaque egregia docturum cunctos nullus ambigo. Et patere dum hic sumus addi, quod video, ubi de his ac pharmaci notatione agit, omissum, quem indicavi, Mercuriali, omnigena alias doctrina, & ea quoque, quæ humanior vocatur, excultissimo, vocem *medicamentum* non minus apud Latinos, quam apud Græcos *pharmacum*, esse ambiguum, & plures una habere significationes. Nam *pharmacum* ut Græcis modo salutiferum, modo lethale aliquid significat, ita & apud Latinos *medicamentum*, aliquando non medicamentum & salutiferum poculum, sed venenum notat. Quod

præ-

præter Nonium Marcellum Varro docet, cujus verba περὶ ἐξαγωγῆς hæc ſunt: *Quærit ibidem ab Hannibale, cur biberit medicamentum, quia Romanis, inquit, me Pruſiades tradere voluit.* Quo loco *medicamentum*, quod etiam Nonius obſervat, venenum ſeu pharmacum lethale intelligitur. Sed jam erubeſco, qui hæc in medium adducam tenuia, ac verba dependam, ubi de rebus agitur agendumque. Sed tu Zacute præſtantiſſime ignoſces haud ignarus etiam caprarum pilos ad altare olim delatos pro gratis acceptiſque habitos. Dab. Hardervici Gelrorum.

EPIST. CXXI.

GEORGIO PANNEKOKIO

Joh. Iſacius Pontanus.

De controverſiis, quæ Reformatis cum Lutheranis intercedunt.

Redit ad te, Ornatiſſime Pannekoki, libellus ille tuus, quem inſpiciendum mihi dederas, de Pace eccleſiæ inter Proteſtantes ſive ita appellare mavis Evangelicos procuranda. Quo in libello, quod præter cæteros Hellus notat, ſi ea religionis capita, in quibus utriuſque partis Theologi plene conſentiunt, abunde ſufficiant, cum ad ſalutem hominis Chriſtiani, tum ad abſolutam ac ſolidam in eccleſiis Dei pacem ſtabiliendam, quid eſt, quod in reliquis, quæ duo aut tria ſunt, nec ideo ad ſalutem neceſſaria, tantopere

laboremus? In iis autem ipsis capitibus, quæ sunt personalis unio, eucharistia, & prædestinatio, quid amplius potest, quam quod Hellus facit, concedi adversæ parti, aut indulgeri liberalius? qui ea fere singula ad scholasticorum & in Academiis altercantium subsellia rejicit. Quamvis quod Eucharistiam spectet, de qua præcipue disceptatur, & velut pro aris & focis singuli dimicant, quid clarius quam cum corpus suum & sanguinem discipulis suis vivus vidensque per panem & vinum Christus traderet, significasse eum per exteriora ea panis & vini signa carnem & sanguinem suum, quibus nos ad vitam æternam pascit roboratque? Sic & idem poculo cum tribuit, quod erat in poculo, nonne hic manus dare, nec ad vocum normam exigere omnia subtilius æquum sit? Etenim Christi quos dixi discipuli cum ex manu Servatoris panem & vinum acciperent, aut verum ejus corpus sub pane, & sanguinem accepisse sub vino, aut non accepisse dicendi. Si illud; vivus jam ac videns edendum se bibendumque Christus propinavit. Quod an rei admittat natura quisque secum consideret. Sin hoc; exteriora fuisse ac esse hæc signa, & ad verum Christum, qui animam nostram pascit ac reficit, omnino referenda. Prædestinationis autem doctrinam quid est quod aversentur tantopere, & in his illi præsertim, qui audire Lutherani cupiunt, cum eam ipso Calvino, Zuinglioque, rigidius sit executus Lutherus, adeo ut Erasmus adversus servum ejus arbitrium stringere calamum haud dubitarit. Jam quod syllabum spectat, qui eidem

li-

libello subjicitur, authorum eorum, qui de ecclesiastica reconciliatione scripsere, eos fere non tam hos, qui Lutherani nuncupantur, quam esse Calvinianos Zuinglianosque reperio, ita ut ego haud dubitem, si idem quoque adversæ parti, id est, ipsis Lutheranis, studium foret, inque id una cum Anglis Gallisque incumberent, & aliquid similiter, ut hi, de suo quasi jure remittere atque agere omnia amice animum inducerent, brevi in unum coituros dissidentes. Habes super his, mi Panckoki, sententiam amici tui, qui te ad Anglos cognatosque tuos propediem recursurum feliciter ire, & ad nos vicissim cum Deo redire exoptat vovetque. Harderov. &c.

EPIST. CXXII.

V. CL.

Stephano Stephanio Eloquentiæ Professori in Academia Sorana

JOH. ISACIUS PONTANUS

Veterum Thule an Islandia. De historia Danica.

Ornatissime Stephani, Significavi antehac tuas mihi recte redditas esse, quibus inter cætera mecum agebas, ut a D. Vossio Papiæ glossarium, quod ille a D. Joh. Lydio utendum accepit, in usum saltem unius anni tuo nomine impetrarem. Ego non solum ad Dn. Vossium hujus ergo, sed etiam ad ipsum libri possessorem D. Lydium ite-

rum denuoque scripsi, ut id concederet uterque, aut saltem Lydius, qui libri, ut dixi, possessor est, sed hucusque ab eo non tantum nihil, sed ne responsum quidem præter id, quod anno superiore tibi transmisi, obtinere potui. Hoc, licet minus gratum, jam ante tibi perscripsissem, sed ea fuere tempore mea, & adhuc sunt, ut potissima hac hyeme aut lecto aut foco adhæserim, nec adhuc valentulus sum, ita pertinax malum est, quod me dejicit, ac cedere nescium, accedente præsertim, quæ ipsa morbus est, ætate jam senecta. Nam me non modo sexagesimus jam, ut ille ait, pulsat annus, sed sextus & sexagesimus. At eum quam multi fuere, etiam qui vixisse Nestoreos dignissimi erant, qui non attigere? Sed nos & sortes nostræ in manu sunt omnipotentis, qui ævum cuique prorogat finitque, prout ipsi visum. Historia nostra Danica, aut ejus saltem tomus alter, nondum ad umbilicum est perductus, licet flagitet eum identidem typographus; Sed cunctamur, & cunctantes etiam reddunt obnunciationes aliorum, qui in Danica quoque nostra, nostramque hanc messem, licet haud Dani, falcem injiciunt. Et vidi jam pridem, quæ primos Christianos (quo nomine Regum quatuor censentur) nobis exhibent, sed ejusmodi, in quibus perplura, ne sexcenta dicam, occurrunt, quæ reprehensionem mereantur, idque ex sola rerum Danicarum ignoratione. Quod tamen obiter & inter nos, ne fortasse in noxam cuiquam cedat. Reticere interim haud potui, ut vel esset responsi vice ad ea, quæ non horno sed anno ad me scripsi-

scripsisti. Tu mi ornatissime atque amantissime Stephani quam feliciter vive ac vale. Dab. Harderv. Cal. Julii, cIɔ. Iɔc. xxxviii.

Hæc scripseram cum ecce commodum ad me Amstelodamo mittit Ludov. Elzevirius tuas, mihi sane post longum silentium ut expectatissimas ita opido gratissimas. Ex iis valere te, ac bene rem gerere, & quod sæpius huc usque desideravi, quomodo ad te meas tutò certoque curare possem inprimis percepi, nimirum per eum ipsum Elsevirium. Quod ego nunc hac occasione facio, ac mitto, quas promisi jam ante Discussiones meas, & iis adjunctum Zevecotii Florum, tibi reddendum, ut donum Authoris. Quod vero finis habet earundem litterularum tuarum de Arngrimo Islando, inexpectatum accidit, Eum scilicet Apologiam & eam in me cudere, qua iterum denuoque Thulen non esse Islandiam demonstrare parat. At id cur obsecro optimus ille doctissimusque Arngrimus agere tantopere urgereque identidem constituit? Quid decedat ipsi Islandiæ hoc si adstruatur? imo quid non accedat ex ipsa antiquitate, qua gloriari fere cuncti solemus, si hoc admittatur, & maxime cum tam diserte, quod toties totiesque hanc in rem adduxi, ex Norvagia navigari solitum in Thulen Plinius memoret? Et vero quam in Thulen? aut quæ ibi adeo capitalis tamque memorabilis insula esse potuit, in quam navigatum vetustissimo eo ævo, nisi hæc ipsa Islandia? in quam & hodie Rex noster, utpote Norvagiæ quoque Rex, classem suam quotannis mittit? Sed utcunque

In Daniæ chorographica descriptione & alibi adversus Seldenum.

que hæc habeant, abundare hic suo sensu, & aliorsum ire eruditissimum Arngrimum libens sinam, modo clementer me excipiat, & cogitet non nisi honorifice ubique ejus a me factam mentionem, id est, ut decet ingenuos, omnesque eos, qui nulla ira aut studio, sed veritatis solummodo indagandæ gratia, rem agunt. Hoc si fiat, gratias debebimus ei, totaque posteritas, meliora certioraque docenti. Doleo eum doctis Daniæ nostræ viris præclarisque ingeniis suo loco a me non accensum. Quod tamen ejus haudquaquam neglectu, quem, ut dixi, & ipse nosti, passim alias suis locis celebravi, sed memoriæ nostræ vitio factum, qui emendare prolixissime hanc culpam parati sumus (nam & alii eadem incuria aut alias omissi, tam vivi, quam morte functi) modo emoliri editionem alteram Deus vitaque permittant. Recreabis me levabisque nonnihil ærumnabilem istam, qua affligor, corporis ægritudinem, si me tuis dulcissimis alloquiis, id est, hujusmodi literulis sæpius sæpiusque, mi optime atque optatissime Stephani, compellas salutesque. Quem ut diu incolumem florentemque nobis servet Deus Opt. Max. rogo precorque, Datum ut supra.

Historia nostra Gelrica uno volumine universa brevi, volente Deo, prodibit. Hanc ut ederem una cum altero Daniæ tomo, vel præmitterem potius, utpote ante eum cœptam sæpius jam rogavit petiitque a me typographus. Cui ego impensas præsertim facienti quomodo refragari potui?

EPIST.

EPIST. CXXIII.

UBBO EMMIUS

Petro Scriverio.

De Chronologicis Emmii.

S. P. Clarissime & Præstantissime vir, Amice colende. Placet tibi δωρήμασί σου identidem me ornare. Agnosco ex eo animum tuum in me benevolum atque amicum, maximamque tibi isto nomine gratiam habeo, & dabo operam, ut aliquando si possim referam quoque. Interea tua hæc erunt mihi μνημόσυνα, quæ cum delectatione tui memoriam frequenter mihi refricabunt, & præstandæ gratitudinis admonebunt. Cupio vero vehementer cognoscere, quo loco sit cura illa a te & D. Luntio suscepta, de qua jam ante omnia idem D. Luntius retulit, atque a me, ut tertium me vobis curæ & laboris ejus socium addere vellem, contendit. Transiit ille hac hesterna die, uti cognovi, ex patria mea Frisia Orientali ad vos rediturus. Sed neque nunc, nec priori tempore, cum ante aliquot septimanas a vobis in patriam meam proficisceretur, conveniendi ejus, atque ista de re percontandi copia mihi fieri potuit. Quod, ut verum fatear, nonnullum mihi dolorem creavit, præsertim cum ex promisso ejus certo certissimam copiæ istius expectationem animo meo concepissem. Cætera huc pertinentia Amplissimus & Doctissimus dominus Ca-

ſtricomius communis amicus coram exponet. Me a ſtudio ſolito proximis temporibus variæ curæ alio abſtractum diſtinuere, quibus ne nunc quidem prorſus liberare me poſſum. Inprimis Chronologica, quæ prælo conatus fui adornare, ſibi affixum me aliquamdiu tenuerunt, atque in horum nodis quibuſdam adhuc hæreo, ita ut ſatisfacere animo meo non queam. Sed quo eo, præſertim in hac temporis anguſtia, qua mire laboro. Vale & ſi pecco ignoſce. Raptim Groningæ poſtridie Kal. Septemb. Julianis, anno æræ Chriſtianæ 1613. P. T. Obſervantiſſimus Ubbo Emmius.

EPIST. CXXIV.

Tres fœminæ eruditæ.

ELISABETHA JOANNA WESTONIA

Joſepho Scaligero.

Illuſtris & Generoſe Domine, Quantus fuerit pater tuus, quantum te admirentur omnes eruditi, ex Juſti Lipſii viri incomparabilis teſtimonio & epiſtolis, veſtraque virtute, toti innotuit orbi. Quapropter me Scaligeri nominis amantem & ſtudioſam ſemper fuiſſe & futuram ſcias. Tanta enim vis eſt virtutis, ut abſentes etiam & de facie nobis ignotos diligamus & veneremur. Quid autem nunc dicam aut faciam, me favore tuo quod dignam judices, idque doctiſſimis ad me literis confirmes? Ferrea ſim & omnis humanitatis expers,

pers, nisi manui tuæ centum feram oscula, tibi gratias immensas agam, & cum antea videar dilexisse, nunc qua me decet reverentia te amem & colam. Unicum a te magnopere contendens, ut parcior in me laudanda posthac sis. Georgius enim Martinus a Baldhofen, nescio quo raptus œstro, pluris me meaque habet, ac ego agnosco. Judicium quidem tuum grata mente veneror, sed nosti mores & sæculum. Enitar tamen, quantum in me erit, ut quæ mihi a te tuique similibus tributa sunt, pietate, virtute, & industria consequar, augeam, & conservem. Interim ut Westoniæ favere pergas animitus rogo. Illa te, licet terrarum spatio disjunctum, colet ut præsentem. Dabantur ex ædibus Pisnitianis. XVI. Cal. Jan. Ann. cIↃ. IↃC. III.

CATHARINA LANDA,

quam tenerrima ætate ab eruditione commendat Petrus Bembus Cardinalis *Epistol. Familiarium lib. Sexto.* Ejus ad eundem Bembum hæc epistola ibidem legitur.

Forsan ex illustrissima illa Landorum Comitum familia sit.

Augustinus frater meus ad te proficiscitur, ut bonarum artium studiis incumbat. Ego autem nullam aliam ob causam illum sequi non possum, ut & ipsa operam literis dem, veluti meus fert animus, nisi quia fæmina sum: scio enim fratrem, apud te virum literis moribusque ornatissimum, ita profecturum, ut parentum desi-

derio satisfaciat, quamobrem nihil doleo, illi vero non invideo: sed tamen non despero fore, ut mater post hyemem ad te se conferat. Tunc ego illam sequens a te doctior discedam. Interim fratrem tibi commendo. Vale.

MARGARETA BOXIAS

Uxor Amplissimi ac celeberrimi viri Marquardi Freheri Electori Palatino a Consiliis. Ejus Carmen ad Scaligerum τὸν πάνυ hujusmodi.

Jambi Puri.

Genus Deorum, amate Scaliger Deis,
Novelle Varro, Socrates, Cato, Crates,
Monarcha summe litterariæ rei.
Quis hamus, esca quæ, quid illici
Tenacis, aut veneni inest libris tuis?
Librorum avarus ille gurges, helluo,
Freherus, Euclio ille temporis catus,
Et ære & auro eos hians emit,
Parat, legit, revolvit impigerrime:
In his moratur omnis, haud tamen satur
Diesque degit intus atque vesperas.
Vel ista quæ superba fama nominis?
Virorum amator ille, cultor optimus
Celebrium, æstimator integerrimus
Freherus, unum in omnibus caput tuum
Petit, requirit, optat intuerier:
Iter paratus omne devorare eo,
Per urbium atque fluminum ambitus vagos.

Jo-

Josephe magne Juste, magne Scaliger,
Vicissim amare si, favere si viro
Putabis esse fas, volente me quidem
Freherum amabis. Hisce, summe vir, vale.

Margarita Bockin de
Guttmansdorff.

EPIST. CXXV.

Missive des Dekens van sinte Marien,
HERMANNI DE GOUDA,
aen de Prelaten ende Capittelen
van de vyf Godshuysen
't Utrecht.

De unicornibus, quæ Ultrajecti.

Mochte ick myn saecke mondelinge voor uwer E. vertellen, ghy soudt siende myne innocentie niet so veel swaricheyt maken, doch ick sal 't cort in 't scrifte stellen. In den eersten ick en hebbe het contract niet gemaeckt mitten Vorst van Gelre, ick en hebbe oock de penningen noch den eenhoorn gelevert, maer de penningen heeft ons Senior Kroll met Mr. Andreas de Vinea gelevert, ende die twee hebben mit Mr Henrick van Montfoert ende Heer Willaem de Palude het contract gemaeckt latende met een den Eenhoorn in des Fursten handen. Ende al dat ick geconsenteert hebbe heeft het gemeen Capittle geconsenteert eert geschiede, ofte geap-
pro-

scop t' Utrecht 't selve niet en hadden dorven weygeren.

Habet Lector hæc ex adversariis viri nobilissimi Adriani de Winsen Domini de Hoencoop, olim dum viveret studiosissimi harum rerum, liberaliter communicatis mihi a viro nobilissimo A. de Buren Domino de Zuydtoort. Ut autem res sit paulo clarior, ea ita se habet. Inter Ultrajectinos & episcopum Henricum Bavarum ob spreta ipsorum privilegia exorto olim bello, Anno scilicet CIↃ. IↃ. XXVII. cum episcopus nec pecuniis nec exercitu instructus ad Carolum V. confugisset, vicissim Ultrajectini ad Carolum Egmundanum Ducem Gelriæ contulerunt se, ac contracto cum eo foedere pecunias mutuas etiam pacti, ad earum securitatem obligarunt ei prædia, quæ habebant in Gelria. Sed æris summa cum esset ingens, & accessione usurarum quotannis cresceret in immensum, ad dissolvendum & minuendum id, quocunque id fieri posset modo, variæ initæ rationes. Ad Ducem missi eo nomine, qui cum eo transigerent. Sed ut videtur ex iis fuit, qui transgressus mandatum, oblato etiam unicornu. Ægre id admodum clerus tulit, Ordines detestati rem. Nec æquis auribus accepit, quæ tum Belgii Gubernatrix, ut ostendit, quod sequitur:

Die Coninginne Douagiere van Hungarien ende Bohemen &c. Regente ende Gouvernante van den landen van herwaerts over gesien hebbende in den secreten Raede der Keyserl. Maj. de requeste gepresenteert by de Gedeputeerde van den Prelaten ende Capittelen van der Kercken van Utrecht, tenderende ten eynde dat H. Herman de Gouda Doctor in Theologien ende Deken van Sinte Marien Kercke binnen der voorsz Stede aldair op Vredenburch gevangen, ontslagen worde op suffisante cautie ende borchtocht. So heeft haer Conincl. Maj. obtempererende heurlieder voorsz begeerte geconsenteert, ende consenteert by desen, dat die voorsz ontslaginge gescien sal, Behou-

houdelicken dat d'voornoemde Deken hem verbinden sal op pene van alle syne beneficien te verliesen, dat hy syn uyterste devoir doen sal binnen twe naestcomende maenden te recouvreren, ende der voorsz kercke van Sint Marien te restitueren den eenhoorn, ende de 11. duysent Philips gulden by hem in Gelderlant getransporteert, dair of questie is, ende daer en boven dat so verre hy d'selve restitutie binnen den voersz tyt van twee maenden niet en doet volbrengen, dat voor sijne voersz ontslaginge de voorsz Prelaten ende Capitulen achter volgende hare presentatie gelooven sullen opte verbeurtenisse van alle hare temporele goederen den voersz Deken in rechten te presenteren &c. omme te antwoorden op 't ghene des die Procureur Generael hem sal willen eyschen so uyt saecke van de voersz restitutie van de voernoemde partyen, als oock op 't misbruyck ende delicten geimponeert, dat sy luyden 't gewysde voldoen sullen. Aldus geordonneert by hare Conincl. Maj. in der Stadt van Brussele den sesten Septemb. 1535. Onderteeckent, *Marie*, My tegenwoordich *Pensart*.

EPIST. CXXVI.

Viro Clariss. Johanni Isacio Pontano Medicinæ Professori & Historiographo Regio

ARNOLDUS BUCHELIUS S. P.

Impotentia Jesuitica. Hollandia vera & primitiva. Elenchus monumentorum & diplomatum Trajectensium ad res Gelricas spectantium. Pileus libertatis insigne.

Epistola tua, Clarissime Eruditissimeque Domine Professor, procurante genero vestro Dn. Mat-

Matthæo mihi tradita est una cum Apologetica altera typis impressa, & mihi inscripta; pro qua sane licet argumenti parum plausibilis, summas ago gratias, & referre, si quando integrum erit, conabor, saltem ejus beneficii memorem me futurum spondeo. Judicium meum si de hoc scripto requiris, dicam non minus modeste, quam vere, retudisti hominis bilem sine ratione ulla turgentem: nec enim ego, aut mecum ille, cujus iste Croci libellus est, licet Romanæ religioni aut sectæ addictissimus sit, quicquam in tuo Amstelodamo vidimus, quod reprehensionem meretur. Unde illud in te convitium an a Scoto processerit, merito nunc dubito, nec credo humanitatis Professorem absque causa tanto furore in quenquam debacchari voluisse. Hoc tamen certum est convitiatorem istum ex Loyolitarum secta fuisse, quod hominum genus maledicum in omnes bonos ac doctos, etiam juventutem suam præmiis propositis, quod re ipsa didici, convitiandi artem docere solet. Quod vel ipse Bonarscius in suo Amphitheatro satis superque ostendit. Quin & pauca hujus rei indicia ex MSS. apud me literis istorum proferre volui, quo minus, mi Pontane, hanc vobis factam injuriam ægre feratis, etiam cum maximis viris communem. Rosweydus de Scaligero sic scribit: *Audet homo Thrasonicus virum ab omni ætate laudatum in puerorum numero ponere. Quanquam quid mirandum magnopere Pererium illi puerum esse, cui errat Ecclesia & tota Christianitas. O os pugilis! Sed erit aliquando, qui pugilicum illud os sugillet probe,*

probe, & pro gloriola nescio quibus viriolis inducat stigmata cestuum. Huic accedat Miræus sic exclamans: *Caninos latratus Hallæ nostræ audierunt, Sed heus amicus quidam noster brevi reponet, quæ invitus leget magnus ille Canis. Sed quid an & tu Cani illi impio* (loquitur de Scaligero & Douza) *nuper e vivis sublato parentabis? Absit non meretur impius piorum labores. Sint porcis & suibus suæ sordes &c.* En quid non audent illi mites scilicet & mansueti Servatoris nostri imitatores. Sed & nos relinquamus hos suæ maledicentiæ, qui bene dicere non didicerunt. Mitto elenchum quorundam monumentorum a me descriptorum ex nostris Archivis. Siquæ ex illis describi tibi velis, indices tantum. Curabo ut ad te veniant. Cum nuper præsens adesses, Doctissime Pontane, obiter & de Hollandia vera ac primitiva loquebamur, & illam veram Hollandiam tum dicebam mihi videri, quæ nunc Zuithollandia dicitur, indeque illud nominis ad reliquas Comitis terras profluxisse, suis nominibus distinctas, nempe Mosalandiam, Renolandiam, Kenemariam, Westflingiam &c. Sic olim Itali, qui partem Ausoniæ occupabant, nomen toti regioni dederunt, quæ nunc Italia. Sic ab Æmathia Macedoniæ provincia omnis regio Æmathia dicta est. Sic & alii populi nomen suum ad vicinos vel armorum jure vel Principum voluntate extenderunt. Dabo ejus rei breviter hoc loco de Hollandia nostra testimonium, an conjecturam geminam, nempe ex diplomate Godeboldi episcopi Trajectensis, in quo hæc verba: *Ego Godeboldus Trajectensis*

ecclesiæ humilis minister ecclesiam mei juris in Hollant, quæ vocatur Tiezelineskercka D. Petro in Trajecto ac fratribus in ecclesia B. Petri Deo sanctoque Petro devotissime servientibus in perpetuum tradidi &c. idque Ann. 1126. Quæ parochia vel ecclesia de Tiezelineskercka sita est in Zuythollandia, vel magna insula Dordrechtensi, quam veram & primitivam Hollandiam puto. Nam demonstratio illa in Hollant nimis generalis & incerta fuisset, si Hollandiæ nomen eo, quo nunc, protendebatur. Et ante illa tempora raro Hollandiæ nomen in authenticis scriptis pro Comitatu invenitur. Addam & alterum argumentum ex libro, ut vocant, Cameræ Trajectensis, in quo jura, bona, ceremoniæ, ecclesiæ Trajectensis continentur, & Trajectinæ diœceseos partes vel provinciæ exprimuntur:

Decanus in Rynlant in festo B. Remigii solvet VIII. *libras.*
Decanus in Scalden &c.
Decanus in Zuytbevelant &c.
Decanus de Kinnemere &c.
Decanus de Westelinglant &c.
Decanus de Betue &c.
Decanus de Hollant &c. Hujus jurisdictio per magnam insulam extendebatur.
Decanus de Goye &c.
Decanus de Civitate &c.
Decanus de Amstelle &c.

Addam Durdrechtum primam & antiquissimam Hollandiæ urbem haberi, sed quo jure, cum Lugodunum, Fladirtinga, Renoburgus annis & memoria superent? Anne eo quod primitivæ Hollan-

landriæ sit caput & princeps ? Plura dicerem, nisi limites epistolares jam supergressus essem. Quare ea in aliud tempus differo. Interim, Clarissime Doctissimeque D. Professor, post salutem dictam Deum Opt. Max. precabor vos salvos & sanos in multos annos servare dignetur. Trajecti ad Rhenum calamo festinante VII. Id. Novembr. 1634.

SEQUITUR.

Elenchus quorundam monumentorum & diplomatum ad rem Gelricam spectantium, quorum apud me copia.

Gerardus Comes Gelriæ, Advocatus ecclesiæ B. Mariæ Trajectens. sub Burchardo episcopo Ann. 1108.

Donatio curtis in Bosinchem ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Trajecto facta per Godeboldum episcopum Ann. 1176. in quo nominatur Hermannus Comes de Noviomago.

Controversia de jure personatus in Naerdinxlant inter Præpositum S. Joannis Trajectensis & ecclesiam de Eltene Ann. 1185.

De Comitatu Veluæ controversia inter Episcopum Trajectens. & Comitem Gelriæ, quam composuit suo diplomate Fridericus I. Imp. Ann. 1196.

Donatio villæ de Bommele in Comitatu Hunnochi Comitis in pago Teysterbant dicto Ecclesiæ Trajectensi facto per Ottonem III. Imp. Ann. 998.

Donatio Ottonis II. de territorio Urch in pago Salo facta monasterio de Elteno Ann. 968.

Privilegium Friderici I. Imp. ad instantiam Comitis Henrici de Gelre, Advocati ecclesiæ S. Mariæ Trajectensis, concessum Ann. 1156.

In diplomate quodam Godefridi episcopi Trajectensis Anni 1172. nominatur Henricus de Cuk Comes Trajectensis. Unde apparet territorium Cukiense nunquam Comitatus titulo insignitum, atque proinde a veritate abesse ea, quæ narrantur in Chronicis nostris Cukiensi titulum Comitis ademptum sententia Imperatoris & Assessorum suorum propter cædem in Hollandia perpetratam, cum is titulus fuerit Præfecti Trajectensis, qui & Castellanus & Burggravius dicebatur. Postquam vero Comitiam (sic est in diplomate) Cukiensis episcopo resignasset, nunquam eo titulo ejus posteros usos fuisse compertum est.

De teloneo in Smithusen collato Trajectensi ecclesiæ est diploma Henrici VI. Imp. Ann. 1193.

De teloneo in Tiela & Werda est diploma Friderici II. Imper. Ann. 1220.

Confirmatio donationis quorundam bonorum ordinis Teutonicorum in Trajecto factæ per Ottonem Comitem de Benthem, & inde Commendatorem ejus ordinis factum, Ann. 1277.

Literæ Ottonis Comitis Gelriæ de jure patronatus ecclesiæ Ruremundensis, quod accepit a Theoderico de Ruremunda dicto Advocato, ubi plures ejus temporis nobiles adfuere Ann. 1268.

De castro Culenburg facto feudo Comitis Gel-

Gelriæ, tradente Huberto de Bosinchem pincerna Ann. 1296.

De controversia inter Capitulum S. Mariæ Trajectensis & opidanos de Herderwich sub Ottone Comite Ann. 1226.

Literæ quibus Gerardus Sassatini F. de Malderick castrum suum confert R. Comiti Gelriæ, & ab eodem in feudum recipit Ann. 1207.

De piscibus ministrandis Comiti & de jure ejusdem in Herderwick Ann. 1303. & 1310.

Hermannus Comes de Loen confert domum suam de Bredevoert Ottoni Comiti Gelriæ, & ab eodem recipit in feudum, Ann. 1246.

De translatione telonei de Aernhem ad villam de Lobedde per Fredericum II. Imp. Ann. 1222. 1226.

Oppignoratio castri de Noviomago pro 16000. marc. Ottoni Gelriæ Comiti facta per Wilhelmum Regem Roman. Ann. 1248.

Traditio castri apud Oyen, quod Bertoldus vir nobilis tenuit ab Imperio, per eundem Regem Gelriæ Comiti facta, eodem fere tempore.

Confirmationes oppignorationis castri Noviomagi cum appendiciis per Richardum Romanorum electum Ann. 1257. Albertum Regem Ann. 1307.

Literæ Rudolfi Regis Romanorum de moneta Arnhemensi Ann. 1282.

Ejusdem de eadem moneta in Ruremunde vel Herderwick cudenda Ann. 1290.

Confirmatio Henrici Imp. venditionis bono-

rum de Gent per Abbatem Laurishamensem Comiti Gelriæ facta Ann. 1228.

Confirmatio privilegiorum Reinoldo Comiti a prioribus Regibus Romanorum concessorum per Henricum Regem Ann. 1309.

De castro de Buren Gelrensi Comiti oblato, & ab eodem in feudum recepto ab Ottone & Alardo ejus filio Ann. 1298.

Castrum Milendonck factum feudum Gelricum Ann. 1306.

Diploma Guidonis episcopi Trajectensis de Velua R. Comiti Gelriæ in beneficium concessa Ann. 1311.

De insula & castro Nyenbeke tradito Comiti R. de Gelre Ann. 1296.

De venditione Comitiæ territorii Kesselensis Ann. 1297.

De filia Comitis Gelriæ nupta Adolfo Comiti de Monte & ejus dote soluta Ann. 1264.

Literæ promotoriales (ut vocant) quinque Collegiis Traject. datæ per Joannem de Nassau Trajectens. quondam electum Ann. 1295.

De obligatis bonis episcopalibus ultra Isalam sitis Reinoldo Comiti Gelriæ per Joannem episcopum Trajectensem Ann. 1336.

Seeckere verclaringe van den twist die geweest is tusschen den Heere van der Lecke ende den Capittele van St. Marien t' Utrecht van den tolle te Smithusen, die nu tot Emmerich gelegen is &c. de Ann. 1333. besegelt by Reynolt Grave van Gelre ende van Zutphen, ende Heer Jan van Cleve Doemdeken van Coelen.

Se-

Segel Reynouts Soon des Graven van Gelre Ann. 1323.

De jure patronatus ecclesiæ de Dusburg, quod tenebat Comes Gelriæ in feudum a Wilbrando episcopo Traject. Ann. 1228.

De domo Teutonicorum in Diederen & hominum Cerocensualium ac Curmedalium Ann. 1336.

Theodoricus de Zulen dapifer Zutphaniensis Ann. 1344.

Collatio juris patronatus ecclesiæ de Ingen ad Commendat. & fratres domus hospitalis beati Joannis Baptistæ & B. Catharinæ in Trajecto per Alardum Dominum de Buren Ann. 1310.

Hantvesten van Urck ende Emelweert by Herman van Cuynre gegeven Ann. 1415.

Verbant-brief van Gelrelant de Ann. 1436. met meer als LXII. segelen van Edelen ende Steden besegelt.

Compositio discordiarum inter Ottonem Comitem Gelriæ & Henricum episcopum Trajectensem Ann. 1271.

Diploma Frederici Imp. de aperiendo Rheni alveo, quo liberius fluat, & Noda Ann. 1165.

De Advocatia Sallandiæ sub Henrico Romanorum Rege Gerardo Comiti Gelrensi adjudicata Ann. 1245. 1226.

Soenbrieff tusschen Bisscop Rudolph van Diepholt ende Heer Aernt van Gelre ende van Gulick Ann. 1429.

Johan van Bloys schryft hem Hertoge van Gelre ende Grave van Zutphen Ann. 1374.

Servi olim apud Romanos cum manumittebantur, pileum, libertatis ſignum capiebant. In nummis M. Bruti pileus inter duos pugiones expreſſus, quo ſe libertatis vindicem ſignificat.

In nummis Galbæ & Trajani Dea Libertas exhibetur cum pileo in dextra manu.

EPIST. CXXVII.

V. Clariſſ. Petro Scriverio

JOH. ISACIUS PONTANUS S.P.

Jeſuitarum virtus. Lipſii verba moribundi.

Epicedia iſta Pontificiorum in obitum Lipſii videre aveam. Nam hoc quod mitto, a neſcio quo Jeſuitaſtro veſtrorum Epicediorum præfationi repoſitum, ſpecimen fortaſſis erit, & ut inquit ille, imago imaginis. Ego quantum judico, eadem hac moneta percuſſum dixerim, qua illud Jeſuitici Honoris Amphitheatrum, pædagogica videlicet, ac plane triviali. Tu tamen alium auguraris. Et ſcire non difficile ſit, cum ille alter-ego, quem laudat, temet commonefecerit de Scaligeri in Tertullianum conjectura. Quicquid ſit, ſcriptum cenſeo dignum pla-

plane isto sodalitio, utpote phanatico quodam furore consarcinatum. Nam in Scaligerum quæ jacit, nonne flagitiosa ac nefanda sunt? Famæ illi hirudines ex se de aliis conjecturam faciunt. Nec est honestius, quod inuritur Baudio, ubi inter alia ad Fracastorii Hyphilidem amandatur. Et probare videtur homini integro non quidem illam Petronianam, sed ut levissime dicam, Gallicanam paralysin. Præcedit enim, *ubi plus satis sudavit in stabulis, post sudat in balneis.* Sed facetum est, quod cum omnia fecerit, seque ut existimat probe vindicarit, de sica sileat. Sicut nec illud tangit, quo innuitur ipsum Lipsium horum hominum in optimos quosque calumnias ac scelera apud amicos detestatum. Ego in prius istud de *sica* uno alteroque epigrammate cœpi ludere. Eademque, ut videas, his addidi. Vos reliqua accuratius & sale acriore defricabitis. Nam revera hæc illa sunt, de quibus Poëta.

Varonum ac rupicum squarrosa incondita rostra.

Itaque multo sale opus erit multoque risu. Nec alio sane genere refelli merentur ejusmodi. Habes meum symbolum. Vestra & aliorum exspecto.

In Jesuiticum Rescriptum oppositum Præfationi Epicediorum in obitum I. Lipsii Leidæ editorum Ann. 1607.

Epigramma.

Non de vi modo, quod bonos lacessis,
Et functos quoque, Loiolita, vexas,

Sed lis non minus hinc fuit, quod idem
Ipsos nolueris latere reges,
Te præter ferulas habere sicam,
Hoc te tangere maxime putabam.

ALIUD

In ejusdem Rescripti tumentia ista verba. p. 19.

Date e grege vestro Oratores Perpiniano, Campiano, Tuccio pares; Historicos Maffæo, Mariana, Tursellino; Tragædos, Staplonio, Poëtas Raymundo, Bencio.

Tu campas regeris, patresque priscos
Promis, historicosque, rhetoresque,
Maffaot, Mariosque, Tucciosque,
Et toto grege de tuo poëtas,
Nigris nomina nigriora terris.
Hæc totus resonas & ore toto,
At tu dicito de tribus capellis.
Et purga mihi, Loiolita, SICAM.

ALIUD

In I. Lipsii moribundi hæc verba, eodem Jesuicico Rescripto citante p. 15. *Faxit Deus, ut sanguis ejus pretiosus in me abunde derivetur, qui in illa passione est effusus.* Ad P. Scriverium, qui in Lachrymis suis super obitu ejusdem Lipsii cœlo ipsum donarat, eodem quoque Iesuitico rescripto adsentiente.

Lip-

Lipsiadem Scriveri ubi tu super astra locaras,
Quam verus vates verus & augur eras!
Nam data verba docent ejus morientis ab ore,
Quæ Christum rivo limpidiore probant.
Non Mariæ, non hic sine Numine nomina Diva,
Sed tantum Christi sanguis & arra sonant.
Cœlum igitur teneat verbis vel testibus istis,
Testante imo ipso nunc quoque Papicola.
Sed quid? Papicola ergo sui & simul immemor ignis
Purgantis recta sidera adire docet?
Ha bene, sic verum sæpe ignorantibus exit,
Et res non ficta simplicitate patent.

EPIST. CXXVIII.

LÆVINUS TORRENTIUS

Hadriano van der Burch Graphiario Curiæ Provincialis Ultraje-ctinæ S.

De studio Poëtico.

Sacra tua epigrammata, vir Clarissime, quamquam jam ante videram probaveramque, tamen non exigui muneris loco duxi, quod eadem D. Gerardus Wyckersloot Antverpiam veniens de tua accepta manu mihi tradidit, tanquam amicitiæ pignus, uti revera futurum est, ac tanto quidem certius securiusque, quod cum Clarissimo viro Dn. Præside Concilii Mechliensensis fratre tuo perantiqua mihi amicitia & familiaritas est, cujus

cujus beneficio tu quoque, si qua in re opus sit, vel ignotus frui possis. Accedit quod eisdem tecum studiis delectari soleo, ac nunc quoque qua ætas atque institutum vitæ sinit delector. Et ausim aliquid polliceri etiam in posterum, si major esset hujus seculi tranquillitas. Quid enim senilius quoque, vel honestius, vel jucundius, quam magno & præpotenti Deo hymnos canere? Nulli certe ætati magis convenit. Sed ea sunt tempora, ut quamvis pene inutilis ad actiones publicas has tamen sectari debeam, & pias modulationes ad scribendum aliquid, quod mihi gratissimum esset, relinquere, aut saltem postponere, dum hæc tempestas durat. Tu ergo me liberior istis lucubrationibus incumbe, & nostri memor vive feliciter & vale. Antverpiæ die 23. Novembr. Ann. 1590. Tui amantissimus Lævinus Torrentius episc. Antverp.

EPIST. CXXIX.

LÆVINUS TORRENTIUS

Viro Clariss. Adriano van der Burchio Graphiario Curiæ Provincialis Ultrajectinæ S.

3. Idus Iul. 1582.

De eodem. De iniquitate temporum. Aurum Tholosanum.

Hi porro quid vivam, quid agam, quid valeam, coram repetere poterunt. In luctu publico ob

ob civilia bella, & de religione dissidia ; nemo nunc bonus optime valet. Animo enim ægre est, unde & corpori sæpe detrimentum. Senectutem taceo, quæ ipsa per se morbus est. Hanc omnem tamen cum tristitiam, tum molestiam, eadem qua tu medicina superare contendo. Quod enim a publicis negotiis superest temporis atque otii, iisdem tecum meditationibus impendo, & quod senem decet maxime, Deo Opt. Max. & beatis illis spiritibus, qui Dei fruuntur aspectu, quos possum, non quos par est, hymnos cano. Utinam felicius ! sed suo, quod ajunt Regi Regina placet. Poëtis omnibus peculiare est, ut sibi placeant, Versus habent pro liberis suis. Non possunt hi parentibus suis displicere. Semper hi inveniunt aliquid, quod non modo excusent, verum etiam laudent. Qua in φιλαυτίᾳ, si nihil boni, summa tamen oblectatio est &c. Sunt & alia quædam brevi, ut spero, proditura, an vero etiam placitura prorsus ignoro. Sponsorem non moror. Fautores non rejicio, inter quos & tu cum paucis applaudes, ni fallor, ob amorem saltem, etsi non sinet veritas &c.

Aurum habet Tholosanum. Aul. Gellius 3. *noct. Attic.* 9. *Cum opidum Tholosanum in terra Gallia Q. Cæpio diripuisset, multumque auri in ejus opidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit.* Sed & hodie experientia testatur certis eos sese immergere malis & periculis, qui a bonis ecclesiasticis manus suas non abstinent. Proverbium autem hoc in eum

eum dicitur, qui magnis & fatalibus afficitur malis. Flandricum Souterius explicat: *Set hy een koe op, 't werd een kalf onder d' hand.*

EPIST. CXXX.
A. A. N.
ADRIANO van COUWENHOVEN S.

De casu Caroli Principis Regis Hispaniarum filii.

Wetet lieve Compeer Adriaen van Couwenhoven, myn bysondere goede vrient, dat wy noch al t'samen wel te passe en gesont syn. Wy hopen, dat ghy, u huysvrouw, ende alle onse vrienden desgelycks oock syt. Ick laet u weten, dat hier anders niet nieus en is, dan doent ghy van hier reysde, Dan van dat groot ongeluck, ende wederom groot geluck van Don *Carlos* onsen Prince van Spangien, dat heden op desen dach 26. dagen geleden is, dat hy woude by avont sijn tot Alcala, daer hy noch is, ick en weet niet waerom hy is gegaen, maer men seyt, dat die Concherges dochter van syn logys hem een ure gestelt hadde om by haer te comen, ende alſo als fortuna gewilt heeft is vry al doncker geweest, ende is sonder licht gegaen niemant by hem hebbende, ende is van een trap gevallen, die niet seer hooge en was, ende heeft een buyl ofte groote plotse in syn hooft gevallen, het welk men heeft willen versussen, ende geen gade geslagen tot op den XII. dach toe, ende doe heeft men die Coninclycke Majesteyt syn vader ont-

ontboden. Die Conincl. Maj. heeft myn Heer Doctor *Vesalius* met hem genomen, die heeft my deser dagen alle bescheyt geschreven, so dat men die Prince syn hooft opgesneden heeft, eer syn vader gecomen was, also dat hy so kranck geworden is, dat a'le die Doctoren, Medicyns, ende Chirurgyns hem het leven ontseyt hebben. Op Saterdach den 9. Mey is de Conincl. Maj. van synen eenigen soon seer droeffelyck gescheyden, hem latende als doot, want syn pols die was al geheel wech, ende alle die Medicyns seyden, dat hy over een ure niet leven en soude, die Heeren groot ende cleyn, ende alle Medicyns ende Chrirurgyns oock hem latende voor doot. Die Conincl. Maj. is gecomen in St. Hieronymus Klooster by Madril om sijnen rouwe aldaer te houden, heeft syn Camers aldaer swart doen behangen, ende is daer gebleven vyf dagen lanck. Ende alle dage syn alle die Dorpen, die onder Madril behoren, tot Madril gecomen processie dragen, ende die onder Toledo behoren tot Toledo, ende die onder Alcala tot Alcala, ende also voort alle den Steden van Spangien rontom, so grooten rouwe bedryvende, ende hem selven flagellerende ofte geesselende, dat men noyt op dese werelt desgelycks gesien en heeft, om haren Prince ende Heere levendich te houden. Nu is 't gebeurt myn Compere, dat den IX. Maji daer tot Alcala een doot lichaem van een Lekebroer van de Minnebroeders wiert opgegraven, na dat de Conincl. Maj. ende alle de werelt van daer gescheyden wa-

waren, ende is gebrocht op des Princen Camer, ende hebben dat doot lichaem aen des Princen lichaem doen roeren, niet tegenstaende dat alle die Doctoren hadden al haer neersticheyt gedaen om den Prince te doen slapen, maer hy raesde al te seer. Oft het waer om Frail Diego, of om die Medicynen, die de Doctoren hem gegeven hadden, hy heeft dien nacht seer wel geslapen, ende van dien tyt af is syn rasernye ende syn aensicht, dat soo geswollen was, dat hy in acht dagen niet gesien en hadde, beginnen te beteren, ende is alsoo seer gebetert, dat het schynt miracul te syn, want daer syn elf Doctoren so Medicyns als Chirurgyns, maer sy seggen alle elf, dat men haer dat lof niet en behoort toe te schryven, maer alleen onse Heere Godt. Frail *Diego* is een ryck man van goede geweest. Heeft al syn goet verkocht, ende om Godts wille gegeven, ende hem selven begeven in 't Minnebroers Klooster tot Alcala, ende is daer een Lekenbroer geweest langen tyt, ende heeft een seer goet leven geleyt, altyt den armen menschen seer lief gehadt, ende is XCII. jaren doot geweest, ende syn lichaem is alsoo heel, oft hy eerst gisteren gestorven waer. Datmen hem ontgraven heeft, is om dat hy by syn leven veel wonderlycke dingen gedaen heeft, ende na syn doot oock, alsoo men seyt. Voorts laet ick u weten, dat die Conincl. Maj. ende alle die Heeren alsoo grooten droeffenisse bedreven hebben, dat ick, noch geen menschen u soude connen geschryven. Myn Heer *Vesalius* heeft my noch van desen dach geschreven,

ven, wil het alſo voortgaen; als 't nu noch doet, ſoo hopen wy onſen Prince te behouden.

Hæc ex adverſariis Gisberti Lappii a Waveren, ut dlxi alias, communicatis a viro Nobiliſſimo de Ridder van Groeneſteyn toparcha tot Ryneſteyn. Et habet Lector quod notet hic. Meminit etiam Hooft. Etiam Strada, ſed parcius, nec adjectis tot circumſtantiis. Strada *lib* VII. *hiſt.* *E ſcalis alte prolapſus læſo non leviter cerebro, mox etiam vita a medicis deplorata prope erat, ut deponeretur, cum allato in morientis cubiculum B. Didaci corpore, vovente Philippo, qui Mantua illuc advolarat, enixe acturum ſe cum Romano Pontifice, ut ejus oraculo Sanctorum cultus Didaco liberatori decerneretur, repente præter omnium opinionem vitæ reſtitutus eſt.* Hooft *lib.* 5. *hiſt.* *Daer wort gemelt, dat hy leggende nevens Don Johan van Ooſtenryck, en Alexander Farneſe Prins van Parma, ter ſtudie tot Alcala* (Complutum vocat Strada) *in 't na-jagen van ſekere Juffrouw, om haerder kuyskeyt kraft te doen, van eenen hoogen trap zouw gevallen, en ſyn brein daer door gequetſt weſen.*

EPIST. CXXXI.

ARNOLDUS BUCHELIUS ULTRAI. N. N. S. P.

Vechta olim flumen diœceſis ex aſſe. Muda item, Veſopum, & alia adhuc multa.

Myn Heer ontfangen hebbende de memorie aen myn geaddreſſeert omme op te ſoecken

de stucken toucherende de Vechte, U. Ed. is kennelyck, dat myne stucken meest aengaen de outheden ons Vaderlants. Waer inne ick eenichsins besich ben om te soecken het geen doet tot illustratie ende openinghe van onse historien, 't welcke soo ick meene nochtans weynich dienen sal tot de tegenwoordige controversien, daer inne meer 't gebruyck, possessie, ende continuatie van dien vordelyck syn, als alle de oude boeken ende diplomata daer van gegeven. Dat Muden, Wesop, Loenen, ter beyden syden van de Vecht den Bisscoppen ende kercke van Utrecht gegeven syn is soo klaer als den dach. De diplomata soo by Heda als in de Collegie boecken gereserveert syn noch overich, waer by Otto de II. Keyser Ann. 949. geeft de kerke van Utrecht, daer Baldricus overste af is, de geheele visscherye behorende aen het Conincİyck recht in Amuson, ende in Almere, noch het lant, dat den Grave Hatto in Loenen heeft beseten, ende wat syne Conincl. Maj. was hebbende aen beyde de syden van de Vecht met alle landen, bosschen, wateren, visscheryen, staende wateren, meeren uyt de selve Vecht geleyt synde. Ann. 975. Otto de II. Keyser geest deselve kercke in 't Graefschap van Radbod de plaetse genaemt Amuden voor so veel de selve de voorsz Kercke noch niet toe en behoorde met alle sijnen aenhang. Dit wort geconfirmeert by Keyser Henrick de IV. Ann. 1055. en Frederic de eerste Ann. 1106. Dan worden memorien gevonden dat Bisscop Otto in den jare 1225. aen Gysbrecht van Amstel gaf alle

alle dat recht van Muden, van Wesop, ende van Diemen metten tollen, visscheryen, ende allen toebehoren euwelyck duerende, daer hy weder voor hebben soude xxx. lib. s' jaers. Dit recht van de Amstels is nae by Grave Floris van Hollant by contract ende verbeurte geoccupeert, ende by des selven Graven nacomers geaenveert, hebbende eerst Bisscop Willem van Mechelen groote vyantschap met eenige synder ondersaten verweckt, daer over hy syn recht niet en conde vervolgen, ende daer na ingedrongen synde in 't Bisschopdom des Graven broeder Guido, soo syn by dessels conniventie deselve goederen met die van Amstel, Woerden, ende Cuyck den Stichte afhandich gemaeckt, daer over vele onlusten tusschen de Graven ende de volgende Bisscoppen syn ontstaen. Daer syn noch brieven de Ann. 1296. het selve jaer, wanneer Grave Floris van Hollant door conspiratie eeniger syner ondersaten omgebracht is, waer by de Stad van Muden ofte hare Overheden bekennen de kercke van Utrecht de overheyd over haer toe te behooren, ende beloven voort aen getrouwe ondersaten te syn, ende te blyven aan den Bisscop. Evenwel de tyden syn verandert. Daer syn verscheyden oorlogen, soenen, contracten, t' sedert gemaekt, hermaekt, ende handelingen gevallen, waer van de leste de bondichste syn. De oude privilegien en rechten worden wel geweten, maer weynich geacht. Ameyden, Honswyck, en diergelycke by privé Heeren beseten hebben 't selve vertoont.

Is oock by my verklaringe Bisschop Henricks Palsgrave aen den Rhyn &c. van de Vaert tusschen Utrecht ende Amsterdam.

Noch onder de articulen op de gebreecken van wegen sijne Genade den Bisschop van Utrecht ende den Staten voor den Deputaten van de Keyserl. Maj. als Grave van Hollant &c. op den dachvaert te Schoonhoven gehouden Ann. 1525. geproponeert:

In den eersten eyscht myn Genadige Heere van Utrecht al sulck aengewasch als uytter zee ende den mont van de Eem ontrent Emmenesse binnen de limiten Stichts van Utrecht aengecomen ende aengewasschen sijn, die by de Keyserl. Maj. ende sijn ondersaten geoccupeert waren, die de vruchten ende profyten daer of ontfengen, ende geæstimeert waren tot vele duysenden.

Item dat de Heerlicheyd van Amstel een Stichts leen was ende daer van behoorde te leen gehouden te worden.

EPIST. CXXXII.

JOH. ISACIUS PONTANUS V. CL.

Constantino l'Empereur, Linguæ Arabicæ Professori. Lugd. Bat.

An unquam Pygmæi.

Est ut scribis, vir Clarissime, libetque hic usurpare aut immutare potius nonnihil illud Poetæ.

--- *Pau-*

- - - - *Pauci quos aequus amavit*
Jehova atque illo salvos retraxit ab igne.
Igne inquam illo, qui ipso se nomine pestis prodit, cuncta, quae invadit, tollentis ac devastantis. Quocirca & major nobis omnibusque, qui ea correpti evadunt, esse seges atque occasio debet benedicendi ac gratias agendi summo illi rerum arbitro, cui, ut pie verbis Psalmographi injicis, *Exitus sunt adversus ipsam mortem.* Sed eas de Pygmaeis positiones meas quod aberrasse, nec in manus avunculi tui Doctoris Thysii esse delatas quod addis, id quo casu aut infortunio sit factum, non satis exputo. Interim gratum fuit intelligere facere te mecum, & recte iis defensum te judicare Pygmaeorum gentem nec dari hodie, nec fuisse unquam. Et magis quod ex tuis familiaribus, paraphrastas dico Chaldaeos & Talmudistas idem confeceris, explicato quam rectissime, de quo controvertebatur, Ezechielis loco, ubi *Gammadaeos* vulgo *Pygmaeos*, sed perperam, reddiderunt. Et denique quod allatis Symmachi insuper ac Theodotionis testimoniis gentem hic corpore ac robore valentem, quaeque Gammadaei sit dicta, intelligendam commonstraris. Ut facile vanitas superiorum omniumque eorum redargui hinc queat, qui ex inani ac superflua vocis Gommed & Gammadaeorum notatione eas Chimaeras fingere, ac sacrae paginae introducere veriti non sunt. Sed ipsa, de quibus dictum, Theoremata eccum hic tibi. Tu mi optime quam felicissime vale salveque. Hardervici x. Octobr, 1629.

EPIST. CXXXIII.
IDEM
Viro Clariss.
Stephano Stephanio S. P.

Saxonis Grammatici locus explicatur. Croneburgi incendium.

Recte judicas, mi Stephani, *Rescindendarum legem tulit*, id est, sustulit & abrogavit manumittendi servitia morem Rex Scioldus, non stabilivit, ut perperam interpretatus est Vellejus noster. Sed quod addit deinde Saxo ea lege toti etiam servorum posteritati omnem libertatis deinceps consequendæ spem radicitus succisam atque sublatam id hodie nequaquam obtinere existimo, & ni fallor etiam nobilibus jus & fas accepto pretio suos populares sive colonos, ubi id expetunt, aut solvendo sunt, libertate donare, quanquam & esse quosdam scio, qui *Vdilingen*, & *vry bunder*, item *Kongens bunder* appellantur, quique libertatem mercari necesse non habent. De altero illo apud Saxonem nostrum libri primi loco, ubi hæc leguntur,

Tristia sunt juga vastitasque
Pectoribus truciora fisis,

ita statuo, ut intelligatur verbis iis Hadingus Rex indicare injucundum esse sibi otium, perque montium juga & montium solitudines inerrare, sibi præsertim truciora ac gloriosiora tolerare ac patrare fiso ausoque. Eum enim in modum aci-

cipio, *pectoribus truciora fisis*, ut scilicet *fisis* a verbo *fido, fisus sum*, ἀρχαικῶς atque elliptice eo pacto usurparit. Hocque verum esse firmant, quæ continuo subjungit

Officiunt scopuli rigentes
Difficilesque situs locorum,
Mentibus æquor amare suetis.

Nam quomodo ante dixerat, *Pectoribus truciora fisis*, ita & hic, *Mentibus æquor amare suetis*. Elliptice autem quod dixi prolatum, *fisis truciora*, pro *fisis tolerare, aggredi, atque exequi truciora majoraque*. Rarum quidem, si receptum Latine loquendi usum spectes, at secundum morem & consuetudinem antiqui sermonis tam rarum aut novum haud sit. Nam illud Tibulli,

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,

quis recte exponet, nisi ad illud Plauti Sticho,

Bene vos, bene nos, bene te, bene me,

mentem vertat; itemque ad illud Ovidii,

Et bene te, bene me, patria pater optime, Cæsar,

Subintelligi enim vivere precor, aut simile ejusmodi debet. Sic & Sallustii istud Catilina; *Alia omnia sibi cum collega ratus*, ecquis dextre etiam explicet, nisi subintelligat *communia*, ut sit, alia omnia sibi cum collega communia ratus. Grammaticus ergo noster Saxo, vere & hic Grammaticus, aut potius supra Grammaticum ejusque regulas se extulit. Qui & tum demum felix, ut inquit ille, si excedat Grammaticos cano-

nes. Notum quippe Ausonii epigramma, festivum illud,

Felix Grammaticus non est, sed nec fuit unquam:
Nec quisquam est felix nomine Grammaticus:
At siquis felix præter fatum extitit unquam:
Is demum excessit Grammaticos canones.

In Dania, ut intelligo, haud secus quam in istis ditionibus nostris epidemica passim lues grassatur. Haffniæ & Helsingoræ nobilitas nulla. Cuncti in agros ac prædia sua recessere. Rex cum regio omni Senatu in Holsatia agit rebus ibi postliminio disponendis. Helsingoræ præter luis malum etiam hoc accessit, deflagratio munitissimæ non tantum, sed egregiæ quoque & vere regiæ illius arcis Croneburgi. Hoc pulcherrimum opus incuria eorum, qui tecto ibi æreo aut scandulis reficiendis operam navabant, dum prunas, quæ illis esse ad manus solent, negligentius habent, dierum paucularum spatio in cineres versum est. Remansisse solummodo sacellum ac turris frustum intelligo. Accurrere ad restinguendum incendium opidani ipsique arcis domestici refugiebant, quod scirent subtus in fornicatis, quæ ibi sunt, cryptis tormentarii pulveris vim maximam haberi. Sed ad eos fornices ignis haud penetravit. Qui si eo proruisset, etiam opidi partem procul dubio abstulisset. Ita Croneburgum, quod ostendebatur in Dania, quodque singulari cura maximisque impendiis a rege Frederico II. annorum plurium tempore est ædificatum, tridui incendium absumpsit.

sumpsit. Idque jam armis quiescentibus, ac totum per regnum diffusa securitate, De Vossio communi amico quæ retulisti ceteraque pergrata fuerunt. Tu ita pergito, ac simul vive valeque quam felicissime. Dab. Hardervici X. Cal. Novembr, 1629.

EPIST. CXXXIV.

IDEM

Johanni Lydio Viro doctissimo. Veteraquin.

De Glossis Isidori.

Ornatissime Lydi, Quod literis nuper tuis, quibus additus erat fratris tui piæ memoriæ librorum Catalogus, præter morem meum non responderim, tibique ac votis tuis tum temporis non satisfecerim, in causa fuit afflictissimus familiæ meæ status. Nam morbus, qui hic epidemicus, plures infestat ac tollit, meam quoque domum invaserat, & præter liberorum trigam, in quibus unicus erat filius, qui obierunt singuli, me quoque uxoremque, atque alios familiæ meæ lecto afflixerunt, qui tamen Dei beneficio salvi evasimus. Interea cum essent in eodem Catalogo, quæ ego Consulque Brinckius expeteremus, eorum indicem per Rhodium nostrum ad te mitti fecimus; nec ambigo, quin ille tibi probe sit redditus, expectamusque quæ fuerunt notata. Quod porro Isidori glossarium Augiæ stabulum,

ut merito vocas, perpurgare aggrederis, idque jam agas, pergratum fuit intelligere. Est penes me ultima editio Vulcanii, quam ista occasione & quia meam quoque operam ac symbolam requiris in manus resumpsi, deprehendique, ut sic loquar, innumera ad oram ejus libri a nobis notata, emendata, varieque illustrata, quæ describere, ubi otium erit, ac tecum communicare, quandocunque id efflagitaveris, non pigebit. Fuit penes me quoque, sed obiter inspectus, Emendationum in idem Glossarium libellus Godefridi nostri Sopingii MStus. Sed eum postea ad se recepit, cujus is erat, ὁ μακαρίτης Sibrandus Siccama. Nec dubito eundem, ut & alia Sopingii, præsertim ejus in Hesychium Observationes, etiamnum reperies apud Siccamæ viduam aut heredes Bolswardiæ. Vale & primo quoque tempore &c. Dab. Hardervici XI. Cal. Novemb. 1629.

EPIST. CXXXV.

IDEM

V. CL. Stephano Stephanio S. P.

De tabulis chorographicis Daniæ

Literæ tuæ, Stephani ornatissime, quas Soræ dederas 21. Junii, eæ demum ad manus meas venere sub finem Augusti mensis, ut vel inde causam intelligas tardioris hujus rescriptionis. Et eram quidem hoc ipso tempore Amste-

ſterodami, ubi me compellans hoſpes tuus ab Hingen literas urſit, & ad ſcribendum excitavit occaſione naucleri, qui in procinctu jam erat ſolvendi Haffniam. Gratulor vero tibi in patriam reduci, iterumque gaudeo de oblato munere adeo honorifice in Academia regia Sorana. Quem & parens olim tuus locum Præſidis vice tenuit. Eamque & te quoque exornaturum pro viribus Spartam nullus dubito. Tabulam chorographicam Daniæ, aut ſaltem Zelandiæ, fruſtra me expectare ex verbis tuis ſatis intelligo. Itaque ſpem omnem Hondio præcidam, & plane decollaſſe eam ſubindicabo, ut eo ad emoliendum quod ipſe habet accedat alacrior. Nam cum huc uſque aut nos potius chartæ haud parum retardarunt, quamvis & ſine illis prodire hoc opus noſtrum poſſe exiſtimo, cum tabulæ ubique ſint obviæ, & nos præcipue veteres, Strabonem puta ac Ptolemæum, reſpiciamus, cum quibus conferimus, quæ modo ſint cognita, aut ſaltem comperſiora prioribus. Diu me tenuit, nec parum fatigavit Index Operis, ſeu Indices verius hiſtoriam ſpectantes. Nam chorographica Regni univerſi deſcriptio titulos ſuos & marginales habet Notas, quæ lectionem facile evolvant, & veluti manuducant ad rerum cubilia. Te amo, mi Stephani, quod amicitiam noſtram conſervare ſartam tectam conſtitueris. Et vero efficiam viciſſim ipſe, ne apud nos officium, ut ille inquit, claudicet. Interim felicia omnia tibi precor, teque reſalutat uxor totaque familia quam diligentiſſime. Dabam præpropere Amſterodami 12. Cal. Octobr. 1630.

EPIST. CXXXVI.

IDEM

V. CL. Petro Scriverio S.

Jenco Frisius scriptor ineditus.

Sunt jam plures elapsi dies, quod tuæ mihi reddebantur literæ, Scriveri Ornatissime, auremque vellerent de remittendo Iencone. Sed ignorare te nolim eum huc usque custoditum inclusumque intra septa Bibliothecæ Consulis nostri Brinckii, & ibi haud aliter quam apud Frisios ipse dum viveret veluti carceri mancipatum hæsisse, dum Arnhemo istis diebus rediret Consul idem, qui in Collegio Deputatorum ibidem residet. Reversum vero ad lares suos conveni extemplo, ac simul Jenconem ea, ut sic dicam, custodia liberatum in Bibliothecam meam recepi, ac obiter dum folia volvo revolvoque in rebus Caroli Egmondani Gelriæ Ducis omnino mihi propius etiamnum inspiciendum. Teque idcirco iterum iterumque rogatum habeam, ut eum apud me inque Bibliotheca mea in proximum usque ver permanere sinas, nec ulterius vadimonium postulo. Atque inde, volente Numine, si vivam valeamque, tibi præsens præsenti præsentem sistam, ut cum Comico loquar nostro, facetissimo Sarsinate. Porro iisdem tuis literulis post omnes omnium ad me missos versiculos etiam tuos accepi, Elegidia scilicet bina, quæ tu hieme ipsa, qua scripta sunt, frigidiora facis, nisi quod posterius

rius non omnino malum existimes. At illud esse quodnam dicam, cum utrumque Calend. Octobres præferat? Itaque inter saxum & salum sedens effudi continuo quos hic habes versiculos:

Quæ mihi misisti cultu epigrammata verbis,
Et simul a genio non aliena tuo.
Non tamen ausus eram luci committere, ne fors
Mi placeant, si quæ displicuere tibi.

Venerunt & alia aliorum, quæ in aliud item tempus aut saltem editioni, si Deus volet, tomi insequentis reservare cogar, quod typographus areolas sive spatia distinguere haud aliter potuerit. Vale mi amicissime Scriveri & amantem tui redamare pergas. Et si Amsterodami modo sis, quæso te, scribe

Ista quid memorent urbe vel orbe novi.

Dab. raptim Hardervici XII. Januar. 1631.

EPIST. CXXXVII.

IDEM

Viro Præstantiss. N. Mehenio
S. P.

Carolus Audax an Gelria justo titulo potitus.

Non erat jam otium multis tecum agere, mi Meheni. Nolui tamen deesse, quia tuæ petitioni aliquatenus satisfieret. Petis enim, significem tibi, an regimen, sic verba habent tua, Caroli Burgundiæ Ducis, Gelriæ habeatur legitimum

mum nec ne. Quæ sane quæstio ejusmodi est, quæ absolvi paucis haud potest, Interim ut tribus verbis respondeam, jus omne quo niti Burgundus potest, emptio est ac potentia, sive ut jurisconsulti loquuntur, vis major. Emit autem, sive potius oppignoratum accepit Ducatum ab Arnoldo Duce, qui rebellem filium Adolphum exhæredatum volebat, atque inde armis Burgundus idem occupavit. An vero ea exhæredatio, oppignoratioque, atque inde occupatio etiam locum habere potuerint in liberis & filio Adolphi Carolo, qui successit, ac multis exinde annis ereptum Burgundicis Principatum tenuit, nostri non sine rationum momentis meritoque negabunt. Habes paucis, quod respondere pro tempore vel potius ex tempore nunc licuit occupatissimo. Alias Deo volente aut coram uberius. Interea quam felicitet vale. Dabam Hardervici v. April. 1631.

EPIST. CXXXVIII.

IDEM

Viro Clariss. Marco Zuerio Boxhornio

S. P.

Quædam quæ spectant Theatrum urbium Hollandiæ.

Ornatissime Cognate, Typographi nostri conjux an recte nuper ad te meas detulerit, dubitare facit, quod nihil reponis ad ea omnia, quæ iis

iis inserueram. Meminisse singulorum nunc nequeo. Et erat inter alia unum, quod Heuterum spectabat, cujus potiundi aliunde mihi spes facta. Erat & quiddam, quod manum sive literas Lipsii spectabat, petendas a Scriverio nostro, qui tres Viro Amplissimo Consuli nostro Ernesto Brinckio promiserat. Erat & istud, quod ad frontispicium sive parergon Theatri tui urbium Hollandiæ pertinebat, *Mercurium* scilicet pro *Marte* ponendum, & alia, quæ modo non teneo. Nunc accipe quod mihi occurrit in somno dicam an insomnii, legi nimirum pernotabilem & omni ævo memorabilem epigraphen in templo, quod Amsterodami novum vocant, miniatis literis trabi inscriptam, quæ est ejusmodi:

Doe men schreeff duysent vyf hondert vyff en dertich, Wilt dit anthouwen,
Dit liepen hier langs strnet nackt mannen en Vrouwen.

Dubito an *vyff en dertich* an potius *vier en dertich* in trabe sit exaratum. Nam bis hoc Amsterodami contigit, ut videbis libri mei sive historiæ Amsterod. *p.* 34. *& p.* 32. ubi hæc epigraphe reponenda, quæ tum per incuriam fuit omissa. Nunc tui officii erit eam, me monitore, non negligere. Vale mi Cognate salutatus una cum avo ac fratre familiaque vestra universa quam diligenter. Dab. raptim Hardervici 10. Jun. 1631.

EPIST.

EPIST. CXXXIX.

IDEM.

HENRICO ZUERIO BOXHORNIO Cognato suo S.

Cur Moses vulgo pingatur cornutus.

Vid. supr. epist. 118.

Cognate mellitissime, Eum Poëtæ versum,

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus

tuæ etiam literæ ad me nuperrime missæ verum reddiderunt. Etenim illæ non tantum ingenii tui elegantis cultum prodebant, sed eleganti etiam manu ac charactere pictis mihi eundem hoc ipso commendabiliorem fecerunt. Et primæ fuerunt quas tuæ manus literas accepi. Quod vero locum spectat Macrobii, ubi Hammon cornibus fingitur, bene & apposite adducis significationes non unas Hebræorum super *cornu* vocabulo, sed quæ eum Macrobii locum illustret, repetenda significatio a voce eorundem Hebræorum *caram.* Hæc enim illis & *cornutum esse* & *radiare* seu *coruscare* significat. Sic non tantum Orientales illi Hammonem Apollinem, quem & Solem intelligi ostendit jam dictus Macrobius noster, cornutum, id est, corusca facie ac vertice fuisse, sed Mosem quoque eodem aspectu cornua habuisse fingunt, quod vultus ejus coruscare ac radiare videretur, quemadmodnm a me quoque notatum ad locum Macrobii jam memoratum *p.* 257. Et commodum mihi, dum hæc ago, suggessit amicus meus Theologiæ apud nos Doctor ac Profes-

fessor, vir Clarissimus Henricus Diestius, popularis ac domesticus olim haud otiosus magni illius apud Basileenses Buxtorfii, Exodi locum, cujus vulgatam versionem si inspicias, fuisse cornutum Mosem, quomodo & vulgo pingitur, existimabis, & aliud dices conferendo cum iis, quæ ex ipso fonte traducta sunt verba, Tremellio & Junio interpretibus. Ita enim Vulgata habet cap. 35. *Cum descenderet Moses de monte Sinai, ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron & filii Israël cornutam Mose faciem timuerunt prope accedere.* At eadem deinde ita reddidit Tremellius: *Fuit verò descendente Mosche e monte Sinai, ut ignoraret Mosche splendidam esse factam cutem faciei suæ, cùm ille loqueretur secum. Quamobrem videns Aaron & omnes filii Israëlis Moschen, quod ecce splendida erat facta cutis faciei ejus, timebant accedere ad eum.* Huc etiam pertinet, quod vulgo pictores ac statuarii Sanctorum, quos vocant, verticibus radium sive circulum appingant, hanc nimirum respicientes faciei coruscationem, quod ea ad divinam majestatem videatur quam proxime accedere. Sed hæc hactenus. Excusabis me apud fratrem Marcum, quod ad ejus jam literas, ut & cognati nostri Boschard, nihil nunc reponam exclusus tempore, & aliis alio trahentibus. Dab. Hardervici 20. Jul. 1631.

EPIST. CXL.

IDEM

Viro Clariss.

PETRO SCRIVERIO S. P.

De stirpe Comitum Blosii. Ubi t' Landeken van Blois. Ponti Heuteri error. Vetus aries Campensis a quo olim factus.

Quem exortum apud Brabantos nuper aut Flandros innuis Christophorum Butkenium, qui Principum ac privatorum etiam acta atque origines repetit, easque doctis legendas ac censendas nunc edit, de eo quidem nisi ex te hoc tempore accepisse vel fando quicquam non memini. Interim quod de Johanne Chastillone Comite Blosii, atque inde, ducta Mechtilda Gelra, de Gelriæ Duce adducit, haud præter rem adducit. Et occurrit creberrimus non ille modo, sed & ceteri, quos literis ejus sua addidisse sigilla notas, Reinoldus de Bredenrode, Dominus de Gennepe, Johannes dominus de Lienden, & reliqui in historia nostra, quam paro rerum Gelricarum. Et est iste Comes Blosii, cujus nomen hodieque fert territorium illud, vulgo *het landeken van Blois* dictum, intra Hollandiæ fines positum, habens metropolim, ni fallor, Schoonhovæ opidum, vel Gaudam. Et quomodo id ei cesserit, qua-

quaque occasione, ex eadem historia satis est intelligere. Sed prolixius foret cuncta hoc loco repetere vel adducere. Interim inspicienda tibi Genealogia Principum Blosii & Carnutum apud Pontum Heuterum, quæ subjecta est historiæ ejus Ducum Burgundiæ, Ubi videbis *Mechtildem* Gelricam, quæ Blosio jam seni & effœto sociata fuit, post obitus clarissimorum Principum, quibus nupserat, Godefredi Linei & Cliviæ Comitis Johannis, perperam appellari *Isabellam.* Quum & mox Heuterus sui oblitus in Genealogia Comitum & Ducum Gelriæ eandem nominet *Margaretam*, quæ est hæc ipsa Mechtilda. Siqui hodie supersunt Blosii apud Zelandos, vel etiam Terlongii, ii ex hac stirpe profecti, sed thoro illegitimo nati. Habuit enim Comes iste Johannes Blosius nothos duos Johannem & Guidonem, quorum primus *Terlongios* deinceps procreavit. Ex Mechtilda tamen Gelrica, sive ejus, sive sua culpa liberorum nihil tulit, cum tamen id vel maxime expetivisset Mechtilda Gelriæ Ducissa, quo ita Gelriæ Ducatu excludi potuissent, qui erant Maria Gelra ejus sorore nati, Juliaci duces Guilielmus & Reinaldus. Sedisse ejus tempore Ultrajecti Arnoldum Hornanum Præsulem, præter verba quæ adducis ipsa res indicat. Et ejus Præsulis occasione mactabo te vel beabo potius egregia observatione, cujus me jam nuper participem fecerunt archiva urbis Campensis. Ex quibus didici Arietem illum sive stipitem ejus trifidum, quem ibi aliquando, me præsente, oculis tuis usurpasse te memini, jussu hujus Præsulis fuisse fa-

brefactum, atque adhibitum deturbandæ arci prope Elburgum Puttenstenio dictæ. Ejus enim herus Herbertus Puttenstenius, rebus in Gelria post obitum Reinaldi & Eduardi ducum diffluentibus, cum se jam totum deprædationibus dedisset, nec quicquam pensi haberet, & urbes quoque vicinas Hardervicum, Elburgum, ac Campos floccifaceret, tandem arma in eum expedire Campenses Præsul jam dictus imperavit, quibus & suas adjunxit copias. Campenses præter cætera hoc machinamentum tunc adduxerunt, idque *een Nagel* populariter dictum archiva eadem indicant. Et est reperire apud Kilianum *Nagel-dwanck* i. e. *dwanck-nagel*. Plura ei addita, & hic modo stipitem haberi, sive ex tribus stipitibus esse hunc arietem compositum demonstrasse in Originibus Francicis me alias & alibi scio. Comes Zutphaniæ Henricus, & Henricus similiter Gelriæ Comes, qui ad Ann. eundem 1145. quasi diversi referuntur, mihi quoque scrupulum injecerunt, de quibus proxime propius aut coram Deo volente referam. Interea ignosces quod Frisium tuum Jenconem hucusque detinui. Est extra culpam omnem consul noster Brinckius. Ego hic tardior & tot ut scis districtus vacare huic uni non potui. Nunc tamen ad manus & ad partes sæpe veniet. Res enim adgrediar jam proximas Ducis Caroli Egmundani, cujus ille temporibus claruit, quem & coram affatus est, multaque notanda de eo refert alibi non invenienda. Hanc libri tui usuram bene collocatam apud me credas, nec suo loco,

vo-

volente Deo, dissimulabo. Vale mi optime Scriveri amicorum oculissime. Dab. raptim Harderv. 20. Jul. 1631.

EPIST. CXLI.
IDEM
Stephano Joh. Stephanio Dano
S. P.

Saxo Grammaticus Valerii Maximi imitator.

Misi ad te, ornatissime Stephani, una cum literulis meis ante trimestre exemplaria, ni fallor, bina tomi historiæ meæ Danicæ primi, eaque recte tibi esse reddita nullus ambigam. Nunc ejusdem tomi unum insuper ad te mittendum duxi, idque ut æqui bonique facias rogo. Accepisses id ipsum jam ante, si officium fecisset typographus, qui spisse admodum ac præparce ad me exemplaria transmiserat. Compellavit me istis diebus Iansonius de excudendo Val. Maximo forma minuscula, petiitque ut recognoscerem, saltem ut textus haberi possit quam hucusque emendatior. Quod ego onus in me suscepi, quia scilicet plures ante annos Pighianam editionem cum duobus MSStis Anglicanis contuleram Cantabrigiæ, adscriptis oræ mei libri, quas esse meliores judicabam, lectionibus. Et memini, cum Leidæ esses monitum te per me vel literas meas præcipue Saxonem nostrum Grammaticum dictionem Valerii ejusque adamasse fere argutias, ac passim

 in

in historia etiam sua expressisse, & hoc cum uno alteroque adducto loco tibi cum ostendissem, mihi extemplo tu acervum propemodum talium accurate collectum refudisti. Eam schedam, qua illa tua continebantur, diu quæsitam reperire nequii, nimis, ut existimo, probe abditam asservatamque. Interim si ad me noviter descriptam hac occasione remiseris, faciam ut suo loco & oportune exhibeatur, aut saltem ut probius a me deinceps servetur. Reperi nomen Johannis Rhodii Dani V. CL. ut habet in epistolis suis Symbolicis clarissimus & summus hoc ævo nostro apud Italos antiquarius Laurentius Pignorius Patavinus. Vocaturque quidem hic Rhodius Exconsiliarius nationis Germanicæ Philosophorum & Medicorum. At ille ecquis sit per te quoque doceri ac fieri certior aveam. Nam cum doctos omnes colam, eosque haberi mihi perfamiliares ac notos cupiam, tum vel maxime conterraneos nostros, ac populares esse ac haberi eo in censu exoptem. Tu mi optime ac amicissime Stephani hoc agas valeasque quam feliciter. Dab. raptim Hardervici 1631.

I.

Valerius Maximus lib. IV. cap. III.

Deinceps ex iis vocemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam vacavit.

Saxo noster lib. VI. *pag. mihi* 61. *ubi de Starckateri frugalitate loquitur, iisdem ferè verbis utitur:*

Utpote quæ aliquo in momento ponendi luxuriam nunquam vacavit.

II. Va-

II.

Valerius ibidem, Exemplo I. pag. editionis Pighianæ 174.

Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis ejus debitam gratiam retulit.

Saxo verò lib. XVI. pag. edit. Parisiens. 199.

Quo beneficio obligatus Bogiszlavus Selavorum animos Danis applicando debitam Absolonis meritis gratiam retulit.

III.

Valerius ibidem, exemplo V. pag. 175.

Idemque fortitudinis perfectissimum specimen.

Saxo lib. XV. sub initium:

Fridericus perfectissimum honestatis specimen.

IV.

Valerius ibidem, exemplo III.

Fœmina laudibus virilem familiæ claritatem supergressa.

Saxo in Præfatione, de Waldemaro II. Rege Daniæ:

Antecessorum famam operum magnitudine supergressus.

V.

Valerius ibidem, exemplo IV.

Editis conspicuæ fortitudinis operibus &c.

Eadem Saxo in Præfatione,

Nec ignotum volo Danorum antiquiores conspicuæ fortitudinis operibus editis.

VI.

Valerius ibidem, Exemplo XIII. p. 179.

Nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset.

Saxo lib. I. de Skioldo Rege:

Affirmare solitus, pecuniam ad milites, gloriam ad ducem redundare debere.

VII.

Valerius ibidem, exemplo XIV.

Benevolentiam Populi Romani mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens. &c.

Saxo lib. VI. pag. 61. de Regina animum Starckateri variis illecebris expugnare conante eadem verba ponit:

Benevolentiam ejus, quia virtutem hebetare (qua voce & alibi utitur Valerius) *nequiverat, mercari cupiens:* Et mox infra: *Regina virtutem, quam debilitare nequiverat, stupens.*

VIII.

Valerius Maximus lib. III. cap. I. p. 114.

Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate, duplicemque laudem è prælio retulit, cujus eum vix spectatorem anni esse patiebantur.

Gemella Saxo noster de Skioldo Rege, mox libro I.

Præcurrebat igitur Skioldus virium complementum

tum animi maturitate, conflictusque gessit, quorum vix spectator ob teneritudinem esse poterat.

IX.

Valerius lib. III. cap. II. p. 117.

Nos quia jam initia procursusque virtutis patefecimus.

Saxo autem loco dicto:

In quo annorum virtutisque procursu.

X.

Valerius lib. I. cap. I. exemplo X.

Propior publicæ religioni, quam privatæ charitati.

Saxo libr. XV. pag. m. 188.

Publicæ religioni, quam privatæ amicitiæ propiorem.

XI.

Valerius lib. VII. Cap. IV.

Præsidium ab astutia mutuantis.

Saxo lib. II. *pag.* 16.

Ardoris præsidium à clypeo mutuantis: & alibi passim.

XII.

Valerius ibidem, exemplo x.

Aciem Populi Romani compluribus astutiæ implicatam laqueis, ad tam miserabilem perduxit exitum.

Saxo Libro XVI. *pag.* 195.
de dolo Cæsaris:

Hisdem perfidiæ laqueis filii simplicitatem circumvenire studentis, quibus olim patris credulitatem implicatam habuerit.

XIII.

Valerius lib. III. cap. III.

Si huic miraculo Darius inseruisset oculos.

Saxo lib. VI. *pag.* 61.

Quibus cum Starckaterus oculos inseruisset.

XIV.

Valerius lib. VII. cap. II.

Ut homines ipsam potius virtutem, quam umbram ejus consectarentur.

Saxo lib. VI. *pag.* 61.

Adeo virtute vacuus, ut ne minimam quidem ejus umbram consectaretur.

XV.

Valerius lib. IX. cap. I.

Jamque transmarinorum stipendiorum abundantia oscitantem.

Saxo lib. VI. *loco dicto.*

Quod nimio saturitatis usu oscitans.

Plura cum Deo & die.

STEPH. JOH. STEPHANIUS.

EPIST. CXLII.
IDEM
Viro Clariss.
MARCO ZUERIO BOXHORNIO S.

Suetonius emendatus. De Analectis Pontani.

Ornatissime Cognate, Eram Amsterodami, cum tuæ ad ædes mei affinis deferrentur. Legi extemplo, nec tamen respondi extemplo, nec otium erat. Nunc temporis suffuratus nonnihil gratias tibi habeo pro Suetonio, qui etiam tibi se debitorem fateatur, ita nonnulla, quantum adhuc colligere potui, non infeliciter a te animadversa ac restituta comperior. Editiunculam meam, quæ apud Johannem Janssonium Amsterodami jam pridem prodiit, minori, quam ista est tua forma, tibi visam non puto. In ea id operam dederam, ut textus saltem prodiret emendatior, expunctis nimirum, quæ manifesti essent vitii, ac repositis, quæ viri item docti vel ex libris vel ingenio certis conjecturis observarant. Cujusmodi præter cætera est, quod pagina habetur editionis tuæ 475. lin. 2. *ad ipsam horam dolum interjecit*, nihil enim certius quam legendum *dolonem interjecit*. *Dolo* est pugio. Germani hodieque *een dolch* dicunt. Et usus est iterum eadem vocula alibi Suetonius, quod reperias in editione mea jam indicata. Ubi & Indiculus subjectus est Vocum ac Locutionum Suetonianarum. Porro quam

quam una nunc mittis historiæ Augustæ scriptorum digestio sive titulus haud displicet. Quod autem nostram quoque opem poscis, id quidem fieret, si præsens adessem, aut domi essem. Interea habes quæ in Macrobio, quæque in Analectis, & alibi nobis notata, sed certa tantum, & quæ eminent, excerpenda. Nam & hic conjecturæ subinde occurrunt, ut erat tum ætas & adolescentia nostra, fidei haud satis certæ, & ut ille loquitur sublestæ. Quod reliquum est, orat, & ego ejus nomine, Hondius, ut Theatrum promisso tempore, id est, sub proximum ver dias in luminis oras exeat, operamque des, ut idem agat typographus, nec suo desit officio. Dab. Amstelodami VI. Octobr. 1631.

EPIST. CXLIII.

IDEM

Viro Clariss. Gerhardo Johanni Vossio
S. P.

Emendatur Suetonius in Claud. cap. 28.

Amsterodamo nostro, quod unum ad laudum culmen deesse videbatur, ut non eo tantum Mercurio, qui, ut ille ait, emundis vendundisque mercimoniis præest, sed & eo quoque celebraretur deinceps, qui facundiæ & literarum veteribus Deus dicebatur, nunc impletum video, sive intelligo potius, idque ex iis, qui te Ornatissime Vossi florentissimo in auditorio initiali oratione

tione verba facientem coram audiverunt. Optassem id quoque mihi licuisset, & ab ore tuo præsentem pependisse fas fuisset, sed intervalla & spatia locorum, quæ nos disparararant, ejus nunc copiam inviderunt. Interea cum urbis non tantum sed & tua sit ea dignitas, ut uno vel circo vel theatro concludi nequaquam debeatis, non ambigo, quin etiam eam Orationem tuam proxime typis descriptam habeamus, atque ita qui esse ἀκροάτης tuus eo temporis puncto haud potuerim, lectorem non dedigneris. Cæterum allatæ ad me hesterno die Arnhemo fuere literæ Graphiarii summæ Curiæ, quæ est ibidem Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphaniæ, Johannis Sluskenii. Is secundum amicam salutationem, qua te filiumque tuum prosequitur, hæc insuper verba habet, quæ ipse ex literis ejusdem ad me adscribam. Sunt enim vernacula ista: *Ick verhope dat de jonge Vossius al voort sal gaen met de historie van wylen den Heer Reydano zal: waer aen V. E. believen sal by goede gelegentheyt te vermanen, wyl 't selve werck met groot verlangen van vele verwacht wert &c.* De eo igitur, si per te filiumve certior certiorque reddar, gratum accidet. Ne vero ad te Amicissime Vossi hoc anni initio sine strena veniam, legitur apud Suetonium, & iterum sæpiusque eum locum ruminavi, ubi dicitur Claudii libertus Felix trium Reginarum maritus fuisse. At quænam illæ tres Reginæ? Earum sane, quod ego sciam, authorum nullus, neque interpretum Suetonii ullus meminit, nec potuere, quum una tantum, quæ fuit Drusilla ju-

junior, Agrippæ ſoror, cujus in Actis quoque Apoſtolorum *cap.* 24. mentio injicitur, iſti Felici nupta fuerit, idque ut rerum habent memoriæ, relicto non modo marito, qui in vivis erat, Rege Emeſſenorum, ſed religione quoque relicta Judaica. Quid igitur eſt? Critico hic ferro via ad verum aperienda, legendumque apud Suetonium (*cap.* 28. *in Claud.*) *etiam* pro *trium.* Eruntque hoc pacto clara omnia, quod propius patebit, ſi præſertim facilem literarum ex *etiam* in *trium* nimirum e. t. in t. v. flexum inſpiciamus, ut omittam addere totidem utrobique eſſe literulas. Verba igitur Suetonii hunc in modum conſtituenda, *Libertorum præcipue ſuſpexit Poſidem ſpadonem &c. Nec minus Felicem, quem cohortibus & alis provinciæque Judææ præpoſuit, etiam reginarum maritum*, pro quod vulgo *trium reginarum maritum*, ut jam dictum. At inquies plurium nihilominus reginarum ſit mentio. Sed notandum, quod multo me melius omnes tu doceas, mi Voſſi, eſſe hic enallagen, ſive quod potius puto ſynecdochen numeri, ut reginarum dicatur, cum una ſolum intelligatur regina, ut fuit Druſilla ſcilicet. Ita nec minus eleganter dicitur *Principibus placuiſſe viris* &c. cum unum ſæpenumero intelligendum Principem volumus. Et Martialis Sigerium & Parthenium ſolum intelligens numero tamen plurali eſt uſus illo verſu:

Sigerioſque modo Parthenioſque ſonas.

Sed jam te tuumque judicium, ut & Orationem, de qua injeci, ſive Orationes veſtras inaugurales (nam & D. Barlæum hic includo) expectan-

ctando expectabo. Dab. 3. Januar. Ann. 1632. qui tibi tuisque felix faustusque decurrat.

EPIST. CXLIV.

IDEM.

Viro Clariss. Dionysio Vossio
S. P.

De eadem emendatione.

Ornatissime Dionysi, Cum nihil haberent tuæ literæ, quas ad me superioribus diebus dedisti, quod rescriptionis celeritatem magnopere flagitaret, dilata in hoc tempus responsio. Nunc siquidem oportunior ejus occasio data per eum, quem simul mitto, minuscula forma Valerium hunc meum. Quem velim vice munerum tuorum velut ἀντίδωρον habeas, & orationis præsertim paternæ, quæ mihi non minus grata quam expectata advenit Johanni Sluskenio, Curiæ nostræ supremæ Graphiario, cui unum item Orationis ejusdem exemplar transmisi, ac simul de tuo in reddendo Reidano progressu certiorem feci. Quæ ille singula, quod scio, animo lubenti accipiet. Recuditur nunc Arnhemi eadem hæc Reidani vernacula historia, & puto propediem habebimus. Suetonii loco de Claudii Imperatoris liberto Felice, quem *trium reginarum maritum* fuisse dicit, cum unam tantum Drusillam scilicet, reginam conjugem habuerit, quod injeceram tot eum jam dudum interpretibus ac commentatoribus sicco pede præteritum, nec vitii hucusque *cap. 28. in Claud.*

que suspectum fuisse, cum levi nihilominus mutatione succurri ei possit reponendo *etiam* pro *trium*, ut vox nimirum *reginarum* ἐμφατικῶς & per numeri synecdochen acciperetur, quod & tuam, mi Dionysi, hac occasione operam ac conjecturam commodaveris oppido placuit. Et licet ea primo intuitu, quia præsupponenda nonnulla altiusque repetenda habet, operosior mihi visa, mox tamen, Deo volente, per otium eandem repetam, & siquid occurrat, quod juvare tuum sensum possit, te non celabo. Interim ita habe, constare tibi apud me pro eo labore & laudem & gratias. Etenim mihi uti rara hodie, sic hercules chara eorum ingenia, qui quæ legunt etiam intelligere student, nec omnia, quod ille ait, lima signant alba. Hæc studiorum nostrorum cos & κριτήριον sit, & eo qui destituitur, quid esse hic ei dulce possit, non video. Vellem plura, mi Vossi, sed avocat pensum meum, & aurem vellit avellitque ab hisce amœnioribus. Quæ ut primam secundamque, ita & hanc quoque ætatem meam ingravescentem oblectant, & suo subinde, ut ita dicam, moly deliniunt ac recreant quam suavissime. Tu, mi ornatissime, feliciter vale salutatus una cum parente tuo optimo clarissimoque quam diligentissime. Hardervici Gelrorum 5. Idus Febr. 1632.

Dionysius legit tertium Reginæ maritum, ut nimirum intelligatur Felix tertius Drusillæ maritus fuisse.

Est apud nos vir egregius urbis hujus, præter ceteros, Consul amplissimus Ernestus Brinckius, qui pinacothecam jam plures ante annos instruere cœpit rerum rarissimarum. Inter alia etiam autographa colligit Regum, Principum, aliorumque illu-

illustrium & doctorum virorum. In his cum manum desideret avi vestri Clarissimi viri D. Francisci Junii, schedam aliquam ejus manu notatam aut exaratam a te aut parente tuo ut obtineat, impensius orat, seque data occasione beneficii ejus fore non immemorem pollicetur.

EPIST. CXLV.

IDEM

Viro Clariss. Guilielmo Willichio S. P.

Veteris Germaniæ status.

Pro carmine, mi Willichi, quod a me petebas exornandæ, quam publice habuisti, orationi tuæ, qua ob oculos posuisti nobis hodiernæ statum Germaniæ quam afflictissimum, adferam vicissim tibi imaginem veteris. Nam sive hanc sive illam respiciamus, quæ esse invicta Germania potuerat, discordia corruit. Non jam illa vetustissima, & quæ Julio Cæsare Germaniam & Ariovistum oppugnante usu venerunt, referre institui; sed ab ævo Arminii Cheruscorum Principis auspicium ducam. Is invictus & una cum Rege Bohemorum Maroboduo veluti obex Romanis objectus, quorum hic Danubio, ille Rheno, limitibus imperii prætendebatur, tam diu utrique florentes patriamque egregie tutati sunt, quamdiu agere unum & esse illis unanimis concordibusque licuit. At mox ubi Cherusci sociique eorum,

vetus Arminii miles, domi bellum ſumerent, & ad eos e regno Marobodui Semnones & Langobardi Suevicæ gentes concederent, Inguiomarus vero Cheruſcus cum manu clientum ad Maroboduum perfugeret, fracta cujuſque virtus. Et Maroboduus quidem opem tum Romanorum adverſus Cheruſcos implorans, quod pugnantes in eoſdem Arminiumque nullis ipſe Romanos auxiliis jam ante juviſſet, impetrare haud quicquam potuit. Itaque Arminius hoc avidius arma in eum movens defenſam per ſe ſuoſque libertatem, revocatas Romanorum legiones, ſpolia adhuc & tela Romanis erepta in manibus multorum oſtentabat. Contra fugacem appellat Maroboduum, præliorum expertem, Hercyniæ latebris defenſum, mox per dona & legationes petiviſſe Romanorum fœdus. proditorem patriæ, ſatellitem Cæſaris, haud minus quam Varum Quintilium Germania exturbandum apud ſuos jactabat. Nec viciſſim adoreas ſuas tacens, aut probris in hoſtem abſtinens Maroboduus, in uno Inguiomaro, qui ad eum, ut diximus, transfugerat, decus omne Cheruſcorum ſitum, illius conſiliis, quæ proſpere accidiſſent, geſta teſtabatur, vecordem Arminium, & rerum neſcium alienam gloriam in ſe trahere, quoniam tres vacuas legiones, & ducem fraudis ignarum perfidia decepiſſet, at ſe duodecim legionibus petitum duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam ſervaviſſe. Inde magna utriuſque mole armis concurſum, ambiguoque eventu, fuſis utriuſque dextris cornibus. Et ſperabatur nova pugna, ni Maroboduus ca-
ſtra

ſtra in colles ſubduxiſſet, ac ſe in Marcomannos recepiſſet. Quod ſignum perculſi ac victi habitum. Arminius igitur veluti pulſo jam ac profugato Maroboduo, dum regnum affectat, popularium ſuorum gratiam adverſam habuit. Petitusque eorundem armis cum varia aliquamdiu fortuna certaſſet, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie, ut eum celebrat Tacitus Germaniæ, ſi moderari animo, ac pacem domi colere, non oppugnare libertatem in animum induxiſſet. Hinc paulatim minor a Germania Romanis metus fuit, cum & Adgandeſtrium Chattorum principem ſibi exinde ſocium haberent, & fratrem conſanguineoſque Arminii, Italicis imbutos moribus Roma aleret, oppugnandæ, ubi daretur, Germaniæ. Nam & Italum exinde, cui paternum e Flavio, fratre Arminii, genus erat, Cæſar Claudius auctum pecunia, atque additis ſtipatoribus, Cheruſcis volentibus Regem dedit, Cheruſcis inquam, qui eum unum, amiſſis per interna bella nobilibus, regiæ ſtirpis, ex gente ſcilicet Arminii, forma decorum, & armis equiſque in patrium moremque Romanorum exercitum inſtructumque, Romæ ſupereſſe atque educari non ignorabant. Et hæc Germanorum inter ſe bella diſſidiaque magno ſemper uſui Romanis urbique animadvertens etiam ſuo ævo Tacitus exclamare in libello ſuo, qui eſt de Germania, hæcque uſurpare verba non deſiit. *Maneat quæſo duretque gentibus, & inter has Germaniæ, ſi non amor noſtri, at certe odium ſui, quando urgentibus imperii fatis nihil jam præſtare fortuna ma-*

jus potest quam hostium discordiam. Et ipse quoque ut voto, sed contrario, finiam, id versibus, ne & hos desideres, statum faciemque hodiernæ spectantibus Germaniæ, talibus nimirum, efferam:

Hanc optat hostis hostium discordiam,
Nec crevit aliter Roma quondam orbis caput:
Et nunc nec aliter perdita est Germania,
Reddetur at mox, sit modo concordia;
Principibus hanc des o Deus Concordia.

Dab. Harderv. XIX. Maji. CIↃ. IↃC. XXXII.

EPIST. CXLVI.

IDEM
Viro Clariss.
MARCO ZUERIO BOXHORNIO
S.

Qui olim Petulantes apud Ammianum & in Notitia imperii.

Mi cognate, Misi jam ante, quem promiseram, minuscula forma Valerium meum. Adjeceram epigramma scriptum occasione victoriæ nostræ Gelricæ, sive limitum apud nos, rara temporum felicitate, adusque propemodum Eburones, idque præter expectationem omnium (quis enim ante semestre tale vel sperasset?) prolatorum. Sed cum expeditionis hujus nondum finis sit, pluraque etiamnum, sive majora dicam, agitentur, puto sustineri te in ea literis consignanda,

da, ac præstolari tabulæ catastrophen, quo addere singulis convenientem plausum possis. Nunc quod his additum Epicedium expressit obitus Cancellarii Ducatus hujus, summi viri, deque patria universa optime meriti Martini Goris I. C. Qui postrema eaque laboriosa & molesta stabiliendæ Reipublicæ ac Religionis ergo ad superiores Gelriæ urbes, quæ jam tum felici hac Principis expeditione ceteris tribus Gelriæ Ducatus tetrarchiis commodum accesserunt, legatione functus, domum redux recensque ab itinere placide in Domino obdormivit. Inter cetera Ruremundæ cum esset adjutus aliis aliquot supremæ Curiæ consiliariis e re ipse ceterique judicarunt Archiva omnia Ruremundensia Arnhemum transferre. Quod & successit feliciter, habenturque ea in mundo ac juncta nunc omnia, seges ingens, sive thesaurum appellare libeat, adaugendæ non tantum historiæ nostræ, quæ est in manibus, Gelricæ, sed patriæ quoque vetusto juri ac jurisdictioni asserendæ in tempore servitura. De urbe ipsa Venloënsi ac Ruremundana, quæ suggerenda tibi petis, in præsens non occurrit, nisi quod obvium & aliis fere notatum. Illud interim silentio prætereundum haud existimo, prætexi utriusque hujus opidi adversæ, quæ est ad Mosam, ripæ Brabantiæ populos, qui hodie a palude, quam accolunt, Pelandi sive *Pelanders* vocitantur, at illos esse, qui Notitiæ Imperii & Ammiano Marcellino toties totiesque celebrantur *Petulantes* nullus ambigam. Hodie aut heri qui eorum exsculpere origines debebant interpretes & commentatores

ne gry quidem adferunt, quod rem aut gentem illustret, nisi quod Ortelius ad rem aliquatenus accedens ajat, *Petulantum meminit Ammianus cumque Celtis jungit*, quasi essent unius gentis. Quo nihil certius esseque eos ipsos jam dictos Brabantiæ *Pelandos* extra controversiam habeam. Quam vero vetustissimo illo ævo præclara gens bellique atque operum militarium vetus fuerit, ex eo etiam liqueat, quod Celtis, quod Batavis Menapiisque, fortissimis illis populis, qui per Thraciam atque Orientem longe lateque Romanam militiam sequebantur, juncti, inque classes suas, ut habet Imperii notitia, distributi Juniores Senioresque nominantur, additis clypeis atque insignibus, aliisque indiciis, quibus discerni ab aliis potuerunt. Adderem his ipsa Ammiani loca, propiusque conferrem singula, sed vetat hoc tempore otium, cum & valetudo, quæ aliquot jam diebus tenuior fuit. Ipse nisi grave est Ammianum inspicito, præsertim *lib.* 20. *&* *lib.* 31. *p.* 171. *& seq.* & *p.* 485. editionis Lindenbrogianæ, quamvis Lindenbrogii ejusdem Index ad Ammianum Chorographicus, quem ille efformavit alias accurate, ne per somnium quidem *Petulantium* meminit, cum tamen adeo diserta atque exserta apud eum inque Notitia imperii, de qua dixi, eorum mentio. Quam simul ut consulas *Notitiam* operæ pretium fuerit. Interea mi cognate feliciter vale salveque. Hardervici VIII. Septemb. 1632.

Ortelius in Lexico suo Geographico.

EPIST.

EPIST. CXLVII.

Viro Clariss. Arnoldo Senguerdio

JOH. ISACIUS PONTANUS S.P.

Christus qua mediator an adorandus.

Ornatissime Senguerdi, Cum literis tuis, quæ mihi peracceptæ fuerunt, redditæ simul theses tuæ sunt disputatæ defensæque a te uno eodemque anni hujus semestri perplures. Unde sane diligentia tua studiumque elucet nemini non probandum laudandumque. Adjeceras iisdem Assertionem Theologicam Dn. Amesii *de Adoratione Christi* una cum Auctario ejusdem Assertionis, indicans esse eam, de qua inter Professores vestros minus conveniat. Dn. Amesius quid velit videor mihi ex utraque Assertione aliquatenus intelligere. Dn. vero Maccovii de eadem quisnam sensus sit, sive ab Amesio dissensus, ex neutra, quod sufficiat, percipere potui, nisi in eo ab Amesio abeat fortasse Maccovius, quod Assertio v. videtur innuere, concludens scilicet filium Dei, qui est mediator, non autem qua est mediator, esse adorandum. Mihi hic, ut in arena ista parum versato, si ferre sententiam daretur, neutrum magnopere abnuerim. Et licet diversum dicat, quod adducitur eadem assertione, siquis dixerit, *Regem esse honorandum, qui est peccator, sed non qua est peccator*, id tamen an locum hic habeat, ambigi possit. Nam commode

quis dixerit, nec in Christi majestatem peccaturum credam, qui & adorandum eum asserat, qui est ipsus ille Mediator inter Deum & homines, & simul quatenus Mediator is est. Quod tamen de honore, qui debetur Regi seu homini, qui & quatenus is peccator sit, dici eodem modo, præsertim separate haudquaquam possit. Sunt enim hic diversi termini diversæque personæ. Interea ut quod sentiam eloquar præstare putem, ut omissis aut vitatis, quantum possint, ejusmodi inductionum formulis, cum Scriptura loqui. Stat etenim semperque immotum stabit, nec diffiteri illi ipsi aut orthodoxorum quispiam audeat illud ad Philippenses *cap.* 2. *vers.* 10. *in nomine Jesu flectetur omne genu.* In nomine Jesu, est ipse Jesus, Deus & homo. Quo utroque quid mirabilius, esse Deum, qui simul sit homo, & hominem, qui simul sit Deus. Hoc obiter ego occasione tuorum verborum, mi Senguerdi, nullo in alterutrum, Maccovium dico Amesiumque, affectu aut odio, quorum apud me causæ nullæ sunt, qui nec hunc nec illum ulla vel gratia vel injuria cognitum habeam. Quod porro expetere scribis Dn. Pasorem Notas, quæ in Lexicon ejus scriptæ sunt, ab episcopo Norvagico Bergensi, eas hisce addidi cum literis meis, sed Laconicis, ut otium nunc meum est. Tu ei reddes, vivesque ac valebis feliciter. Dab. raptim Hardervici Gelrorum cIↃ. IↃC. XXXII, ipsis Idib. Novembr.

EPIST.

EPIST. CXLVIII.
IDEM
V. CL. Jacobo Revio S.

De ponte qui Daventriam cum Velavia conjungit.

Læta dedit nobis dedit & Sol tristia nobis,
Dum bis sex annis per sua signa fluit.

Sunt etenim memorabilia & magna illa, Læta dico, nec urbes tantum, ut olim, sed Ducatus & Provinciæ totæ nobis accessere, suisque, a quibus avulsæ fuerant, districtibus jam additæ. Sed & hæc vere & κατ' ἐξοχὴν tristia. In quibus præter Comitum Ducumque insignium mortes eminent Regum duorum interitus, quorum ille Bohemiæ creatus Rex adeo exasperaverat Cæsarem, totamque domum Austriacam, ut initum consilium sit, non modo recuperandi ejus regni, sed invadendæ quoque ceteræ Germaniæ ac bello involvendæ: quod annos perplures maximo cum detrimento suo sensere, quotquot in ea sunt, orthodoxæ religionis Principes, & cujus necdum finem prospicimus. Hic vero ab ultimo Borea rebus propemodum conclamatis auxiliaris accedens prosperrimis adversus Cæsarem præliis eo jam fere cuncta deduxerat, ut LIBERATOR GERMANIÆ jure celebrari meruisset, si eum fata Deusque, qui supra mortales Regesque curat, superstitem esse voluisset. Sed vivit Regum idem Rex, qui, ut solet, quodque deinceps con-

confidimus, non tam viribus humanis, quam suis, & a machina. quod dicitur, pro suis pugnabit. Hæc ut præmitterem præsens rerum facies fecit, mi Revi. Quem id rogatum nunc oratumque velim, ut quicquid archiva vestra habent, historiam ac res eas, quæ annum 1520. & sequentes spectant concernentia, dum civitas nimirum vestra cum Duce nostro Carolo contentionis funem, sive bellum potius, ducit anquiras omnes, mihique prima occasione submittas. In his pons occurrit, qui urbem vestram cum Velavia jungit, alio, ut existimo, quam modo, loco positus. Ei & turris videtur circa exitum cum lorica seu vallo terreo olim apposita. Hanc quatenus in solo erat Velaviæ, nec in fundo Daventriensium collocata, vi invasisse ac exussisse cum parte pontis Dux idem memoratur. Et mox ubi dissidere cum Duce Præsul Trajectensium Henricus Palatinus cœpisset, dirutum vicissim a civibus vestris Altena Gelrorum munimentum. Ex cujus postmodum ruderibus exstructum Libræ sive Curiæ vestræ ædificium. Quod indicare volunt imagines sculptas in parietum ejusdem ædificii imo, ollam cum inspectore, quod scilicet, ut vulgo refertur, ollæ inspector, ob formidolosam propinquitatem, id ædificii sit nuncupatum, quo & *Altena* vox ducit. Quo tamen id proprie loco fuerit, aliaque historiam eam illustrantia ex te vestrisque monumentis cognoscere propius aveam, non omissurus, siquid ad dignitatem vestratium & urbis antiquum decus pertinere comperiar. Dabam Hardervici Gelrorum

IV. De-

IV. Decembr. 1632. Salutabis meo nomine Clariss. Vedelium.

Quas habet hac sparsim, mi Revi, charta liturae
Emendaturus, si licuisset, eram.
Otia sunt aliis, aliisque negotia, nobis
Vix sua scalpendis auribus hora vacat.

EPIST. CXLIX.

IDEM

Viro Clariss. D. Georgio Pasori Professori Franequeræ Frisiorum S. P.

De Notis in Lexicon Pasoris editis.

Scripsit ad me, Ornatissime Pasor, Arnoldus Senguerdius, studiosus nostras, expetere te, uniceque optare, ut liceat videre tibi Notas, quæ in Lexicon tuum N. T. a quopiam, ita habent ejus literæ, scriptæ penes me habentur. Eas ecce tibi mitto, præsertim quia earum apud Collegam meum, amicum tuum, Doctorem Diestium, mentionem jam ante feceram, hoc nimirum agens, ut te hujus certiorem redderet. Quod & fecisse, tibique de eo pro parte constare, jam propius intelligo. Videbis autem non esse e plebe eruditorum aliquem, ut accepisse videtur Senguerdius, sed virum ut doctrina, ita summa dignitate, cuique regni Norvagici universæ diœceseôs, quæ Bergensis dicitur, inspectio incumbit, Episcopum dicere, vel, ut illi nunc vocant, Super-

perintendentem liceat. Sed ad te quia proprie hæc ſpectant, tibi jam dudum mittenda exiſtimavi, in quibus zelum animadvertes ſingularem, an ſecundum ſcientiam, ut ille loquitur, tui judicii facio. Editum vero, ut videtur, hoc ſcriptum ſine die & conſule. Et tamen reſpicere eum atque inſpexiſſe editionem tui Lexici Ann. 1626. ut videbis a me ad oram emendatum, ex citatis colligo. Quod reliquum eſt, expecto, ut dixi, judicium tuum. Velimque ipſe hic ad me, qualiſcunque eſt libellus, per occaſionem redeat, præſertim cum ab ipſo authore ad me amice tranſmiſſum acceperim. Tu, mi optime Paſor, valebis feliciter, ſalutatus a me Collegaque meo Doctore Dieſthio quam diligentiſſime. Dab. Hardervici Gelrorum pridie Idus Novembr. 1632.

EPIST. CL.

IDEM

Viro Clariſſ.

MARCO ZUERIO BOXHORNIO

Nabalia olim flumen an idem quod Iſala. Tacitus emendatur. Alia nonnulla.

Quod a te, mi Cognate, de Salmaſio ceteriſque petieram nuper atque expectaveram aliunde & ab aliis ad me allatum eſt. Nunc illud reticere non poſſum tuo monitu quos mihi paravi

An-

Angeli Werdenhagen de Rebuſpublicis Hanſeaticis Commentariolos, eos iſtis diebus, ubi aliquid nactus otii eſſem, obiter etiam inſpexiſſe me, ac deprehendiſſe, ut paucis abſolvam, virum eum oppido diligentem ac gnavum fuiſſe in eruendis, quæ ad illud argumentum ſpectarent, & addo etiam, ubi ſacra prophanis miſcet, nec pium minus probumque videri. At quod paſſim, ubi Iſalam nominat, *Nabaliam* faciat, errorem Cluverii errare voluit, volupeque hoc ei fuiſſe video, præſertim cum *p.* 922. 928. 931. & alibi perpetuo *Iſalam* ſive *Nabaliam* dicat, quaſi idem eſſet Nabalia quod Iſala, cum Nabalia nihili vox ſit, nec ad Iſalam quicquam faciat. Nam ut indicavimus in Diſceptationibus noſtris adverſus Cluverum, verba Taciti *lib.* 5. *hiſt.* in quibus eſt, *Scinditur Nabalia fluminis pons*, non de Iſala, ubi pons nullus fuiſſe tum legitur, ſed de Navæ flumine ejuſque ponte capienda, legendumque *Navæ fluminis pons.* Hoc flumen haud procul Bingio Rhenum influit, pontemque habuit, uti docent uberius, quas dixi, Diſceptationes meæ Chorographicæ. In quibus & locum eum Taciti propius expendimus, & alio inſuper Taciti loco, in quo iterum Navæ fluenti & pontis ejus eſt mentio, aliiſque argumentis certo firmamus. Sed ignoſci Verdenhagio hic poteſt inſiſtenti, ut dixi Cluveri veſtigiis, Tacitum & ejus ſenſa pro more obnubilantis & ad ſuum trahentis ſenſum, ut commenta, quæ ſibi finxerat, aliis ac minus cautis pro Taciti ſenſibus obtruderet. Quæ autem *p.* 1302. apud eundem Verdenhagium legitur Al-

Alberti Boji, Hollandiæ Comitis epistolæ ad Amsterodamenses, sive diploma est, nova interpretatio, ea, ut ille loquitur, pejor est nummis novis. Hanc tamen multis enodare parat Verdenhagius, multusque in eo est, seque passim involvit, & meras nobis, quod dicitur, chimæras pingit. Est vero diplomatis ejus novus intellectus petendus ex similibus diplomatibus Regum Daniæ Valdemari secundi, tertiique, quorum hoc positum est *p.* 142. 143. tomi primi historiæ nostræ Danicæ, Ubi reperies, quod in Alberti isto diplomate legitur *op hare witten*, ibi esse non *Witten* sed *Vicken* sive *Wycken*. Scribunt enim perpetuo Dani pro W. duplici V. simplex, sicuti Latini *vinum* non *winum*, ut ita districtus hic certe ac loca cuique assignata sint intelligenda, in quibus sua singulis nationibus privilegia seorsim ac prærogativæ erant indultæ. Sed de his, ni fallor, Scriverium nostrum propius exinde commonui. Quem teque valere quam feliciter ac salvere jubeo, iterum iterumque rogans, ut aurem ei vellas, ac refrices memoriam, de Hermanno tuo Goudano. Dab. Hardervici XVI. Cal. Januar. anni præsentis cIↃ. IↃC. XXXIII.

EPIST.

EPIST. CLI.

JOH. ISACII PONTANI
AD
GEORGIUM PASOREM PROFESSOREM
Franequeræ Frisiorum.

De loco Marci cap. 5. verſ. 38. Druſus unde. Jugere quid.

Druſilla a *Druſus* & *Druſius*, ſicuti Livilla a *Livius* & *Livia*. Nec eſt, ut exiſtimatur, vox origine Græca *Druſus aut Druſilla*. Unde nec a Græco δρόσος, id eſt, ros deducenda, nec etiam vox eſt Romana, ſed barbara. Docet hoc diſerte Suetonius in *Tiber. cap.* 3. cujus verba hæc ſunt: *Druſus hoſtium duce Drauſo cominus trucidato ſibi poſteriſque cognomen invenit.* Et conſtat ex eodem ſtatim Suetonii loco, Druſum iſtum proprætorem in provincia Gallia egiſſe, adeo ut haud dubium ſit, quin hic iſte Dux Drauſus, ab eo Druſo trucidatus, aut Gallus, aut Ligur fuerit, aut denique ex boreali aliqua plaga ortus nominis iſtud, ob animi corporiſque ferocem truculentiam, roburque impavidum, apud populares meruerit, utpote hoſtibus omnibus præcipue formidabilis. Et nos hodieque, ut & omnis Germania, nomine *Droes* & *Draus* cacodæmonem dicimus. Videnda prolixius, quæ notavimus *p.* 98. Appendicis in Itinerarium noſtrum Galliæ Narbonenſis & alibi.

Mar-

Marci *cap.* 5. *verſ.* 38. verba illa κλαίοντας καὶ ἀλαλάζοντας reddunt vulgo flentes & ejulantes. Quæ idem notant. At cum ἀλαλάζω & ὀλολύζω, monente etiam Clariſſ. viro Paſore, ita differant, ut illud lætitiæ, hoc triſtitiæ tribuatur, cur non potius ἀλαλάζοντας per verbum explicemus, quod lætitiæ aliquam notam habeat, præſertim cum Matthæus *cap.* 9. *verſ.* 23. hiſtoriam eandem narrans referat αὐλητὰς, id eſt, tibicines interfuiſſe. Qui mos etiam Romanis fuit uſitatus, ut patet vel ex illo Petronii: *Quod ſi idem frigus genua manuſque tentaverit meas, licet ad tibicines mittas.* Nec tibicines tantum ſed & *ſiticines* adfuiſſe docet A. Gellius *cap.* 2. *lib.* 20. qui apud ſitos ſive mortuos canebant, ac vociferationem aliquam inconditam edebant. Hæ cantiones erant tono lugubri. Næniæ ac leſſus dictæ. Unde & grave quiddam inſonuiſſe authores teſtes ſunt. Statius: *cornu grave jungit adunco.* Unde & Matthæi loco jam indicato additur adfuiſſe *turbam tumultuantem*, ut fere exiſtimem ἀλαλάζοντας apud Marcum debere reddi *jugentes.* Quod verbum apud Feſtum Pompejum legitur. Ait enim, *jugere milvi dicuntur cum vocem emittunt.* Nos hodieque adhuc *juichen* dicimus. Sed de hoc mi Paſor eruditiſſime tu judicabis.

EPIST.

Epist. CLII.

Viro Clariss. Johanni Isacio Pontano
Historiographo Regio

GER. JO. VOSSIUS

De denario Pythagorico Meursii.

Vir Clarissime, Jam diu est quod de multis tecum colloqui aveo. Prope semestre est, cum spem faceres Haga Lugdunum repetendi, & invisendi me. Exemplar *Oratoriarum* decreveram offerre præsenti. Sed occupationes credo impedierunt, quo minus secundo me accederes. Quod gratularis mihi de professione apud Amstelodamenses, pergratum est. Intelligo ex amicis te crebro huc excurrere. Tanto mihi jucundius erit hic vivere, quia sæpius una esse licebit, deque communibus literarum studiis confabulari tecum, quem multum quidem amo, sed nec minus æstimo. Sane non alterutro cuiquam libens cessero. Quare simulac pedem in urbe hac posueris, vel primum nos vises, vel si res tuæ illud non sinant, saltem in primis. Ælnothum, quēm petieras mitto. Destinatum tibi *Oratoriarum* exemplar dono tandem, uti & *Denarium Pythagoricum* Meursii nostri, qui eum mihi dicavit. Habet hoc commune amicus noster cum viris Principibus & Rebuspub. quod pecuniam cudat. Sane periculi nihil est, ne ei quisquam ob denarium cusum litem inten-

dat. Quin potius ei gratias agit Resp. literaria. Plura vellem, nisi vererer ei molestus esse, qui hasce perfert, & scribentem exspectat. Salutem Clariss. Collegis Bronchorstio & Zevecotio. cIↄ. Iↄc. xxxI. Id. Maji. Tuus G. J. Vossius.

Epist. CLIII.

SIBRANDUS SICCAMA.

J. Isacio Pontano S. S. P.

De Collectaneis Adagiorum Pontani.

Quam mihi misisti, literis, Pontane, salutem,
His eadem literis redditur ecce salus.
Quam vellem præsens, præsenti, ferre? sed obstat
Quæ tot dispescit millibus, unda maris,
Et modo solemnes redeuntes ordine curæ, &
Municipum lites, officiumque togæ.
Ergo quod præsens præsenti ferre negatur
Fida manus nostræ tessera portat, Ave.

Quid ais, mi Pontane? Etiamne nos inter curiales curas, & turbas forenses poëtari credis? Ride mi Pontane, nam ingenue agnosco, quantum a felicitate otii vestri absumus, tantum nos rotunditate & acumine epigrammatis scribendi superari. Sed tumultuaria est utraque, ut tu scribis, & ego fateor, salutatio. Accuratius est illud, quo novum Consulatum Clariss. Brinckio gratulatus es publice: gratissimum fuit carmen, cujus

cujus exemplar misisti, gratissimus nuncius, & nescio sane, nisi me omnia fallunt, an non municipio vestro major, ex novo magistratu in Brinckium collato, honor accesserit, qui ipse per se, genere, doctrina, virtutibus clarus, lucem aliquam claritudinis suæ radiis ipsi adsperget, certè ornamento erit non vulgari, & ad majora adspirabit: quod ut ipsi & Reipb. vestræ bene cedat ex animo voveo. Sopingianas schedas per filium recepi, tumultuario & plane sine ordine & methodo scriptas, & quæ vix ab aliquo expoliri posse spes est, ut Sopingianum nomen tueri possint apud posteros, nisi à te tuique similibus, qui ad invidiam otio abundatis. Sed omissis istis, dic quæso doctissime Pontane, sine fuco, ecquid sperabimus, & quando de Collectaneis tuis parœmiarum, Adagiorum, & sententiarum proverbii vicem obtinentium, quæ ante biennium apud te vidi? Obsecro te per omnia sacra communica nobis & posteritati tam grande beneficium, & si post Heinsium, Scriverium, aliosque majorum gentium Poëtas, plebejam nostram Musam non dedignaris, vel postremum inter gratulantium, & bene ominantium Epigrammata locum nobis relinque, animi & affectus testandi causa.

De filio meo Renato, quod tam prolixè & benigne judices lubentissimo mihi accidit, quod enim jucundius ἀκρόαμα, & magis volupe patri, quam de filio primogenito, & unice charo tam honestum audire testimonium, a viro harum rerum intelligentissimo, a te inquam, Clarissime Pontane, qui unus omnium de ingeniorum

 captu,

captu, & profectu juventutis bene judicare potes. Et ſane, licet antea deliberaſſem filium meum ad caſtra veſtra remittere, tamen ſtimulum addidit præclarum tuum de ipſo judicium. Redit itaque Renatus meus ad vos, ut ſtipendia Palladiæ militiæ in caſtris iiſdem, & ſub iiſdem ductoribus abſolvat, ea ſpe & fiducia plenus, ut modo privatis exercitiis ſolutus ad priſtinam palæſtram ſit admittendus: ſi dignus ſit, non diſplicebit, ſin minus ſubmitto ipſum τῶν βραβέυτων judicio, in quo libentiſſime acquieſcam. Vale & ſalve, mi Pontane ſuaviſſime & Cl. V. Logium Gymnaſiarcham a me peramanter ſaluta, filiumque & ſtudia ejus Magnificentiæ diligenter commenda. Raptim Nonis Maij 1620. Dign. veſt. Obſervantiſſ. S. Siccama.

EPIST. CLIV.

P. SCRIVERIUS

Joh. Iſacio ſuo S. P.

De Amphitheatro honoris Jeſuitici & aliis nonnullis.

Serius quam vellem admonuit me dominus Brinckius de domuitione ſua in patriam, alias literas copioſiores habuiſſes, nunc hæc pauca tantum. Epigrammata tua in *Mirabiliarium Brabantinum* vidi, etiam optimus virorum noſter Baudius, qui præceptoris ſui obſervantiſſimus non ſine indignatiuncula legit: Ceterum, quod hor-

hortaris nos, ut idem faciamus, bellè tu iſtud quidem, ego vero induci nunquam potero, ut in virum clariſſimum quid ſequius mediter, ne ex aliorum, minutorum etiam hominum, detractione famam aucupaſſe videar. Quæſo has ei hallucinationes condonemus. Sanè aliis ſuis ſcriptis veniam meruiſſe, ut cum Platone dicam, ἐκ οἴομαι, ἀλλ' εὖ οἶδα. Quod de Pythagorâ Empedocles, hoc ego de I. L.

- - - - - - ἀνὴρ περιώσια εἰδώς,
ὃς δὴ μηκίστων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον:

nec negari poteſt, ne quidem ab ipſâ Invidiâ. Quare me nequicquam excitas? Novi mihi ingenium pacis eſſe, & cum Heſiodo μηδὲ κακῶν ἕταρον, μηδ' ἐσθλῶν νεικητῆρα. Quin age operas conferamus, ut auctorem Amphitheatri Jeſuitici, illud conviciorum & calumniarum ſtabulum, prout meritus eſt, mulctemus. Sed de his alias. Annalium Eccleſiaſticorum Tomum, quem D. Thyſius exigit una cum Ivonis Carnotenſis epiſtolis mittam die Jovis proximo, tunc enim nautam veſtrum profecturum mihi dixit dominus Brinckius, quem itineri accinctum non diutius moror, Vale. Lugd. Bat. in feſto St. Jacobi Apoſtoli, Ann. cIↃ. IↃ. C. VIII. Kl. Auguſti.

Lipſii Senecam fere ad umbilicum perductum intelligo. Clariſſ. noſter Wouwerius editionem magnorum auctorum Ciceronis & Tertulliani nobis propediem adornabit. Redemit aliquot notas Jani Gulielmii in Ciceronem, & Tertullianum ipſe Romæ diligentiſſime contulit. Ejus Apulejum proximis nundinis videbimus. Merulæ Coſmogra-

phia seu potius Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ descriptio prodiit. Hæc raptim, Iterum Vale.

EPIST. CLV.

PETRUS SCRIVERIUS

Joh. Isacio suo S. P.

De eodem.

Occupatissimus sum hoc tempore, & vix otium mihi scalpendis, quod ajunt, auribus superest, tamen responsum tibi denegare non potui, & hoc daturum me extemplo promisi duobus istis ornatissimis juvenibus, qui tuas ad me detulerunt. Promisi, inquam, & fides est liberanda. In summa itaque festinatione, quod licet, accipe. Pro fideli obsequio non est quod gratias mihi agas, solvi, quod debui, & debeo, quod solvi. De *Glaphyra* recte mones, prænomen Juliæ ex Inscriptione illa Meudonensi probari potest. Thuani Poëmata nondum videre mihi contigit, etsi diligenter, ne dicam, anxie, quæsiverim, ut videam tamen omnem movebo lapidem. Liber de Imperii notitiâ est apud Elsevirium, sed nimis quam carus. Est quidem in Folio, sed tenuis, nec tam crassus, quam sunt duo Cæsaris Anticatones. Et vix tanti, quanti ille æstimat: Imagines quidem sunt depictæ, sed ita ut puras velles. Præterea necdum est compactus, quem tamen, si vis, tribus florenis haberi potest. Sed si me audies, ultimam editionem

nem Italicam , cum Commentariis Panciroli præferes, ea proſtat apud Raphelengium. Quamprimum mihi animi tui mentem ſignificaveris, mittam una Meurſii de luxu Romanorum, quem ſolum nunc mittere, non eſt operæ pretium: Fortaſſe etiam voles tractatum Lipſii de miraculis Divæ Sichemienſis, qui recens prodiit Antverpiæ, ubi & Collegii Ieſuitici Rector Carolus Scribanius proximis diebus *Amphitheatrum Honoris Jeſuitici* adverſus Calviniſtas edidit. Hic aliquot docti è Soc. Ieſ. mirum in modum extolluntur; Scaliger, Douſa, Caſaubonus, & cæteri magni nominis viri, vappæ & lixæ Apollinares, meri denique trunci, *Vervecum in patriâ, craſſoque ſub aëre nati.* Indignatur ſcilicet ille Nebulo, quod Vir diſertus Arnoldus Curiæ Pariſienſis advocatus, in ultimâ ſuâ adverſus Ieſuitas oratione dixerit, quatuor eſſe Galliæ lumina, præ quibus tota Societas tenebræ & meræ nugæ. Hinc illæ lachrymæ, & novum prorſus, ne dicam inhumanum, dicendi genus. Sed indignetur, licet, Ego Ieſuitas multos doctos eſſe ſcio, neminem tamen in eâ Societate expediviſſe jaculum ultra terminum, neque eum gradum attigiſſe, ad quem *Novatores & Calviniſtæ*, (uti nominant, atque ipſis commentum placet) pervenerunt, Vel unus merito & nomine ſuo Illuſtris Scaliger in medium producatur, hic vir, hic non tantem, ut illi, laudem, ſed & admirationem meruit, quam ſecta Lojolitica (terram licet mari commiſceat) nondum meruit; Dominus Caſaubonus, quod ſcire aves, indies hic, imo in ho-

horas exspectatur. Creditur jam Dïepæ esse. Salveat ubicunque terrarum sit vir magnus, & tu amice talis iterum salve. Scripsi summa cum festinatione. Lugd. Bat. XI. Iunii Ann. 1605.

EPIST. CLVI.

Nobilibus, eruditis, ac præclaris viris
ædis Divæ Mariæ virginis, quæ
Ultrajecti, Canonicis, col-
legis suis amicissimis

LAMBERTUS VAN DER BURCH
Ejusdem ædis Decanus S.

De admiranda ejusdem ædis origine, de ejusdem incremento, & quam propinqua olim ruina.

Admiratus sæpius sum, amicissimi Domini Collegæ, majores nostros templi hujus nostri admirandam & cognitu prorsus dignam originem literis nunquam mandasse, (quid eos moverit equidem ignoro) visum itaque mihi fuit seriorum operum nunc vacuo, in collegii nostri civitatisque hujus gratiam (ut Patronæ scilicet meæ clementissimæ gratiam aliquam cliens devotissimus in suprema hac & serio vergente, cui mors imminet, senecta reponerem) sumere eam operam, & opellam hanc meam vobis inscribere. Accipite itaque munusculum, exiguum licet illud, a candido profectum animo, & æqui bonique consulite. Valete Collegæ mei ami-

amicissimi. Ultrajecti ex Musæo meo, annuntiationi Virgineæ festo die, anno a nato Domino Servatore nostro M. DC. XVII. Decanatus mei XXXIX.

Henricus eo nomine quartus Imperator, qui senior dictus, Henrici tertii Imperatoris (cui Conrardus Imperator pater) ex Agnete Pictaviensi, quæ Guilhelmum Pictavorum & Aquitaniæ Ducem patrem habuit) uxore posteriore filius, annis quinquaginta Imperio præfuit. Princeps animo fuit præclaro & plurimis maximisque victoriis conspicuus, in Italia præsertim, qui sexaginta præliis ipsusmet interfuisse (quod rarum in tanto Principe) & victoriam ut plurimum reportasse scribitur. De Mediolanensibus inter cæteros, cum quibus, quod minus ejus imperio essent obsequentes, bellum gerere coactus fuit. Qua tandem capta urbe, cum miles ejus immani furore in obvia quæque grassaretur divæ Virginis Mariæ ædem inter cætera evertit, flammisque absumpsit. Cujus rei atrocissimæ indignitate commotus vehementer Imperator (quo inscio miles barbarus id patrarat, ut Princeps erat singulari pietate & cultus divini assertor acerrimus) ædem mox aliam in divæ virginis Mariæ honorem illi Mediolanensi haud absimilem exstruere constituit. Sollicito autem anxioque, ubinam potissimum locorum eam ædem ædificaret, Conrardus Episcopus Ultrajectensis XXII. bello, quod cum Theodorico Hollandiæ Co-

Nebulo ergo Papa, qui eum excommunicavit, & per quem factum, ut Leodii post mortem steterit inhumatus adhuc totum quinquennium.

Comite ejus nominis quinto, infausto at exitu, gesserat defunctus, reverso ab Italica expeditione Imperatori, & grave famæ, grave conscientiæ rato, quod augustissimam divæ virginis Mariæ ædem incendio ferox miles corrupisset, author fuit, ut civitatem Ultrajectensem eo exornaret ædificio, basilicamque ibi, quæ digna Dei matre, quæ tanto Imperatore, quæ offenso numini reconciliando esset, in mœnium confinio ad similitudinem ejus, quæ Mediolani ad muros urbis sita, eversa fuerat, exstrui juberet, sibique tradita, quam in ejus templi exstructionem captivam seposuerat, pecunia, eam provinciam demandaret, monumentumque hoc imperii suique nominis relinqueret. Magna Præsulis hujus Conrardi apud Imperatorem (cujus eum nonnulli nutricium, alii nobilem domesticum fuisse ajunt, ejusque authoritate ad Episcopatum evectum) erat authoritas. Facile itaque ei id persuasit. Allatæ tum temporis in ædem hanc Mediolano usque campanæ, quæ cladi illi superfuerant, quæque ex ære, cui argenti nonnihil (quod ejus artis gnari ex peregrino earum sono conjectabant) admixtum, fabricatæ fuerant. Cæterum Conrardus hic, natione Suevus, Episcopus Ultrajectensis (uti diximus) XXII. anno a nato Domino Servatore nostro M. XCIX. decimo octavo Calendas Majas, dum sacris operatus in interiorem aulæ Episcopalis partem Deo supplicaturus se recipit, ab architecto quodam Frisico confoditur. Perpetrati immanis parricidii causam tradunt hanc. Curarat ea in urbe (uti diximus)

ædem

ædem divæ virginis Mariæ exſtruendam antiſtes antedictus. Opere pro magna parte confecto, cum reliqua eſſet columna, cujus quod ſolum eſſet paluſtre, fundamenta jaci haud poterant, triſtis dolenſque vehementer Præſul, fabris undique ex finitimis locis accitis, ecquod maximo propoſito præmio malo illi remedium adferre poſſent, exquirit. Rem deploratam prorſus cenſentibus uno ore omnibus, quidam tandem ex Friſia, ejus gnarus artis, cui Plebero nomen, accurrit: Promittit is, ſi tantæ induſtriæ condigna daretur merces, ſternendo fundamento ſolum idoneum facturum ſe. Gaudet ſupra modum Præſul & quam poſceret mercedem interrogat. Sed cum immane nimis immodicumque quod poſceret eſſet, neque Præſuli maxima quæque promittenti homo natura ferox & arte ſua confiſus auſcultare vellet, filium quem penes ſe habebat unicum Præſul aggreditur, illique multis inducto promiſſis, ut in omnem reſciſcendi remedii illius intentus occaſionem ſibi clam, quæ cognoviſſet, renuntiaret, perſuadet. Accidit forte haud multis interpoſitis diebus, ut hominis uxor (rerum ad ſe haud pertinentium plus æquo, quod fœminis proprium, curioſa) nocte quadam (conſcione puero, quod carmina, quæ templi originem repræſentant, præ ſe ſerunt, an quod dormire eum crederet incertum) ex marito quonam remedio malo illi mederi ſe poſſe exiſtimaret familiariter (inter conjuges ſemotis arbitris fieri uti ſolet) percunctaretur. Silentium ſtipulatus maritus, neque quicquam a puero (quem talium per æta-

ætatem rudem existimabat) sibi metuens uxori rem omnem detegit, aitque boum tergoribus aliquot voragini injectis solum statim densatum iri, tantique fundamenti futurum patiens. Audit & ad Præsulem postridie cum læto nuncio hoc accurrit. Remuneratus liberaliter puerum Pontifex dimittit, neque Frisoni molestus amplius ad intermissum (cœptum quippe anno, uti apparet, seculi illius octuagesimo primo, nonagesimo demum nono propter remoram hanc confectum fuit) redit opus. Surrexit illud protinus, sublatoque quod perficiundæ basilicæ obstiterat impedimento hactenus, intra paucissimos menses suprema illi imponitur manus, columnæque, ut rei, quæ miraculi instar erat, perpetua exstaret memoria, Carmen, quod infra est, cum bovis effigie insculptum fuit:

Accipe posteritas, quod per tua sæcula narres,
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

Quod ipsum carmen etiamnum in ea æde videre est. Cæterum postquam, quos cum uxore secretos, uti opinabatur, miscuerat sermones, a filio suo Præsuli proditos homo ille barbarus intellexit, sua se spe frustratum videns, doloris impatiens, ferro utrumque interemit. Cujus immanis facinoris comprehensus paulo post, regioque jussu capite plexus, pœnas dedit. In ea ipsa æde Præsul puero ad pedes collocato conditus fuit. In quo monumento, quod annis aliquot post in sacratiorem templi illius partem (quam Chorum vulgo appellant, qui posterius exstructus) translatum fuit ad annum usque millesimum quin-

quingentesimum & octuagesimum (quo anno immani per Belgium furore in sacra profanaque quæque sævitum fuit) quievere. Exstructæ admiranda magnificentia (non pecunia solum Cæsaris sed sua privatim ad id usus) sacratæque a se ædi Decanum Canonicosque, qui divæ Virginis laudibus decantandis sese mancipparent, Præsul præfecit, quod ex Carmine duabus anterioribus ædis illius columnis superne insculpto, quo templi ipsius origo accurate stiloque haud ineleganti prorsus, sed quantitatis syllabarum minus curioso, describitur, videre est. Hæc illa ipsa virgo Maria est, quæ ædem hanc suam, ex qua multi viri doctissimi insigni pietate prodierunt, & alias quam plurimas suo numini dicatas divinitus prorsus variis in locis servavit, imminentiqne certissimo periculo eripuit, quando homines nonnulli nefarii illi demoliendæ manus jam admovissent, quin eam tecti partem, quæ plumbea erat, jam denudarent, nullum requiei ne nocte quidem dantes locum, quod futurum metuebant, ut magistratus superiorumque authoritate a nefario illo facinore cessare juberentur, quemadmodum mox mirabiliter (divina haud dubie cooperante gratia) cum bonorum omnium, quibus vetera antiquaque monumenta pergrata sunt, summo gaudio factum fuit. Carmen cujus supra meminimus, hisce in gratiam lectoris subjecimus:

Tempora cum causis templi venerabilis hujus
Quisquis nosse cupis metra te subscripta docebunt.

Hen-

Henrico quarto Romani sceptra tenente
Imperii, cum jam totam victricibus armis
Subderet Italiam, soli precludere sola
Urbs Mediolanum portas est ausa rebelles.
Quam tandem captam spoliis prius auctus o-
pimis
Evertit victor, nec templo flamma Mariæ
Virginis abstinuit candenti marmore structo,
Unde dolens mentemque pio succensus amore
Instaurare novam venerandi nominis ædem
Proposuit quocunque solo solisve sub axe.
Tunc Trajectensis Præsul nutricius olim
Principis & duris semper comes acer in armis
Nomine Conrardus tulit hoc a Cæsare munus,
Ut templum sublime loco fundaret in isto,
Turribus excelsis constructuraque perenni,
Adjutus donis & multo Cæsaris auro,
Quale vides fixis subnixum stare columnis,
Fornice perpetuo fastigia summa tegente.
Hoc fanum Præsul venerabilis ipse dicavit
Primus & instituit præbendas Canonicosque
Canturos laudes tibi virgo Maria perennes.
Post ubi sacrati ter sex ab origine templi
Fluxissent anni fatalis venerat hora
Pontificis sacri miseranda cæde perempti,
Causa necis fuit hæc, nam dum fundamina
muro
Ipsius ecclesiæ latomi perquirere tentant,
Invenere lutum fluidum fixo sine fundo.
Hoc vitium tardabat opus, nemo sapientum
Huic morbo valuit quantalibet arte mederi.
Ars mendicat opem, miratur nescius artis

Ar-

Artificum cœtus non artem posse juvare.
Dum sic ergo rei spes esset nulla superstes,
En rudis Friso solidare spopondit abyssum.
Pro quo dum pretium sibi posceret immoderatum,
En cœptum cessavit opus denuo atque quievit.
Huic dilectus erat adolescens filius, illum
Accersit Præsul, promittit munera, patrem
Filius auxilio genitricis inebriat, artem
Elicit, elicitam Pastori clam patre pandit.
Continuo surgebat opus jam tempore longo
Postpositum, gaudent omnes super arte reperta.
Ille sed irarum stimulis agitatus acerbis
Deceptumque dolo tantus dolor urget, ut ipsum
Jam descendentem gradibus missa celebrata
Pontificem ferro trux Friso necaret acuto.
Ejus in Aprili mortem dant festa Tiburti
Anno milleno nonagesimo quoque nono.

Cœptum ab eo tempore in sacra æde hac (cui adjunctis, qui Canonicorum in sacrorum operatione interdum vices supplerent, sacellanis ornandæ ampliandæque paulatim contulit posteritas) divino vacari cultui. Cui rei quotquot deinde in eam societatem recepti fuere Canonici gnaviter seduloque, quamdiu per hæc tempora licuit, incubuere. Fama est neque vana illa Conrardo episcopo constitutum fuisse alteram occidentem versus nostræ huic contiguam exstruere ædem, quam divæ quoque virgini sacram virgines nobiles Canonicatus conspicuæ titulo regerent habitarentque. Ex inchoatis quæ etiamnum exstant fundamentis opereque interrupto videre id est.

Quod

Quod ipsum an quod mors eà molientem oppresserit, an quod Cæsar Germaniam suam ædificio hoc vellet exornare, omissum fuerit, in incerto est. Hoc in confesso], Coloniæ Agrippinæ in Capitolio ea ipsa tempestate ædem hanc exstructam fuisse, manereque etiamnum nunc, ut ex majoribus meis intellexi, inter utriusque Collegii Canonicos Collegarum nomen.

Tandem autem eversis anno M. D. LXXX. uti ostendimns altaribus, ædibusque sacris passim profanatis (nequicquam unione, quæ inter Belgii Provincias confœderatas mense Januario seculi illius anno LXXIX. & quæ mense deinde Junio proxime insecuto inter ipsosmet Civitatis Ultrajectensis incolas super religionis negotio inita fuit concordia, disertis id verbis vetantibus) Catholica contra datam fidem explosa in universum fuit religio, nostræque huic ædi, quam & majestas conditoris, & antiquæ structuræque admirandæ, stupendaque fabrica augustiorem faciebant, cui manum admoliri non Germanis solum, a veterum placitis abhorrentibus licet, quibus Canonicorum collegia sarta tectaque servare cordi semper, sed Vandalis quoque ipsis Gotthisque religio fuisset, nulla loci Numinisque reverentia, manus infestas gens hæc ausa est inferre. Cæterum quanquam de Mariana evertenda æde sparsi in vulgus rumores invalescerent indies, haud credere tamen Decanus cæ-

Jure scilicet talionis. Postquam scilicet eodem modo, contra datam nimirum fidem, explosa Reformata in Flandria, in Brabantia, & ceteris Belgii provinciis, quæ Hispano parebant.

cæterique Collegii illius Canonici in mortalium ullum tantum scelus cadere posse, ut templo augustissimo, cujus apud finitimas proculque dissitas urbes fama a multis retro annis percrebuerat, sublato ea urbis deformaretur pars. Sed sua spe falsos se videre, postquam haud multo tempore post, omnia alia expectantibus, ex horum hominum colluvie deterrimum quemque in Basilicæ hujus fastigium evasisse tectoque quod plumbeum, & in quo antiquitatis vestigia haud pauca cernere erat, manum admoliri cœpisse adfertur. Tantæ insolens contumeliæ Decanus abrupto protinus, quod vix inchoarat, prandio Canonicorum oportunissimum quemque ad se evocari jubet, ostenditque rem moram non pati. Petunt illi multis verbis a Decano Antverpiam ad Gulielmum Nassavium Aurantiorum Principem ea de re illi conquesturus proficisci e vestigio uti vellet. Flagrantibus Collegarum precibus motus, quem propius etiam dolor stimulabat, Decanus rem periculo plenam dissuadentibus nequicquam amicis propinquisque aggreditur, aversamque protinus ab ea Dordracum versus quæ patet (insidias quippe sibi structas intellexerat) portam quasi inambulaturus pedes egreditur, auriga cum curru primo ab urbe lapide adventum suum expectare jusso. Eo postquam venit conscenso protinus curru, continuato die noctuque itinere, tertia exoriente luce Antverpiensem ingressus est urbem. Regiam Auriaci Principis adeunti protinus accidit, ut solum eum occupationumque vacuum in horto, qui in media arce situs, inambulantem in-

veniret. Visum Auraicus & jam pridem cognitum ad se venire jubet, benigneque exceptum, satisne salva omnia Ultrajecti, & quæ adventus ejus causa rogat. Respondet ille ad omnia convenienter, & postquam illatam sibi Collegioque suo ab hominibus aliquot seditiosis contra datam fidem contumeliam ostendisset petit supplex, ut authoritatem suam interponere, & datis ad Prætorem magistratumque Ultrajectensem literis, neque enim moram rem pati, a demolienda æde suos cessare, & quæ ablata jam essent restitui jubere imperareque pro eo, quo in Collegia Ultrajectensia affectu semper fuerat, haud gravaretur. Audit admirabundus rem, cujus ne in suspicionem quidem unquam venisset Auraicus, & offenso similior bono Decanum animo esse jubet, daturum protinus se quas postulabat literas, ex quibus nihil a pristino illo in Collegia hæc affectu remissum intelligeret; pranderet interim apud se. Literis ea ipsa die sub multam noctem acceptis, lætus supra modum Deoque pro tam felici hujus Legationis successu gratiis actis, postridie ipso diluculo Amanuensi liberaliter munerato domum Decanus repetit pari qua in egressu festinatione usus. Mirabatur vehementer, urbi cum appropinquaret, momento fere temporis (dies quippe totos septem haud abfuerat) tantum damni datum nudatumque tam repente meliore plumbi parte ædis suæ culmen, cui etiamnum præclari illi operarii nullum requiei locum dantes insidebant. In urbem, ut venit, Nicolaum evestigio Zulenum virum nobilem civitatis Prætorem (cui etiam

etiam frater in eo collegio fuerat) & præcipuum quemque ex magistratu adiit, traditisque Prætori literis petere pro ea, quæ inter illos jam olim cœpta, multisque utrimque officiis continuata hactenus fuerat amicitia, ut Magistratum convenire protinus, & lectis communicatisque literis operarios illos cœpto desistere, & tecto decedere juberet, cæteraque quæ literis continerentur faceret. Lubens admodum Prætor vir cordatus, qui salutem Ultrajectensis Reipub. ædium sacrarum Canonicalium conservatione contineri potissimum, illamque, quam diu hæ, incolumem staturam haud erat nescius, Decano ea in re obsecutus est, visique protinus ad magistratus imperium facessere, qui nullum hactenus demoliendi fecerant finem. Eo in statu menses aliquot ædes hæc mansit, donec Decanus Canonicique cum frustra quod ablatum erat plumbum repetere se viderent, neque Auraici ea in re rescripto pareretur, ex continuis imbribus (qui quod integrum remanserat vehementer deformarant collabefactarantque) ruinam minanti, tegendæ restaurandæque ædi, quod suis quanquam facerent sumptibus, & quidem maximis illis, sine magistratus tamen, ita erant tempora, consensu facere haud poterant, manum admoliri cœpere, imbricibus (quando plumbum deesset) ad eam rem usi.

EPIST. CLVII.

JOAN. DE WITTE

Stephani Equitis Fil.

Canonicus ecclesiæ B. Mariæ Ultraject.

L. van der Burch Decano suo.

Ann. cIↃ. IↃc. XII.

De eadem nonnihil re.

Tu si non fuisses Augustæ Marianæ nostræ Basilicæ Matri Virgini sacræ ædis quid esset? Ruinæ, Rudera. Dicebat olim de se Cicero. *O fortunatam natam me Consule Romam.* Nos jure similiter & tuo merito prædicamus: *O fortunatum natum te Præsule templum.* Nisi enim tu in illa nocte temporum prudentiæ tuæ face caliginosas & obscuras quorundam mentes serenasses, sedasses, exequias jamdudum Augusto huic operi cantare licuisset. Et istud: *En campos, ubi Troja fuit.* Parisiis. Idib. Novembr.

EPIST. CLVIII.

Et nobilitate & literis Ornatissimo

D. JANO DOUZÆ

Gratulatorium Carmen.

Cum tua perlegi suavissima carmina Jane
Duza nihil potuit gratius esse mihi

Nam-

Namque tuum perdulce μέλος, dulcissima Μοῦσα,
In scriptis sparsa est gratia magna tuis;
Gratulor ergo tibi, quod secula nostra Poëta
Tam docto ornentur, tamque viro ingenuo.
Gratulor ipse mihi, quod multum lectio multa
Carminis oblectet meque animumque tui
Ne tua καλλιόπη cesset depromere plura,
Queis hominum mentes sæpe levare soles.
Hæc ignota tibi, cum nec tu sis mihi notus,
Scripsi, μνημόσυνον sit tibi quæso mei.

Petronia Laurenbergia scribebat Dn. Jano Duzæ in congratulationem ποιήσεως suæ. Londini.

EPIST. CLIX.

Missive van Stadt en Steden 's Lants van Utrecht aen sijn Vorstelycke Doorluchticheyd den Heere Prince van Orangien.

De vendenda in usum belli Præfectura Weerdensi.

Doorluchtige, Hoochgeboren Furst, Genadighe Heere, Also die Heeren Staten van Utrecht onlanksleden beschreven sijnde, om te vynden op de quote van de extraordinaris consenten over desen lopenden jare 1620. gedragen, ende tot dien eynde doen ondersoecken hebbende die gelegentheyt van hare respective Comptoiren,

ende 't gene dien aengaende vereyſchte, bevonden werden d'ſelve niet in 't alderminſte beſtant te ſijn, omme daer uyt te furneren ſo merckelycken ſomme van penninghen, alſe tot het tegenwoordige veltleger, die ſecourſen voor de Conincl. Maj. van Bohemen, ende die Geunieerde Vorſten, tot betalinge van de Franſche troupen, ende anderſins van node ſijn, ende dat men daeromme genootſaeckt is een merckelycke ſomme gelts daer toe op intereſſe te doen lichten, omme alſo die Generaliteyt ſo veel als immer mogelyck die goede hant te bieden, ende 't gemeene beſte te helpen bevorderen. Waer toe mede concurreert, dat in gevalle wy naer expiratie van den treves in den oorloge ſullen moeten continueren (daer toe geen cleyne apparentie is) van tyt tot tyt noch meerder laſten ſullen opcomen, ende dat midlertyt nu onlancx voor 't overlyden van den Heere Prior van Sinte Catharynen alhier was comen te vaceren de Commandeurye van Weerden, Soe waren die van de Stadt ende Steden eendrachtelyck met malcanderen verſproocken, ende gereſolveert, dat men den intereſſe van de opgelichte penningen ten deele mede behoorden te vynden uyt den incomen van de voorſz Commandeurye, ende datmen de ſelve daer mede by proviſie behoort te affecteren, ende den incomen van de voerſz Commandeurye tot profyt van 't land ende ſoulagement van den ingeſetenen van deſe Provintie door den Rentmeeſter van Sinte Catharynen te doen manieren, Dan alſoo wy verſtaen ende bericht wor-

worden dat eenige van de Ridderschap de selve onse goede intentie ende resolutie met alle manieren soecken te contramineren, Arbeydende tot dien eynde dagelykx eenige stemmen van de Heeren van de twee andere Leden van de Staten tot sigh te trecken om de voorsz vacerende Commandeurye voor eenige van haer vrunden te mogen bekomen, ende al sulck ons daer inne by de andere twee Leden so het mogelyk ware te doen overstemmen, 't welk indien het sijn voortganck hadde (des wy verhopen neen, ende geresolveert sijn dien aengaende geen overstemminge toe te staen) wy sonder twyfel onder onse Gemeente nieuwe swaricheden ende inconvenienten te verwachten souden hebben, daer van wy de beginselen van misnoegen ende aenstaende swaricheden in den voorleden jare gevoecht ende in verscher memorie hebben, Ende also wy dan niet en twyffelen, of uwe Furstel. Gen. sal by gelegentheyt in dese sake mede gesolliciteert werden, om des selfs favorabel voorschryvens aen de Heeren Staten te mogen becomen, so hebben wy goetgevonden ende niet cunnen naerlaten uwe Furstel. Gen. by desen daer van te verwittigen, vertrouwende dat deselve uwe Furstel. Gen. naer hare wysheyd ende discretie onse goede meyninge ende intentie tot dienst van den lande ende soulagement van onse ingesetenen, oock tot voorcominge van quade inconvenienten, die door het inwilligen van nieuwe impositien gecauseert souden mogen worden, streckende, oock so goetvinden, ende

 sich

ſich daer mede conformeren ſal, Verſoeckende derhalven ſeer dienſtelyck, dat uwe Furſtel. Gen. ſyne goede geliefte ſy niet alleen alle ſollicitatien, die de ſelve om voorſchryvens aen de Staten ſouden mogen voorgecomen ſijn, ende nog ſouden mogen voorcomen, af te ſlaen, maer ook by gelegentheyd die Heeren Geëligeerden ende die van de Ridderſchap te induceren, dat ſy luyden inſiende die tegenwoordige beſwaerlycke conjuncture van tyden daer toe mede gelieven te verſtaen, dat de goederen behorende aen de voorſz Commandeurye ten meeſten dienſte ende profyt van 't gemeene beſte vercoft, immers by proviſie voor eenige jaren in pantſchap uytgeſlagen, ofte met eenige ſomme van penningen beſwaert ſouden mogen worden, ende dat voorts uwe Furſtel. Gen. onſen goeden yver in deſen ten beſten gelieve te interpreteren, dat wy uwe Furſtel. Gen. in meerdere affairen tot dienſte van den Lande ten hoochſten geoccupeert ſijnde hier mede beſwaerlyck ſijn vallende &c.

Extract uyt de Reſolutien van de Heeren Geeligeerden repreſenterende den eerſten Staet van den Lande van Utrecht. Veneris XXI. Novemb. 1634.

De Heeren Geeligeerden verclaren te vreden te ſijn, dat men ſal vercopen de Landen ſpecterende aen de Commandurye van Weerden, ende dat deſe Reſolutie voor concluſie ſal ſtrecken, ſo wanneer de Heeren der Stadt Utrecht haer mette Heeren der twee voorſtemmende Leden ſul-

sullen hebben geconformeert. 'T welck gedaen sijnde dat de Heeren ordinaris Gedeputeerden geauthoriseert sijn sullen de voorsz verkoopinghe publycquelick te doen, ten overstaen van de Heeren haer Ed. Mog. Gecommitteerden.

Extract uyt de Resolutien van de Heeren Edelen ende Ridderschappe 's Lants van Utrecht Jovis XII. Junii 1634.

Op 't versoek van den Heere van Nederhorst &c. is goetgevonden ende geconsenteert van de andere Leden, dat men de Landen van de Commandurye van Weerden verkopen sal metten gevolge van dien, ende de penningen tot behouve van de Commandurye te beleggen op een van de Staten Comptoiren. Geextraheert uyt de voorsz Resolutien respective ende accordeert. In kennisse van my Ant. van Hilten.

Epist. CLX.

NICOLAUS DE CASTRO

Episcopus Middelburgensis. Ann. 1583. 14. mensis Martii, Middelburgi.

N. N.

De Zelandis ad tribunal ecclesiasticum Ultrajectum non evocandis, & super ea re controversia inter episcopum Medioburgensem & Præpositum Trajectensem.

Misit nobis Reverendus noster Archidiaconus & Præpositus Trajectensis literas manu pro-

pria scriptas injuriis & maledicentiæ plenas propter definitionem & sententiam illustrissimæ Dominæ Ducissæ Gubernatricis aut potius secreti Concilii R. M. super usu & exercitio jurisdictionis latam & expressam ad servandum inter ipsum & Archidiaconum & me concordiam & eximendum subditos meos ab illa servitute & onere, quod hactenus tulerunt, nimirum quod amplius non debeant adire Trajectum & Officialem Domini Præpositi Trajectensis istic degentem, sed quod ipse Dominus Præpositus nobiscum residere teneatur, aut aliquo in loco Residentiæ nostræ habere substitutum, qui cum nostro Officiali administret partibus justitiam in caussis appellationum, & quorum definitione absolvi possent occurrentes difficultates, prout hactenus consuetum est fieri ante erectionem novarum Sedium per Officiales Reverendissimi & Præpositi tunc Trajecti residentes. Æquius enim visum est, quod Archidiaconus, qui oculus dicitur episcopi, sequatur suum episcopum quam e diverso. Has concordiæ conditiones cum reliquis adjunctis dicit & scribit se nolle acceptare aut sequi tanquam iniquas, & a meo Vicario calumniose suggestas. In quo non solum lædit Commissarios Reg. Maj. viros sane prudentissimos & omni exceptione majores, nempe Dominum Præsidem Viglium, Dominum Cancellarium Nigri, & Hopperum, qui patientissime eos audiverunt, & multis mensibus in audiendis rationibus hinc inde propositis fuerunt impediti, sed etiam ipsam Illustriss. Gubernatricem, & Reg.

Maj.

Maj. cujus authoritate omnia ſunt confirmata. Dubius ſum autem , quid me facere oporteat. Nam recedere a concordia facta non expedit , & cauſæ quæ per appellationem ad Officiales epiſcopi & Archidiaconum devolutæ ſunt ipſo comparere & alium nolente ſubſtituere manent ſuſpenſæ in gravamen partium juſtitiam requirentium. Metuo etiam quod meus Officialis ſolus non poſſit valide ipſas cauſas , quæ nobis & Archidiacono communes ſunt cognoſcere. Exiſtimo tamen quod hoc fieri poſſet, ſi Dominus Archidiaconus judicialiter & legitime requiſitus renueret aliquem ſubſtituere , & quod ego in contumaciam ejus ſic comparere aut ſubſtituere nolentis poſſem aliquem ſurrogare in locum ejus. Sed quia hæc quæſtio juris , non auſim illam viam ingredi ſine conſilio & deliberatione juriſperitorum. Conſului ſuper hoc dubio quendam Conſulem Mechlinienſem, qui ſuaſit levandas eſſe literas executoriales. Interim dubitat & timet, quod per appellationem poterit executio literarum ſuſpendi , & ſic fruſtra fecero omnes expenſas, Res perplexa eſt , & quæ majus præjudicium afferre poteſt ſubditis quam mihi. Peto itaque ſuper iſtis veſtram audire ſententiam.

EPIST.

EPIST. CLXI.
IDEM EIDEM.
Middelburgi 4 menſ. Febr. Ann. 1564.

De eadem re.

Multum moleſtiæ præſtitit mihi Domine Graphiarie Dominus Archidiaconus & Præpoſitus Trajectenſis, priuſqnam induci potuit, ut hic conſtituat aliquem Officialem, qui ipſius nomine exerceat cum meis eccleſiaſticam juriſdictionem, & Paſtores ac Vicarios inſtituat, & viſitationi inſiſtat eccleſiarum, ſicuti ex officio facere tenetur. Obtinui autem duas aut tres Ordinationes, & tandem ſententiam per modum proviſionis prout veſtra prudentia cognoſcere poteſt ex Copia iſtis adjuncta, quæ ſententia Domino Præpoſito eſt inſinuanda. Verum quia ipſa ſententia literis clauſis ad ipſum directis clauſa eſt, & tempus illi præſcribitur ſex hebdomadarum, infra quod hic conſtituere tenetur in loco aliquem ſubſtitutum, qui loco Officialis, quem ipſi Trajectenſes hoc nomine appellandum negarunt, ſed Aſſeſſorem, omnia faciat, quæ pridem Officialis Trajectenſis pro Zelandis facere conſuevit, ſic tamen ut Zelandi neque pro inſtitutione, diſpenſatione, aut informatione, proceſſuum viſitatione, amplius neceſſe habeant ſe transferre Trajectum aut egredi noſtram diœceſim. Peto ut literas clauſas iſtis conjunctas per Janitorem ve-

vestræ Curiæ facias Domino Præposito præsentari faciendo actam præsentationis cum expressione temporis, quam actam nobis transmittendam ut reddat fratri, qui eandem curabit nobis transmitti, solvendo ipsi vinum & jura consueta. Aut si prudentia vestra putabit, quod ostiarius hoc nollet facere, ut requiratur Dominus Præsidens, ut hoc dignetur eidem mandare, si opus fuerit, commendando me eidem cum salutatione consueta.

Epist. CLXII.

PETR. SCRIVERIUS Isacio suo S.

Vargi. Bigerrica vestis. Abolla. Veltrahus seu Veltris. Hesus Gallorum Deus. Anubis pro Mercurio.

Verbis eloqui vix potest, Isaci suavissime, quam me inciviliter identidem appellarint, copiamque, quam vocant, flagitarint barbari typothetæ: Nec illi quidem omnino sine caussa, atque ego demirabar & animi pendebam, subverens ne quid sequius tibi aut novæ nuptæ accidisset, calamumque jam in manu sumpseram, ut quid esset sciscitarer. Sed ô factum bene, eo ipso tempore defertur ad me fasciculus chartaceus, quem ego continuo ad typographum, qui exultabundus, Tandem, tandem, inquit, jam vir est, vivitque quem mortuum credebam, aut male saltim

ac-

acceptum Venereo bello. Rogo te, ne in posterum ejusmodi affanias audiam, sedulo cura, nec solum de fine sed de ipso operis vestibulo, de epistola nuncupatoria inquam, & præfatione serio cogita. In me ne ulla mora sit, Sidonii Apollinaris locum quem desiderabas mitto. *Namque unam fœminam de affectibus suis, quam forte Vargorum (hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant) superuentus abstraxerat.* Hæc ille. Sed & Vargi meminit lex Salica *tit.* LVII. §. V. *Si quis corpus jam sepultum effoderit aut exspoliaverit Wargus sit.* Hæc ibi, additâ etiam hac glossâ: *hoc est, expulsus de eodem pago.* Eadem expositio Vargi in lege Ripuariorum *tit.* LXXXVII. §. II. Venantii Fortunati, quæ volebas, loca etiam adscripsi, iis scilicet quæ jam excudenda dedimus. Nomen meum non apposui. Tu, si videbitur, in præfatione aut alibi innuere potes me non indelectatum hoc studii genere, & quædam suggessisse. De *bigerrica veste* memini me quædam præter illum Sulpicii Severi locum notasse. Sed schedis quibusdam meis excussis nihildum reperire potui. Nisi fallor hujus mentio in Glossis nomine Isidori publicatis, etiam in Venantii Fortunati libris, quos de vitâ & gestis B. Martini versibus propemodum paraphrasticis ex Sulpicii Severi prosâ edidit. Qui, si recte memini, sic loquitur:

malim *indigenæ.*

Hanc puto te *bikarigam* vocare ab hirsutie & pilis.

Induitur sanctus hirsuta bigerriga palla,

Paulo ante eandem vestem *abollam* vocaverat. De qua voce Nonius, Martialis, & Prudentius contra Symmachum. Quod me hoc anni flore Hardervicum invitas, gratum est, sed quod malo

quo-

quodam genio amœnatum ire non licet, id vero ingratissimum est. Noli me obsecro incassum denuo rogare. Ego hac æstate atque hyeme etiam proxima cogor nidum perpetuo premere, nec usquam evolare.

Sed heus tu, cur non ponis in Glossario *Veltrahum* seu *Veltrem* canem Gallicum. Super eo abunde te cum nuper hic esses memini me monuisse. Oblivione an studio omissum hoc sit, nescio. *Hesum* Gallorum Deum apud Lucanum & Lactantium dicis cum Cambdeno *Anubim latrantem* vocari ab auctore *Queruli*. Sed vide num potius per *Anubim latrantem* Mercurius, quem sub Teutatis nomine Galli colebant, accipiendus sit. Sane quem Sulpicius Severus in vita B. Martini Mercurium vocat, eum in ejusdem vita Anubim indigitat Venantius Fortunatus. Nam hæc Sulpicii verba *capitis* XXVIII. *Interdum in Jovis personam, plerumque Mercurii, persæpe etiam se Veneris ac Minervæ transfiguratum vultibus offerebat*; Dæmon scilicet. Ita versibus expressit *lib.* II. Venantius:

Nunc Jovis in faciem nunc se mentitus Anubim,
Sæpe habitu Veneris, sæpissime fronte Minervæ;
Diversis formis, ut terror cresceret, offert.

Rectè. Nam doctissimus Virgilii Interpres ad illud Æneidos VIII.

Omnigenumque Deûm monstra, & latrator Anubis,

sic scribit: *Latrator Anubis, quia capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium, ideo quia ni-*

nihil est cane sagacius. Locus Queruli, quem innuit Cambdenus, hic est: *Ecuba quondam postquam vere facta est canis, Anubi nupta nostro latranti Deo.* Queruli autem auctor putatur Gildas Sapiens Anglus. Hæc te mi Isaci volebam scire nescius ne esses. Vale, Lectissimæ tuæ uxori, ut & Dn. Thysio amicissimam salutem adscribo. Lugd. Bat. raptim XVI. Kal. Septemb. cIɔ. Iɔ. c. VI.

EPIST. CLXIII.

JOH. ISACIUS PONTANUS

Viro Clariss.

Stephano Joh. Stephanio

S. P.

Saxo Grammaticus Valerii Maximi imitator. Ejusdem locus correctus.

Egregie, mi Stephane, votis meis ac petitioni litasti postremis tuis certiorem me reddendo de authore vitæ S. Guilielmi Parisiensis, deque Surio aliaque injiciendo mittendoque. Quibus ego quod hactenus non responderim, tribues partim occupationibus, partim quod ipsemet excurrere Leidam, teque coram compellare statueram, ante tuum, de quo injicis, in Angliam abitum. Sed incidit, quod me jam illud agentem nonnihil retardavit. Videbo tamen, quid possim, ubi proxima septimana, volente Numine, Amstelodamum

mum venero. Interea quod ad Collectanea tua historica de Admirandis aquarum, scies mihi ad manum non esse, qui ea de re quidquam tradiderit, præter Eberſteinium de *Aquis Hungaricis*, & Johannem Bauhinum, qui edidit de Aquis medicatis, in quo ſimul agitur de fontibus celebribus Thermis Balneiſque univerſæ Europæ & præſertim Ducatus Wirtenbergici. Placuerunt vero præter cetera, quæ ſimul tranſmiſiſti, Paralipomena tua ad Notas ſuperiori anno in Saxonem Grammaticum a te editas. Quibus ut juvem præclarum hoc tuum ſtudium conatumque in reſtituendo ac illuſtrando optimo eo ſcriptore velim te addere vel potius attendere inter veteres hiſtoricos vix alium eſſe, qui illi familiarior fuerit, quemque magis exprimere, & cujus argutias ipſaque verba libentius æmulari ſtuduerit, quam Valerii Maximi. Hoc ut certo tibi conſtet, & veluti ex tripode allatum habeas, ecce tria quatuorve hiſce in guſtum quaſi ſubjecta. Vid. ſupr. epiſt. 140.

Valer. Maximus in Prologo *lib.* 1. *Mea parvitas eo juſtius ad favorem tuum decurrerit.* Saxo in Præfatione ſuæ hiſtoriæ: *Quo evenit, ut parvitas mea, quamvis ſe prædictæ moli imparem animadverteret, ſupra vires niti, quam jubenti reſiſtere praoptaret.* Valerius *lib.* 3. *cap.* 6. *Vegeta & ſtrenua ingenia quo plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt.* Saxo *lib.* 10. circa fere initium. *Strenua negotia quo plus experimenti ſumunt, hoc ad inſignem operam edendam majore auſu proficiunt.* Valerius *lib.* 4. *L. Petronius hu-*

Iusce laudis consortionem sibi merito vindicat: ubi *consortio* pro *consortium* positum. Quæ eadem *consortionis* vox Saxoni identidem est familiaris. Valerius *lib.* 9. *cap.* 8. *Ita exiguo momento maximus rei casus fluctuatus est, utrum captus an victor &c.* Ubi duo MSS. Anglicana, quæ inspexi, non *fluctuavit* ut vulgo editur, sed *fluctuatus est* legunt, quomodo idem Valerius paulo ante *lib.* 8. *cap.* 1. *eadem hæsitatione P. Dolabellæ animus fluctuatus est.* Saxo *lib.* XI. sub ipsum libri principium. *Post hæc Daniæ status variis rerum casibus fluctuatus est.* Qui postremus locus, ne omen sit præsentis status, quo nunc quoque miserum in modum fluctuatur idem florentissimum olim regnum, Deum ter Opt. Max. rogamus, ut omen in melius vertat, ac regem regnumque firmet, prosperet, tum & veterem in statum omnia reponat, Et te, mi amicissime Stephani, quo iter instituisti, feliciter perducat, reducatque. Si ante discessum tuum te non videro, quæso ubicunque eris nostri memor esto scribendo, suggerendo, & siquid tuo alias nomine possim libere indicando. Quod ad me, nostra vicissim in te officia haud sinam, ut loquitur ille, claudicare. Dabam Hardervici ipsis Cal. Febr. 1628.

EPIST.

EPIST. CLXIV.

FR. SANDIUS

Ducatus Gelriæ quondam Consiliarius.

Jo. Isacio Pontano S. P.

Non eundem locum hodie esse, qui quondam fuit, ubi insula Batavica Oceano terminatur.

Doctissime atque Ornatissime Domine, Chorographicarum tuarum disceptationum paginas recte accepi, in quarum ingressu admodum placuit modestiæ commendatio, ac petulantis stili nimium inter literatos recepti castigatio. Non eundem locum hodie esse, qui quondam fuit, ubi insula Batavica Oceano terminatur, rectissime notas, idque etiam Catvici ac Schevelingii piscatores ex avorum suorum per manus tradita relatione asserunt, causamque opinionis probabilem addunt, quod adhuc suis temporibus Oceanus majores fecerit progressus, quibus in ipso adhuc Oceano ultra decimum a littore miliare vestigia antiqui aggeris longissime protensi sub aquis reperiantur. Reliquas paginas, prout excudentur, si submiseris, rem gratam feceris. Quid Dn. Grotio dudum de suo Apologetico scripserim, quidque ille responderit, ex adjunctis chartis cognosces, quas lectas velim commoda occasione remittas. Vale, Collegis ac Dn. Ellardo tuæque conjugi officiosam a me salutem. Dab. Arnhemii Kal. April. cIↃ. IↃc. xiv. Tuus Fr. Sandius.

EPIST. CLXV.
IDEM EIDEM

De Grotii Apologetico.

Ornatiſſime ac Doctiſſime Domine, Grotii Apologeticon ab ipſo mihi tranſmiſſum legi, ac dolui magnum illud ingenium tantopere ſeductum, ut quæſtioni abs Theologis novitatum ſtudioſis adverſus præſentem eccleſiæ ſtatum movere cœptæ ſuam publicam perſonam accommodandam crederet, & cum generaliter potuiſſet adverſus contra ſentientes agere, nominatim Sibrandum de eccleſia noſtra optime meritum ſibi eligeret, in quem tam fiſcaliter ſuum ſtilum ſtringeret. Sed homines ſumus. Comitia Hollandica adhuc continuantur, & dicuntur nunc ſerio negotia eccleſiaſtica tractaturi, ac quoquo modo aliquid determinaturi, vel in hanc vel in illam partem. Videbimus brevi quid futurum ſit. Pontificiorum in Germania fœdus non videtur ſuccedere, Epiſcopis ac Prælatis ipſis parum inter ſe convenientibus, prout alius alio adverſus Proteſtantes acerbior eſt. Trevirenſis Elector, Maximilianus Archidux, Conſtantienſis epiſcopus, Sueviæ Prælati, atque alii in iſtam fœderis ſocietatem venire recuſant. Principes correſpondentes, qui ſemiſſem contributionum facerent, in contributionum recuſatione uſque ad ſublata gravamina perſeverant. Miror Paſtorem Harskampianum nummos necdum annumeraſſe, atque ea in parte tam immemo-

morem esse beneficii abs me accepti. Quam primum ipsum videro, diligentius monebo, vel si longius quam solet emanserit, literas ad ipsum dabo, neque patiar me ab ipso eludi. Vale, Conjugi ac collegis officiosam a me salutem. Raptim Arnhemii XVII. Novemb. Ann. cIↃ. IↃC. XIII. Tuus Fr. Sandius.

EPIST. CLXVI.

IDEM EIDEM.

Insula Dei in Gelria cujusmodi olim tractus.

Hoc demum vespere domum reversi sumus, postquam totum biduum in Velavia cum altis nivibus fuimus luctati rhedario subinde de ulteriore penetratione desperante. Mitto Stephani Paschasii Francicarum antiquitatum indagationes, e quibus quæ tractantur libri primi *cap.* VI. *&* VII. tuum institutum nonnihil juvare, tuamque de Francorum origine sententiam a communi Gallorum opinione diversam confirmare poterunt. Mitto item nummos a Quæstore Vredio, & quæ promiseram de Insula Dei bina apographa, quibus lectis & ipse opinor mihi adstipulabere, hanc videlicet insulam non fuisse illum tractum, quem Velaviam appellamus, sed opidum aliquod Comitis Gelriæ ditioni subditum. Quod si dixero Zutphaniam fuisse, illud opinionem meam juvabit, quod clientelæ, quas Herbernus de Arckel a Comite Gelriæ perpetuo possidendas jure insulæ Dei reco-

gnoſcit, in ſubſequentibus inveſtituris dicuntur conceſſæ *ten Zutphenſen rechten*, ſed non deeſt, cur hic me fatear adhuc ἐπέχειν, donec ex aliis rerum ac temporum circumſtantiis me plenius inſtruxero. Vale, Collegis atque uxori a me ſalutem, Raptim Arnhemi x. Novembr. 1607. Tuus Fr. Sandius.

EPIST. CLXVII.

GISBERTUS LAPPIUS A WAVEREN.

Viro Clariſſ.

Joh. Iſacio Pontano S.

Henricus III. Imperator in Gelria natus. Alia nonnulla.

Clariſſime Domine, Exſolvo debitum, quod volens lubenſque tibi addixi, mittoque utriuſque epiſtolæ, quam petebas copiam, oportune & e re nata hiſtoricis tuis meditationibus inſerendam. De cognatis meis Tacone & Buchone Montzimanis, ſi pluſcula voles noſſe, adi Suffridum Petri in vitis ſcriptorum Friſicorum, ubi Dn. Viglii propaginem deſcribit. Corn. Croci epiſtola duas tantum diſtinctiones orthographicas exhibebat, quas ſtudioſe repræſentavi, cæteras ab illo omiſſas non addidi, nec ſupplevi. Vides animum meum conatui tuo faventem, & omnia ſtudioſe conquirentem, quæ meditationes ſcriptio-

tionesque tuas adjuvare possint Tuarum partium erit id curare, ne lateat posteros vixisse nos amicos, eorundemque studiorum consortes. Huic rei benigne conficiendæ apud te pignus idoneum existimavi deponere, & depromere e bibliotheca mea duas epistolas autographas magni Præsidis Viglii Zuichemi, quarum alteram tibi, alteram Spectabili viro Ernesto Brinckio Consuli cum cæteris Regum, Principum, Procerum quoque in re literaria autographis ab eo adservatis conjungendam, a me oblatam volo cum obsequii oblatione. Amo ego istam curam conquirendarum epistolarum Clariss. virorum, quam ante annos XVI. Merula mihi instillavit editione epistolarum Erasmi anno 1607. vulgata; in qua cura mecum contesserare D. Brinckium suave fuit audire, & bonum factum ratus sum meo symbolo augere. Ego porro dum observationes meas scrutor, & ea conquiro, quæ ad te perscribam, incurrit in manum epitaphium Beati Bernulphi episcopi Ultrajectini (quod per otium tibi apud me describere non licuit) mihi vero licet & libet. Itaque accipe & Imperatorem in Gelria natum a tuo calamo orbi innotescat, & me inter amicos tui observantes deinceps Clariss. Dominatio tua censeat. Ultrajecti postridie Cal. Maji cIↃ. IↃc. XXXVII. Gisbertus Lappius a Waveren ICtus Ultrajectinus.

 In

In ecclesia collegiata sancti Petri Ultrajecti.

Hic sunt confossa Bernoldi Præsulis ossa,
Laudet eum glossa, dedit hic quia munera grossa.
Præfuit hæc sorte; sunt Sede vacante subortæ
Lites distortæ pro Præsule, flente cohorte.
Venit Rex CONRAT, *ut pacem mox ibi ponat,*
Datque cohors tota Regi de Præsule vota,
Retro dimissa paritura conjuge Gisla
Oosterbeeck villa prope Bernoldum parit illa,
Tunc ibi Curatum, cui Rex dat Pontificatum
Ob nova portata, quod erat proles sibi nata.
Vicenus Bernold Pastor successit Adelbold.
Annis septenis bene rexit bis quoque denis,
Holland militiam junxit ad ecclesiam.
Sanctis Baptistæ, Petro, Paulo, Lebuino,
Quatuor ecclesias condidit egregias.
I. quater attendas decimo quartoque Calendas.
Augusti semel M. semel L. dum scandit ad arcem
Non mala mors subita quam præcessit bona vita.

Oosterbeeck villa. Pagus inter Arnhemum & Wageningam. *Rex Conrat.* Conradus Augustus Divi Henrici successor. *Bernoldum.* Alii Bernulphum vocant. Heda & Beka.

EPIST. CLXVIII.

GER. JO. VOSSIUS

Viro Clariss.

Joh. Isacio Pontano S. P.

De tristi casu Corneliæ Vossii filiæ. De Papiæ glossario.

IAm credo intellexeris, præstantissime Pontane, de excessu Corneliæ filiæ meæ natu majoris. Ea cum fratre Matthæo, sorore majore, cognato item Junii nepote, sed & illustrissimi Poloniæ Legati filio, & Ephoro ejus, Leidam per glaciem ferebatur rheda, ut nostrates ea tempestate solent. Et erat meis ea in urbe negotii quiddam. Sed rhedarius, nisi traharium malis dicere, minime obsequens assiduis eorum quos veheret, monitis, dum prævertere alios conatur, non impudens minus quam imprudens universos in glaciei fracturam, ubi piscabatur antea, sed tamen leviter glacie erat obducta, conjecit. Unica illa Cornelia confestim obriguit. Cæteri, sed non sine magno periculo, virtute Matthæi evaserunt: cui in hoc tristi infortunio, favore divino, robur erat triplex, & pectus adamantinum. Ita ut tertio etiam ad alios liberandos se in aquas ipse præcipitem dederit, Ferreus sim, vel siquid ferro durius, nisi hic casus me admodum maceret & coquat. Tamen me non mediocriter solor divina providentia, sine qua

nec capillus nobis excidat, ut Sospitator prædicat. Hic interim mœror me paulo fecit tardiorem ad rescribendum. Præterea quod, cum tuæ hic literæ ferrentur Lugduni essem, quo me receperam exequiarum ergo. Nam avito Junii sepulchro est illata. Simul illud ut differrem fecit, quod Papiam ipse non haberem. Nam quod
Vid. supr. epist. 150. ad opus Grammaticum nostrum, ubi subinde memini, amici sum usus Codice, qui dicit sibi usum ejus esse necessarium in Isidori glossis, quas cum Commentario edere decrevit. Dolet quod non possim Stephanio gratificari, cujus ego & virtutem amavi semper, & æstimavi doctrinam. Aveo scire ut valeas. Nam literæ tuæ ad me injecerunt sollicitudinem non levem. Sed spero jam plane convalueris. Id Deus faxit non tui modo & tuorum causa, sed vel maxime propter Remp. literariam, quæ & Geldricam tuam historiam, & alia, a te avide exspectat. Omnes mei te salutant, feliciusque hunc annum decurrere tuæ familiæ cupiunt, quam meæ cœpit. Amstelodami cIↄ. Iↄc. xxxviii. xvii. Febr. Tuus Ger. Jo. Vossius.

Epist. CLXIX.

GODEFRIDUS SOPINGIUS

Joh. Isacio Pontano S. P.

De herba Britannica & unde hæc ita dicta.

Annus fere est, cum te per nostrum Musicum salutarem, & tu vicissim non modo sa-

ſalutem ſed & literas & cum iis exemplar itinerarii tui remiſiſti. Negligentior ego quidem & tardior fui in reſcribendo, ſed agnoſcenti culpam, mi Domine, facile ignoſces. Nunc autem data optatiſſima quadam occaſione tandem prorumpo ad ſcriptionem. Sed quædam mihi præfari liceat, priuſquam cauſam & occaſionem iſtam aperiam. Habeo & ago tibi grates maximas pro tuo itinerario. Vis cenſeam, ut inquis, nitore ſepoſito. Aio, & libere pronuntio mihi & materiam & ſtilum placere. Sed in gloſſario quædam mihi videntur paulò violentius detorta: ſed plurima certæ & indubitatæ originationis. In Heſychio noſtro quædam Celtica vocabula olim offendi, quæ data occaſione colligam, & tibi mittam. De Britannica mihi ſuggeſſit amicus noſter vir doctus D. Doctor Sibrandus Siccama, qui noſtræ Reip. à ſecretis, ſibi videri inde iſtam herbam dictam, quod referat teſtum: Olim enim fuiſſe a Friſiis vocitatam *Breepanne*, unde Romani, qui iſtam Friſicam vocem non poterant aſſequi, more ſuo effinxerunt, & torſerunt Britannicam. Herba enim illa habet ampla folia ad inſtar ſartaginis, quæ in amplum & longum rotundatur. Hæc obiter, & libere tuo limato & ſubacto judicio ſubmittimus memores veteris amicitiæ & candoris. Sed ad rem. Noſter Rector D. Henricus Papma Medicinæ Doctor certas ob cauſas jam ſponte Rectoratu hujus ſcholæ ceſſit. Facta autem fuit a nobis apud Magiſtratum noſtrum mentio tui nominis, & mox viſum omnibus te in ipſius locum ſubrogari poſſe: adeoque te unum non

non ſolum ſcholæ noſtræ, ſed & totius urbis ornamentum fore, ſi iſtud munus capeſſeres. Deſtinarunt quidem in ſalarium quadringentos Carolinos, & quinquaginta, ſed ſi te poſſent frui cumulum juſtum adderent. Schola hæc noſtra plane languet, & per te reſtitui, & perſanari poſſe confidimus. Materia igitur tibi inde larga, & aucupium laudis honoriſque ſurget, & ad digniora in hac Friſia viam muniet. Immiſcebis ſic etiam, quod unicum in votis eſt, te veteribus amicis, quos hic non paucos habes. Certe mihi nihil gratius contingere poterit, quam ſic ſtudia tecum noſtra recolere, & quotidie coram συζητεῖν. Expende igitur rem hanc apud tuum animum, & qualem in nos, & hanc functionem geras, fac nos per hunc internuntium certiores. Alias de meis ſtudiis, & lucubratiunculis, cum plus otii fuerit, ſcribam. Si quid tum in tuis theſauris ſit, quæſo communica. Hoc unicum ſaltem peto, ut utrimque literas mutuitemus, & hoc agamus, ut amicitia noſtra, quæ diutino hoc ſilentio & veterno tantum non extincta erat, ita reviviſcat hoc verno tempore, & æternum vivat. Vale mi Domine & optime amice. Bolſverdiæ XVIII. April. cIↃ. IↃ. C. VIII. T. Godefridus Sopingius, Miniſter verbi Divini in eccleſia Bolſverd.

EPIST.

EPIST. CLXX.

JOANNES SMITH S. D.

Viro Clariss.

D. D. J. Isacio Pontano

Romæ conditæ annus. De libris aliquid Cappelli. Ejus Lampas historica.

Tacite apud te Cl. V. miraris sat scio, tibi historiæ ex promisso commodatæ a me nondum factam esse copiam; & pudet me moræ, quæ invitum tenuit: Sed hanc debeo huic secessui in quo hyemo. Dum enim Parentum desiderio satisfacturus apud illos ignota in urbe non tam ago quam lateo (cum privatorum studiorum gratia tum publicorum motuum injuria, ne forte proprii temporis prodigus, vel magis etiam, quod peregrino maxime invidiosum in aliena Rep. curiosus merito videar) factum est, ut vel desideranti & quærenti etiam occasio libri mittendi non patuerit; & vix scio an vel jam satis tuta pateat. Optassem amici alicujus ad vos commeantis opera librum curari, sed cum eam frustra hactenus exspecto, mercenaria rhedarii opera utar ne diutius te teneam. Interea temporis amice inter se velitati sunt de quibusdam hujus historiæ scrupis Dn. Nic. Mullerius & D. Cappellus. Sed jam nunc convenit ipsis, præterquam in sententia de Romæ conditu, quem D. Mulerius refert ad an-

annum P. Julianæ 3961. mundi 3247. & diem Maji Juliani 9. Hanc nondum ita persuasit D. Cappello, ut is suam omnino desereret. Videor tamen & hic quoque mihi videre eos ὁμοψήφους. Ita inter bonos agitur, amici si quid humanitus videntur passi monentur, & moniti meliora libentes sequuntur. Et tu Vir Clarissime qui in hoc studiorum genere ut & in reliquis celebre tibi apud doctos nomen parasti, postquam historiam D. Capelli inspicere animus est, si de iis quæ animadversione aliqua digna notaveris, authorem (quod vel ejus nomine te rogo) monere dignatus fueris, experieris virum absque omni fuco veritatis studiosum, & quod mireris de nulla re æque atque de virorum doctorum censurâ sibi gaudentem. Historiam hanc cum ejusmodi aliquo episagmate si placet à te exspectabo, & inde D. Cappellum alterum mihi parentem, proprio calamo ita ut dixi pictum tibi sistam, ut si coram videres vix vidisses puto alium, qui te vel oris vel morum similitudine propius referret. Amici præcipue Angli & Galli certatim ab eo urgent, non tam promissam sub historiæ finem racemationem, quam vindemiam, quam Casaubonus ὁ μακαρίτης in ipso initio reliquit. Editi sunt ante aliquot annos in Germania ab Hulsio libri ejus de ponderibus & mensuris, quos Alcasar Jesuita Hispanus aliquot locis perstringit, hos multum mutatos nuper auxit, & partem fecit novi operis, cui titulum dedit, Lampadis Historicæ, In quo agit de Computo Ecclesiastico civili, astronomico de mensibus & anno, ponderibus & nummis,

mis, menſuris rectis, planis, ſolidis Romanorum, Græcorum, Hebræorum, Ægyptiorum, Perſarum &c. His adjungit Miſcellanea ἀρχαιολογικὰ & Talmudica. Item Faſtos Conſulum R. Imperatorum & aliorum Principum. Sed quia typographicæ operæ Sedani lentæ ſunt, typographo in typorum fuſione longo jam tempore occupato & alibi abſente authore pleraque mendoſe eduntur; Hactenus amicorum deſideria in operis hujus publicatione & nova hiſtoriæ ſuæ editione moratur. De his ante paucos dies ita ad me ſcribit: *Lampadi noſtræ quoties occaſio datur oleum adfundo, quantumvis ſub modio latenti, forſan & æternum latituræ. Nam Janonus noſter otiatur plane, nec ſunt ejus momenti nugæ noſtræ, difficiles potius quam canoræ, ut remotos a nobis procos alliciant. Nunc nihil magis eſt ad manum, & prælo, ſi tanti intereſſet, propius quam hiſtoriæ noſtræ centuria prima (quam Evangelicam lubens inſcripſerim, ſequentem Apoſtolicam) in Chriſti reſurrectione deſinens, necdum polemicis cum Baronio rixis ſe immiſcens. Sequentis Centuriæ labor in dies creſcit inprimis ex quo incidit in manus meas moles librorum in Caſaubonum ſcriptorum, cujus manibus utinam Heinſius vel quis alius ejus notæ ſcriptor parentaret &c.* Vides qua in re hoc tempore D. Cappellus occupetur, videbis dum hiſtoriam legis, quid in hoc argumento antehac præſtiterit, Ego hic Neomagi hyberna Deo volente exigam, & cum nova hirundine exſpecto diem, quo ſim migraturus. Interea accipiam, ut ſpero, ſi quid erit, quo authori gratificari tibi libitum erit, Vale V. Clariſſime

&

& me ama. Nonis Januarii Anno 1618. V. Clarissimo D. D. Antonio Thysio salutem P. tuâ venia adscribo. Vide V. Cl. quam mihi curandarum litterarum occasiones defuere vel ego occasionibus. Ab eo tempore quo hæc scripta D. Cappellus librum novum pro Casaubono contra Papæ dominatum ejusque propugnatores Jul. Cæsarem Bulengerum, Rosveidum, & Eudæmono-Johannem scripsit, in quo describendo Sedanensem typographum occupari puto. Vale iterum Dab. 6. Non. Martias.

EPIST. CLXXI.

Prudenti ac præclaro viro Magistro Johanni Deel insignium ecclesiarum S. Salvatoris & B. Mariæ Trajectensis Canonico Domino & Confratri plurimum observando.

ADRIANUS S. R. E. CARDINALIS

Adrianus Papa VI. quando factus Cardinalis, & Alia nonnulla.

Amantissime magister Johannes. In literis datis 23. Junii prænuntiasti Dominum Officialem Suggerode in nundinis Daventriensibus circa festum Lebuini comparaturum exactiores trabes. Velit Deus ut secure cum aliis lignis ad Trajectum adducantur. *De wagenschot* habebit curam Magister Florentius, cui desuper scripsi. Dicetis Domino meo Abbati, etsi forte didicerit, me

me relatum in Senatum Cardinalium prima hujus mensis Julii, quod ego certe nunquam ambivi, sed postquam Deo & sanctissimo Domino nostro ita placuit, consilio & hortatu amicorum pressus recusare non debui, quin nihilominus non omittet ipse Dominus Abbas comparare necessaria pro ædificio. Etiamsi summus Pontifex essem domum ædificare vellem, & in Trajecto residere. De Domino Grootvelt prædilecto meo valde grata est ejus oblatio, & certe ex omnibus ipse plurimum mihi placet propter animi probitatem, vitæ honestátem, & mutuam inter nos ab olim contractam amicitiam. Si Dominus Abbas non providit de alio, peto ut ipse inhabitet. Non habeo ipse familiam multam. Bene conveniemus, etiamsi præsens fuero cum mea familia. Nescio si per retardationem Regii accessus retardabitur meus reditus aut fortasse jussu Papæ. Vellem ob id ut mittatur ad me computus unius anni de Præpositura, & simul status totius fructuum, quid receptum & quid recipiendum, non specifice, sed in summa, videlicet super tali anno recepta est summa 61. flor. Ren. Restat adhuc recipienda summa tot Renens. Jacobo in Hamburch mittite aliquam pecuniam, cum primum oportune poteritis. Excita vestri ipsius oblivionem & status vestri memor ero. Non dubito intelligitis, quid peto, salutis vestræ zelator & verus amicus. Commendate me ex intimis præcordiis nostro, imo meo, Abbati, & suis ac fratrum suorum devotis precibus. Orate illum, ut diligentiam adhibeat in

materialibus comparandis, & figat considerationem, ubinam magis conveniat erigere ædificium. Videtur mihi paratum inconveniens de rumoribus in Sabbato propter accurrentes currus: ego regulariter mane surgo, & si æger fuero conferam me ad interiora domus in veteri ædificio. Scribat mihi suam opinionem ac sententiam. Cæterum commendate me humiliter bonæ gratiæ Reverendissimi Domini Trajectensis, omnibus Prælatis, fratribus de Soudenbalch, Burgimagistris & præcipue Domino meo de Montfoort. Hanc promotionem non debeo asscribere Principibus seculi, vel eorum instantiis, sed Deo, & inter homines Pontifici soli. Ego plane recusarem hunc gradum, nisi me premerent amici, qui tales se mihi semper exhibuere, ut turpe ac inhonestum videretur eis contradicere vel non assentiri. Ex Madrid XVI. Jul. Ann. 1517. Vester Adrianus de Trajecto.

EPIST.

EPIST. CLXXII.

Clarissimo & eximiæ pietatis doctrinæque viro D. Joanni a Lasco, fideli servo Christi, symmystæ & fratri observandiss.

JOANNES CALVINUS S. P.

De statu ecclesiæ in variis Europæ partibus.

Ex Calvini originali per me Gisb. Lapium.

Tertio post die quam mihi literæ tuæ redditæ fuissent, Clariss. vir & Venerande frater, commode se hic nuncius obtulit, si modo otium ad scribendum fuisset, malui tamen inter angustias aliquid breviter scribere, quam ut prorsus vacuus ad te veniret. Si nuncius, quem in Poloniam mittere decreveras, jam profectus est, gaudeo. Nec dubito ita esse, quia jam tibi ad manum erat. Utcunque Rex cupiat bene compositas esse ecclesias tamen ex cunctatione eum frigere apparet. Atque ut in sinum tuum omnia familiariter deponam: quum prolixa ad eum de reformatione scripsissem, literas nuper ejus nomine scriptas & Regis sigillo clausas accepi, ex quibus satis intelligo parum esse ad tantam rem animi, nisi acriter pungatur, quod te prudenter animadvertisse exhortatio tua demonstrat. Mihi humanum ejus responsum ejus iterum acuendi occasionem simul & fiduciam dedit. Ita omnino fore spero, ut diversis stimulis incitetur.

Idem etiam apud multos proceres tentabo. Westphali refutatio excuditur quam videbis propediem. Quia mihi videtur deploratus, non magnam illius rationem habendam mihi esse duxi. Ne quos sanabiles offenderem studui mihi temperare. Gallicæ ecclesiæ dissidium me vehementer excruciat. Si venissent meæ literæ ante D. Hechelii discessum redditus fuisset placatior. Quando amissa est ea oportunitas nunc aliis pacificandis operam dedi. Siquid aliud censebis in me positum, opera mea nusquam deerit. Anglorum iracundiam deferbuisse gaudeo, si tamen contentione deposita animum ad moderationem adjiciant. Qui ad nos migrarunt, nihil movebunt turbarum, nam & se ostendunt, sanis consiliis morigeros, & ego uti hactenus cœpi fovendæ pacis author illis esse non desinam. Ut profugos fratres & Christi exules prohibere hospitio non fuit Christianæ pietatis, quantum tamen odii apud Francfordienses contraxerim, amarulentia epistolæ ad me scriptæ ostendit. Authorem nominare nihil attinet, cujus tamen stylum facile agnosco. Et certe quod ad ipsum spectat veterem suum hospitem tot aculeis configere non fuit humanum. Sed quia multi sunt subscriptores, quin sit communis offensio, mihi dubium non est. Prætextu honoris mea authoritas odiose aliquoties perstringitur, ac si tyrannice ecclesiam Dei gravarem. Sed contumeliose multa mihi exprobrant, quorum nullam culpam sustineo. Sannis etiam non parcunt. Sum illis andabata. Nolo alia persequi, neque expedit.

dit. Tantum hujus rei te volui admonitum, ut si ita tulerit occasio, literas ipsorum significes mihi testes fuisse nimiæ erga suos conterraneos acerbitatis, ut pervicax odium taceam. De pio viro, quem uxor, postquam a patria profugit, frustrata est, ac nunc obstinate conjugalibus officiis fraudat, nihil est quod ad consilium tuum addam. Circumspecte dixisti nihil tentandum, nisi accederet causæ cognitio. Neque enim privato consilio tam sanctum vinculum solvi potest, ac res esset pessimi exempli, nisi causa probe cognita, liberari eum a priori fide. Tantum cognitionem postulet, ut publica authoritate ad novum conjugium transeat. Vale vir clarissime, & mihi ex animo observande frater. Dominus te spiritu suo regere, virtute fulcire, & præsidio tueri pergat, hancque infirmam valetudinem tuam sustentet. Optimo fratri nostro Petro Datheno salutem plurimam. Genevæ 7. Cal. Jan. 1555. Johannes Calvinus tui studiosissimus.



EPIST. CLXXIII.

SIBRANDUS SICCAMA.

J. Isacio Pontano suo S.

De scriptis Sopingii.

Doleo, & pæne indignor, Clarissime & suavissime Pontane, Tabellarium hunc simul venire & abire, attulit enim triste nuncium ad Nobiliss. nostrum Joannem ab Heerma, de morbo

bo filii periculose apud vos decumbentis, qui simul cum hoc ipso ad filium se in viam dat: utinam adhuc spirantem occupet. Ad me ut redeam, conscripseram hisce feriis epistolam bene prolixam, qua binis tuis, uni de scriptis τοῦ μακαρείτου Sopingii, heu quondam nostri, alteri de scriptis tuis Chorographicis, ut petebas, respondeo, sed nondum absolveram, remiseratque ardorem hoc inopinatum frigus, quod mihi spem omnem transmittendi excusserat; Nunc cum se commodus tabellarius tam inopinato offert, indignor inquam, & desidiam meam accuso. Quid faciam, mi Pontane; nisi ut culpam apud te confitear simul & deprecer, quod nunc facio submisse, simulque per communia Musarum sacra rogo, ut sustineas, proximisque literis tibi satisfieri patiaris: mittam aliquot fragmenta Sopingiana, ut ex iis de reliquis judices: Interim, mi Pontane, quæso te, ne quidquam de affectu in me tuo remittas, ego indies te magis ac magis amo, & egregias animi tui dotes exosculor. Filium meum D. Ottonis ab Heteren domesticum tibi commendo. Vale, vir Clarissime. Bolswardiâ raptissime xv. Kalend. Februarii Anno M. DC. XVIII. Dignit. vest. Observantiss. Sibrandus Siccama.

CLXXIV.

Epitaphium quod Brugis est in cœmiterio fratrum minorum

FR. CORNELII ADRIANI Minoritæ Dordraceni.

Deo opt. max.

Rev. Patri Fr. Cornelio Adriani Dordraceno, hujus aliquando cœnobii ante provinciæ vastitatem toto Belgio splendidissimi amplissimique Gardiano vigilantissimo, & sacræ Theologiæ interpreti facundissimo, viro incomparabilis tum eruditionis, tum eloquentiæ, triumque linguarum, quæ sacræ sunt, & dicuntur, callentissimo. Qui annis continuis triginta populum Brugensem incredibili cum gratia, fructu, atque utilitate, divini verbi suavissimo pavit alimonio sementem vere spargens Evangelicam, tantaque contentione zizania e malignorum spirituum fibris evellens, ut verus Brugensium Apostolus, splendor, decus, & ornamentum Christianæ Reipublicæ, Catholicæ, Orthodoxæ, Romanæ fidei propugnator acerrimus, nec secus quam alter Athanasius validissimus hæreticorum malleus dici potuerit, quique inter varias hujus exulceratissimi seculi calamitates, inter innumeras hæreticorum calumnias, inter obstrigillantium sycophantarum caninos insultus, libellorumque famosa ludibria, tam invictam semper animi moderationem tenuit,

ut nullis unquam vel hostium fidei oppugnationibus, vel rerum adversarum procellis potuerit convelli. Qui denique in hoc D. Francisci instituto annis fuit quadraginta summa cum probitate vitæ, eruditionis gloria, religionis Zelo flagrantissimo, optime de hac civitate, tam in Theologica professione publice, quam in perpetuis indefessisque ad populum concionibus ad mortem usque promeritus fuit. Laborumque suorum tandem aliquando amplam mercedem verissimus fidelissimusque Christi confessor percepit, piis omnibus ingens sui desiderium relinquens. Hoc amoris & observantiæ testimonium ac monumentum Patri opt. ejusdem ordinis fratres posuerunt anno a partu virginis gloriosæ cIↃ. IↃ. LXXXI. pridie Id. Iul. Ejusque mortui effigiem Fr. Franciscus Everardus hujus loci Gardianus, qui viventem unice semper colebat, sinceræ dilectionis ergo in hoc templo, pro rerum præsentium facultate restaurato, appendi curavit.

Ejusdem aliud epitaphium in Xenodochio S. Joannis ad cornu summi altaris.

Ecquis in obscuro latitans, dic parva tabella,
Tumulo hic repostus conditur?
Quis fugiens adeo est & famæ, & lucis, & auræ,
Umbris ut hic velit obrui?

Tunc

Tune pater celebri condigno ex marmore crypta
Hic Dordracene recubas,
Quem tam facundæ decoravit gratia linguæ,
Monita Salutis cum dares,
Ut tua fama volet totum vulgata per orbem
Stridente quamvis Zoilo.
Sed quia Seraphici placuit pia semita Patris,
Placuit sepulchrum ignobile.
Nam tituli & Pario excisæ de marmore tumbæ
Ætate longa intercidunt,
Virtus sola viget vivitque æterna, nec ævo
Labente longo extinguitur,
Hæc jam te æquavit Superis, cœloque locavit
Sertis decorum fulgidis.
Quid juvat ignoto hunc igitur requiescere busto,
Qui mente cœlo vixerit?

Habet Sweertius id in selectis suis Christiani orbis deliciis, unde & postea descripsit Antonius Sanderus laudibus evehens Minoritam hunc velut alterum Athanasium: Sed sic solent qui sic sentiunt. Securi famæ & vocis publicæ imponunt posteris, quantum possunt. Ut autem paucis noscamus indolem & vafrum hominis ingenium audiamus virum gravissimum, & qui citra controversiam fidei prorsus incorruptæ, Cornelium Hooft, qui *lib.* 13. *hist.* de eo ita: *Onder de Franciscanen te Brug was broeder Cornelis Adriaenszoon van Dordrecht. Dees overlopende van gal, glad van tong, styf van kaaken, en ten rykste begaaft met den geest der onbeschaemtheyd, had daer al een wyle voorheen den preekstoel betreden, en met ongesnoerden mont, en woorden van walghende vuylicheyd, niet alleen tegens d'Onroomschen, maer selfs tegen d'Overheden sijner eygen parthye, gebuldert. Boven dees openbare ergernis was een verborgen in 't licht gebracht;*

hoe hy sich kittelde met het geheym der herten van verscheyde vrouwen en maachden te doorritselen, en haar soo dwaes wist te broeden, dat sy hem, d'inwendichste gedachten van vleeslycke bekooring, en alles wat nacht en slaepkamer bedeckt houden, in biecht melden; ja sich die onkuysheyt, quansuys, met roeden lieten uyttuchtigen. Waer over hy eyntlyck ten overstaan der Majestraet Klooster en Stadt hadt moeten ruymen, en drie jaren tot Yperen verblyven. Weder gekeert sonder verlof in dat van ses en t' sestich haeld hy de Wethouders, die 't hem gedaan hadden, schendelyck over, en ging met schelden en tieren, den ouden gangh onverlet; eerst mits de bysterheyd, thans mits de bitterheyd des tyts, als niemand aen de straf der Geestlicheyt bassen darde. En dus doende bracht hy de Lantvoghdy van Alva deur, tot dat de dingen een zwaey namen. Als doen bestont hy tegens 't bedryf des Hertogen met gelycke lossigheyd uyt te varen; leggende schamperlyck af, van 't eyschen des tienden penninck, en t' verliesen van den Briel. Sedert, hoe de wint van's Lants verlichting het opstack, hoe hy het de kap daar na keerde; weshalven men hem dulde: moghende selfs d'andere gesintheden wel veelen, dat sich de Roomsche, door alsulcke onteersels eener Kercke, afsichtich maakte. Obiit Ann. 1581. pridie Id. Jul. Natus Ann. 1521. patre, cui nomen Adrianus Walteri, Novæ ecclesiæ Dordraci Pastore. In ordinem Franciscanum relatus Ann. 1548. Librum reliquit de VII. Sacramentis. In omnium olim ore ob tribunitias conciones. Gouthov. *Chron. Holl. fol.* 222. Fr. Sweertius *fol.* 507. Collegit Hubertus Goltzius & ut dicitur curavit edi. Certe de eo ita Carolus Naudæus in vitis Pictorum *fol.* 248. *vers. Hem wort naa gegeven, dat hy sijn predicatien heeft beschreven en gedruckt.* Sed hæ præterquam quod vehementes etiam multum ridiculæ. Dux Albanus ex Hispania cum venisset in Belgium non erubuit gratulari ei publice pro concione adventum verbis hujusmodi, 31. August. *Ba sijt wellekom ghy Hertoghe van Alva, ghy Vice-Roy du pays bas, ofte Vice-Roy du Royaume de Flandres, Gebenedijt sijt ghy die daer*

daer komt in den name des Heeren Ja soo wil ick hem groeten in spyt van de geene die 't leet is. Want ick hebbe een vertooch oft advys gesien van XIII. *articulen, daar ick onder allen in bevinde, dat dese Nederlanden tot een Coninckryck gemaeckt sullen worden. Ba ten is nu maar een concept ende voornemen, maar het sal ten effecte ofte ten goeden eynde comen. Ba dat versekere ick U. niet tegenstaande U. L. bescheten privilegien, die nu al verbeurt sijn. Ou ba het moet wesen. Ba daer en soude anders nemmermeer strange justitie gedaen worden tegens dese Sectarisen. Ba d' Inquisiteurs en souden niewers ontfangen worden &c.* Nihil verius quam quod vulgo:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audent
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.

CLXXV.

TABELLA PENSILIS

In cœnaculo Caroli Gelriæ quondam Ducis relicta ei ab avo suo Arnoldo Egmundano.

Halec salsatum, crassum, blancum, grave, latum,
Illud dorsatum, scissum, perventrificatum,
Huic caput ablatum, sic pellibus excoriatum,
Intus mundatum, crudum, vel igne crematum,
Illi cœpe datum, per panem rustificatum,
Hoc sic cænatum, dum transis nocte cubatum
Id theriacatum, velut antidotum preciatum,
Quod parit optatum potamen largifluatum,
Dans de mane ratum guttur rebisondo paratum,
Haustum, prostratum, reparat, mediatque palatum,
Et caput & pectus desiccat phlegmatisatum,

Dans

Dans urinatum cito, mox deinde cacatum
Dirigit inflatum, penetrando cibum veteratum.
Hoc medicamentum fert Laurens versificatum.

Laurentius hic fuit Medicus. Physicum vocat Joh. Smith in *Mantissa* ad opidum Batavorum.

CLXXVI.

De obitu Pyrrhi Magni ex veteri Chronico MS.

Ann. cIↃ. IↃ. xx. op den 28 October sterff binnen Sneeck den seer onvertsaechden stoutmoedigen helt GROOTE PIER, die veel loswaerdige feyten van wapenen ende stoutmoedige daaden na die crychsche maniere toe spreecken op ter zee tegens den Hollanders ende Osterlingen dickwils gedaen ende uytgevoert hadde, so dat sijnen naem niet alleen by den Hollanders, ende hier in 't lant, maer oock by den veeren uytheemschen bekant ende ontsien is geweest. Hy hadde een seer groot goet van sijne vyanden, ende van alle die by Hollant sich vervoegden vercregen ende gerooft, maer weynich tot sijns selfs voordeel, want soo geringe als hy met die buyte aen lant quam, wordet stracks van den Gelderschen Stadthouder voor prys gekent, ende gepart, also dat hy selfs het weynigste deel daer van kreech, want hy gelt noch goet maer sijn vryheyd ende sijn vyanden te krenken sochte, welcke vryheyd sy door den Hertoch

toch van Sassen ende hun eygen partyschappe quyt geworden waren, ende nu door den Hertoge van Gelder meenden weder toe vercrygen. Dan siende GROOTE PIER dat die Geldersche voornemen sulcks niet en was, heeft hy hem ten lesten stil gehouden, ende geens dincks meer willen bemoeyen, dan is korts daer na tot Sneeck gestorven ende begraven. Maer 't is beclaechlyck dat die vrienden van dien, die doch eensdeels mede uyt den Adel sijn, op sijn graf geen steen, epitaphium, ofte memorie van sijn grootmoedige daden gestelt ende geordonneert hebben, want hy sulcks niet min als de Sassensche Fox, die van den Groningers geslagen worde, soo men den crychschen handel ende daet sal prysen, verdient ende weerdich geweest hadde. Doch sal ick noch eenige stucken, so tot sijn welverdiende lof verkregen hebbe, hier by stellen, ende luyden epitaphiums wyse soo volgt:

Pyrrhus ego quondam dum vixi Martis alumnus
Strenuus in bello sævus in hoste fui.
Corpore magnus eram validum mihi pectore robur,
Et nituit late splendida fama mea.
Frisia me genuit, rapuit me Frisica tellus,
Hic Snecæ corpus, hic caro nostra jacet.
Bella tuli Batavis, præter quos ense subegi
Innumeros, pelago corpora viva dedi.
Qui ferro, flamma, nullo certamine victus
Crudeli fato raptus humi jaceo.

Aliud

Aliud de eodem.

Piet grandis , dum magna facit , fit Martis alumnus ,
Sed fuit agrestis, nobilitate carens,
Stirpe tamen promptus , quam Saxus sede movebat,
Et pelago Batavis hostis ubique fuit,
Perlege scripta virum , quam sit mirabilis ille
Unus ut e multis, vix tibi secla dabunt.
Abstinuit bello, cepitque labore quietem,
Per mare, per terras, liber ab hoste redit.

Aliud habet Winsemius *lib.* 14. *hist. in fin.*

CLXXVII.

Vita Elberti Leonini Gelriæ Cancellarii, quam ipse scribere olim orsus.

Quandoquidem de his qui in Repub. celebritatem aliquam nominis consequuntur, ac notabiliores fuerunt, postea cum in fata concesserunt, varii feruntur sermones & diversa judicia, operæ pretium duxi, ne vel immodicis laudibus benevolentium defunctus efferar, aut improborum seu errantium calumniis & opprobriis obruar, vitæ meæ rationem brevibus exponere. Natus Bommeliæ parentes habui cives mediocrium fortunarum, a quibus traditus fui scholæ Bommelianæ ad discendum elementaria literarum principia. Mox deinde destinatus Trajectum sub G. Macropedio operam dedi disciplinæ

plinæ Grammatices. Et cum circiter triennium egissem Trajecti, exorta fama instantis belli inter Carolum Ducem Gelriæ & domum Burgundicam commigravi Embricam, ubi per quadriennium sub Doctore Bredenbachio scribendis orationibus & carminibus feliciter exercitatus Lovanium profectus P. Nannium Profess. in Colleg. Tr. percelebrem audivi, & simul Jurisprudentiæ studiis vacavi, quibus eo usque processi, ut Ann. 1547. Licentiæ gradu insigniri meruerim. Suscepto gradu Licentiæ Atrebatum profectus Linguæ Gallicæ discendæ gratia, ubi per annum moratus sum. & inde reversus Lovanium duxi uxorem filiam quondam Clarissimi viri & primarii juris civilis Professoris Johannis Hasii, cujus præclara commentaria cum v. voluminibus Consiliorum apud me sunt, quæ typis excudi Reipub. interest. Biduo post nuptias meas & ipso tempore nuptiarum decessit eximius Doctor & Canonum Professor primarius Dominicus Cacart, tutor uxoris meæ, tunc sponsæ & nuptiarum conciliator, & cum statim in ejus locum ad primariam Canonum cathedram D. Volmarus Becaarts suffectus esset, atque ita pomeridiana cathedræ lectio vacaret, ego adhuc sponsus a magistratu Lovaniensi ad ipsam Professionem vocatus fui. Atque ita Doctoralia suscepi insignia, a quo tempore celebritatem aliquam nominis consecutus fui ex docendi officio & frequentia respondendi de juris quæstionibus, quæ ex omnibus partibus plures adferebantur, tunc adhuc superstite celeberr. & consultiss. D. Gabriele Mudæo primario Legum Professore, quo de-

Vid. Reydan. 1. *hist. in fin.*

decedente Ann. 1560. ad primariam cathedram juris civilis ſuffragio omnium Ordinum Lovanienſium aſſumptus fui, ac deinde majorem nominis ac famæ celebritatem conſecutus in univerſum fere & ab omnibus Principibus & magiſtratibus Belgii honoratus fui. Gratus inſuper Duciſſæ Parmenſi, Cardinali Granvellano, Principi Auraico, Comiti Egmondano, Carolo Brinæo Compegenſi, ac inprimis illuſtriſſimo Philippo Duci Arſchotano, qui omnes quamvis inter ſe graviſſima exercerent odia, tamen omnia ſua negotia, etiam ſecretiſſima, & ipſorum querelas, quas fovebant inter ſe, mihi utrimque libenter communicabant & credebant, nec interceſſionem meam repudiabant, in qua re qua ſecuritate, quo ſtudio, qua fide & diligentia verſatus ſim, ſi homines alii propter præventam opinionem & propriæ exiſtimationis periculum, alii propter alias cauſas ignorant, Deus inſpector animorum novit, & mihi ampliſſimum theatrum eſt conſcientia, & affirmare poſſum nullum ſtudium ad reconciliationem idoneum prætermiſſum, ſed pertinax & induratum inter eos odium impedimento fuiſſe ex immutabili neceſſitate fatorum; quæ vices humanarum rerum verſant, & a quibus ſequentes Belgii turbæ proceſſerunt. . . . . Poſt multa: Cauſæ quæ me moverunt ad remanendum cum Ordinibus hæ fuerunt. Primo, quia eram conſilii Status, & præcipua negotia Reip. concredita notaque habebam, infidum exiſtimabam illa prodere, & tranſire in alteram partem. Secundo, Solonis dictum & conſilium ob oculos habe-

habebam, quod bonus vir in civilibus dissensionibus partem eligere debet inferiorem & magis periculosam. Tertio quia fides, quam apud Principem habebam, mihi spem dabat adhuc † procurandæ alicujus bonæ concordiæ. Quarto quia propter nimiam benevolentiam & familiaritatem cum Principe Auraico in suspicionem veneram apud Regios & etiam Regem ipsum molitionis contrariæ, & quod perniciosius seditiosorum consiliis consentirem, quod a me fuit alienissimum. Quinto accessionis loco me movit possessio bonorum & commoratio omnium liberorum meorum in his ditionibus. Et quanquam ante Johannis Austrii tempora præcedentibus civilibus dissensionibus multa acerba & pene intolerabilia mihi contigerunt, quæ etiam cordati hominis patientiam excutere potuissent, nihil tamen motus progressus contendi quantum potui omnibus moderationem adhibere, & mala diminuere summa fide constantissime procuravi &c. Legationibus * functus sum pluribus, iisque magnis, gravibus,

† Reydan. lib. 1. hist. in fin. *In 't jaer 1575. doen Graef Gunther van Swartzenburch des Princen Swager gecomen was met credens van den Keyser, om den vrede te bemiddelen, heeft Leoninus door last des Commandeurs noch eens aen den Prins ende Staten dese twee articulen voorgestelt, dat de Coninck gedogen soude vryheyd van beyde Religien, met restitutie van Roomsche Kercken, ende met eenen consenteren generalen stilstant van wapenen &c. Die Prins ende die Staten van Hollant waren tot beydes geneygt. Ende Leoninus sijn rapport doende waren Arscot, Barlamont, Assonville, van gelycke meyninghe. Maar Don Lowys, Hieronymus Roda, ende Rassingen, stemden ende besloten contrary. Dus continueerde den Krygh.* Add. Brant. 1. hist. 11. p. 558.

* Extat oratio ejus, quam Legatus habuit ad Regem Galliæ, apud virum Clarissimum Everh. Reydanum *lib.* 4. *hist.*

vibus, & periculoſis &c. Magna fuit pacis adverſitas, quod Rex tempore Ducisſæ Parmenſis, cum omnes Principes aurei velleris & nobiles trepidarent, & iram Regis perhorreſcerent, tolerabili moderatione placitorum criminalium non admiſſa, illos ad reconciliationem admiſit &c. Poſt diſceſſum Archiducis Matthiæ ordinatus fui Cancellarius Gelriæ, & interim manſi Conſiliarius Status, & omnes meas actiones in eum ſcopum direxi, ut ſalva eſſet Reſpubl. & cujuſque conſcientia, ſublato metu crudelis inquiſitionis & ſanguinolentorum mandatorum principalium, in quo conſiſtebat ſtudium Principis Egmondani & aliorum procerum Aurei velleris, ſi Rex exorari potuiſſet. . . . . Poſt obitum Principis ad ſubeundam Legationem Gallicanam cum aliis invitus ſum exſtruſus, & in obeunda dicta Legatione multa habui incommoda, & inſtante urgenteque majore parte Collegarum orationem habui ad Regem, & verba feci in communicationibus ſuper delato Principatu Belgii habitis, & quanquam Rex præventus ſtudiis & armis Guiſianorum ſe excuſaret pro illo tempore a ſuſcipiendo delato Principatu & defenſione Belgii, ſatis tamen manifeſtam demonſtrationem propenſæ voluntatis indicabat, ita ut apud me ex illo tempore dubium non fuerit, quin prima quaque occaſione in noſtras partes declinaret, & Hiſpanis adverſaretur; id quod etiam fiebat probabile, quia cum poſſet nos hortando ad pacem & intercedendo pro reconciliatione ſummam gratiam inire, & Belgii provincias ad pacem commovere,

nul-

nullum prorſus de pace ſermonem adhibuit, ſed a Regina Angliæ ſuppetias petendas admonuit, & ita nos dimiſit donata unicuique catena aurea &c. Poſtea cum actum eſſet cum Regina Angliæ, & Comes Leiceſtrius ut Gubernator ſuperveniret, mihi Ordinum nomine congratulationes & orationes ſcribendæ fuerunt, magnoque ſumptu & ſtudio colui familiaritatem cum præcipuis Angliæ proceribus, illoſque ad modeſtæ gubernationis ſtudium una cum Leiceſtrio commonere ſemper laboravi: Ubi autem apud Dn. Johannem Auſtriacum & deinde apud Archiducem Matthiam, in quo ſolo pura conſilia viguerunt, laboraveram, & ab ipſo Leyceſtrio in conſilio retentus fui, eumque fideliter & libere de omnibus admonui, quæ ad Rempubl. pertinerent, ſed aliorum perſuaſionibus circumventus & deceptus ad bene agendum moveri non potuit, ideoque & breve imperium habuit & infelicem exitum &c. Senio confectus (1596.) revolvo pleraſque actiones vitæ præteritæ, atque animadverto laborioſam vitæ meæ conditionem multis periculis obnoxiam me tranſegiſſe, & vana inaniaque eſſe ſtudia, quæ homines moliuntur, nec eſſe in poteſtate mortalium, ſed in ſola majeſtatis divinæ potentia de Imperii & Reipubl. ſtatu decernere, periculoſiſſimam quoque eſſe eorum vitam, qui ſincere Reipubl. inſerviunt, & bona fide in Principum negotiis verſantur. Quanquam autem plurimum temporis & moleſtiarum in Reipubl. negotiis conſumpſi, laboravi tamen ſemper aliquid mihi otii parare recolendis meis ſtudiis. Eoque tempore quo a

publicis curis libertatem habui, conſcripſi libros Emendationum, tam juris civilis quam Canonici, quos ſpero heredes meos diligenter adſervatos ſuo tempore prælo commiſſuros. Paravi quoque Commentarios in V. VI. VII. VIII. libros Pandectarum, quos editione non indignos judico. Superſunt adhuc duæ centuriæ Conſiliorum, quæ prælum expectant. Denique relinquam quatuor magna volumina Conſiliorum Soceri mei Johannis Haſii præſtantis Icti, utiliſſima Practicis Belgicis, quæ opto aliquis meorum poſterorum in manus ſumat; excolat, & tandem in publicum emittat. Quod a me ſæpe tentatum, ſed ſemper propter incidentia graviora negotia impeditum fuit, & nunc in extremo ſenio a me fieri non poteſt. Relinquo etiam annotationes, quæ hiſtoriam præteritarum turbarum reſpiciunt, ex quibus particulares aliquot notæ deſumi poſſunt ad perfectiorem hiſtoriæ concinnationem. Et quoniam religionis controverſia totam Rempubl. perturbat, qui omnia ſcrutaretur, inextricabiles controverſias ſuſciperet. Ego ſimplicem religionem amplectendam ſemper prædicavi, & etiam nunc prædico, prorſus divina & humani ingenii captum excedentia divinitati & ſecreto Dei & Angelorum judicio relinquens, honorandam potius & admirandam divinitatem quam definiendam judicavi. Enixe laboravi, ut nimium ſubtiles diſputationes e Repub. ejicerentur, de quo memini in oratione ad Ordines habita, quæ poſt primam centuriam conſiliorum meorum impreſſa eſt. . . . . .

Obiit

Obiit Arnhemi cum attigisset ætatis annum LXXIX. Ann. CIↃ. IↃ. XCVIII. Gelriæ factus Cancellarius Ann. CIↃ. IↃ. LXXXI. De religione interrogatus fertur respondisse in modum quem expressit hic. Verba ita concepit Belgice Brant I. *hist*. 16. *p*. 842. *Ick heb altijd geseyt en segt oock noch, dat men de Religie, die eenvoudich is, moet aannemen. Saecken die geheel godlyck sijn, en 't begryp van 't menschelyck verstant te boven gaan, moet men 't verborgen oordeel Gods en der Engelen bevelen. Ick heb geoordeelt, dat men de Godtheyt in plaats van se te bepalen, liever moet eeren, en sich daer over verwondernn. Met al mijn macht heb ick gearbeyt om d' al te spitsvindige disputen uyt de Republyck te doen uytwerpen.* Filium habuit Gisbertum, virum fortem, ac strenuum, qui gloriose pro patria cohortis pedestris Dux in prælio cum Hispanis apud Liram occubuit. Hooft. *lib*. 20. *hist*. Tulit fortiter Elbertus animo nequaquam fractus, nuncianti id tantum dicens; *Sciebam eum me genuisse, qui & tandem moriturus.* Hooft *ibid.*

SEQUUNTUR QUINDECIM TESTAMENTA.

Seculo XIII. & initio sequentis scripta.

Una cum Notis.

I.

Testamentum Theodorici presbyteri in Akersloet.

Ann. CIↃ. CC. XC.

Universis præsentia visuris & audituris Theodoricus presbyter in Akersloet Salutem & noscere veritatem. Noverint universi, quod ego

Theodoricus prædictus compos mentis meæ in remedium peccatorum meorum, Magistri Arnoldi & aliorum parentum meorum, & benefactorum, & ut nobis Deus indulgeat, si ego vel parentes mei aliqua habuimus minus justa, viva voce, manu Tutoris mei in Akersloet Gerardi filii Amelburgi, voluntate pariter & consensu Bartholomei fratris mei & sororum mearum, qui bona subsequentia ore & manu, quantum eorum intererat, resignaverunt coram Gerardo Bertoud judice & aliis quamplurimis clericis, laicis, & vicinis ordinatione testamentali disposui, & legavi Deo, sancto Adelberto, Conventuique ipsius in Eckmonda terram jacentem in Ackersloet, quæ vulgariter *Acht-gerden* dicitur, cum mansionibus in ea sitis. Item septem pascua jacentia ibidem, quæ emi contra Florentium de Scoten fratrem Domini Theodorici de Brederode militis, & Brechtam sororem ipsius, ad quam ipsa pascua hereditario jure erant devoluta. Item sex jugera Teutonice *Maden* dicta juxta Bucsloot. Item aream in Heemskerck, ubi personaliter mansi prius. Item quinque jugera in Haymont, quæ erga Theodericum de Wyck meum consanguineum denariis meis emi. Item duos agros in Wyck cum mansione ibidem, quos sorores meæ possident, ad usus Conventus post mortem ipsarum, simili modo lego, reservato tamen Bartholomeo fratri, quod de his jure poterit impetrare. Tali conditione, quod dicta bona scilicet terram & mansiones Dominus Abbas Egmondensis cum saniore parte Conventus sui vendere

vel

vel mutare poterit pro ipsius libito voluntatis, & inde redditus comparare, qui redditus quamdiu vixero usibus meis cedent. Post mortem vero meam redditus cum centum libris comparandi Aleydi, & Hasekinæ sororibus meis, Mabeliæ filiæ Arnoldi fratris mei, Wilhelmo filio Bartholomei fratris mei, annis singulis, quamdiu vixerint, tribuentur, & partiri debent æqualiter inter ipsos. Quicunque autem aut aliquis dictarum moritur personarum pars bonorum illius, qui moritur, ad monasterium antedictum sine contradictione alicujus debebit evenire, quousque ad ipsum monasterium omnia integraliter devolvantur. Cæterum post mortem meam octo libræ de residua parte reddituum emendorum debent tradi ad altare ipsius monasterii annuatim, ubi pro anima mea, Magistri Arnoldi, & benefactorum dicti monasterii & meorum missa cotidie celebretur. Et quicquid de redditibus antedictis excrevit ad karitatem Conventus ibidem servientium irrogari debet, ita tamen, quod die anniversarii mei ex residuis redditibus Conventui una marcha sterlingorum ad pitantiam conferatur, ut tam præsentes quam futuri pro anima mea, Magistri Arnoldi, & aliorum fidelium defunctorum devotiores preces fundant, Hæc autem omnia & singula propono, cupio, & promitto inviolabiliter observare. Testes hujus rei Arnoldus de Velsen, Gerardus de Rininghen monachi, Wolterus Zoet, Arnoldus de Minden presbyteri, Gerardus Bertoud, & Ziric frater ejus, ac plures alii. In cujus rei testimonium istam cartam sigilli mei,

Gerardi Personæ in Velsen Provisoris Kennemariæ, & Gerardi Bertoud munimine roboravi. Datum octava Epiphaniæ M. CC. XC.

Habet Lector, quod notet hic: Quod quamvis scilicet monachi non possint facere testamentum *cap. cum olim ext. de privil.* reliqui clerici tamen possint *c. licet c. episcopi c. sint manifestæ 12 qu. 1.* Bald. *ad l. 4 C. comm. de success.* Quod dicatur testamentum, quamvis heres in eo nullus. Quindecim hic testamenta. Solum decimum tertium, in quo facta est institutio. Quod testamentum subsistat, quamvis desit Notarius, *l. 88 §. ult. ff. de leg. 2.* Quod etsi ad pias causas duo testes sufficiunt, *cap. relatum ext. de testam.* plures tamen adhiberi possint, & tot, quot quis vult. Quod qui executores testamento constituti admissi etiam ut testes; & quod rogatu testatoris, postquam is id signasset, subsignatio ab his facta.

Manu tutoris mei. Presbyter olim nemo, nisi annos natus XXXV. *nov. 123. cap. 1. §. 1.* Sed ambitio postquam præpotens sensim abiit id in desuetudinem.

II.

Testamentum Margaretæ viduæ Rudolfi Poschs.

Ann. CIↃ. CC. XCII.

Omnibus præsentes literas inspecturis, Ego Margareta relicta Rodolfi Poschs civis Trajectensis notum facio, quod de fundo seu hereditate mea dicta *Heylighe leven* sita ex opposito albarum dominarum in Trajecto ex consensu Tutoris mei sic ordinavi quod perpetuo durabit. Inprimis volo quod devotæ matronæ quæ *Baghine* vocantur continenter ibi maneant tantum sub obedientia in veste religiosa, de quibus si ali-

aliqua infamiam incurrit publicam in ecclesiis, & in plateis, a consortio aliarum est amovenda, salvis sibi rebus suis. De quo fundo similiter & de domibus ibidem, siquas ad dictum fundum contigerit pertinere, quicquid donari poterit lego & confero fratribus Prædicatoribus, fratribus minoribus Trajectensibus, monialibus vallis sanctæ Mariæ, & albis dominabus prædictis æqualiter dividendum, ita tamen quod Priorissa albarum Dominarum, quæ fuerit pro tempore, congreget censum dicti fundi, de quo tres solidos Hollandenses sibi specialiter retinebit pro labore suo. Quod residuum fuerit distribuetur æqualiter dictis locis ad pitantiam in memoriam mei & meorum amicorum. Actum coram Nicolao Sculteto de Alduica, præsentibus Simone, Johanne, & Willelmo Gouburgis filio vicinis ibidem & pluribus aliis fide dignis, In cujus rei testimonium nos Decanus & Capitulum ecclesiæ S. Johannis Trajectensis ad preces dictæ Margaretæ sigillum nostrum apposuimus huic scripto. Datum anno Domini CIↃ. CC. XCII. sabbatho ante Michaëlis.

Ex consensu Tutoris mei. Fœminæ olim erant in tutela perpetua. Ulpian. *in fragm. tit de tutel. & tit. de testam.* Recidebat quidem nupta, si convenisset in manum, in potestatem mariti. Boeth. *ad Cicer. in topic.* Sed tum datus tamen tutor testamento mariti, aut data alioquin facultas marito mortuo eligendi tutorem quem vellet. Liv. *lib.* 39. *cap.* 19. *Utque Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset.* Cuj. 7. *obs.* 11. Jac. Guther. *de jur. Pontif. lib.* 2. *cap.* 7. Atque ita jure veteri, quod passim media ætate rursum usu

receptum. Qua nec mulier obligari, nec testamentum potuit facere, si tutor non esset auctor. Weichbild Magdeburgense apud Goldastum *to* 2. *const. imp. part.* 3. *art.* 65. *Nemo masculus neque ulla fœmina possunt in lecto ægritudinis de bonis suis alicui quicquam dare, ultra tres solidos, absque heredum consensu. Nec mulier quicquam dare potest sine consensu mariti.* Statutum vetus Ultrajectinum Ann. 1342. *Ene weduwe ofte ene Joncfrou die haer selven mannet tiegen goetdunken ende wille hoers mombaren, ofte hore maghe, die verboert alle dat goet, dat sy binnen Utrecht heeft, ende dat men hoer sculdich is &c.* Charta apud Lindeborn. *notit. episc. Daventr. cap.* 2. § 1. *Anno a nativitate Domini* CIↃ. CCCC. XLVIII. *in mei Notarii publici testiumque infras. &c. præsentia personaliter constituta honesta matrona Domina Ludekina relicta quondam Alberti Jarici militis una cum discreto viro Magistro Joanne Elzing Decretorum Doctore ejus tutore sive curatore &c.* Unde & illud frequens, & diu deinceps usitatum, ut quamvis tutor non datus, in omni tamen actu, qui alicujus momenti, electus, cujus interventu actus plenam haberet vim. Donec tandem & id desiit. Charta apud eundem *d tr. cap.* 7. §. 1. *Ann* 1462. *una cum Arnoldo Tilmanni laico, oppidano Zwollensi earum mamburno seu tutore, quem unanimiter elegerunt in hac causa, me præsente &c.* Charta Ann. 1386. apud Hedam *hist. Ultraj. p.* 264. *Nos itaque receptis primo a Goeda legitima conjuge Bernardi Proeys cum manu tutoris sibi ad hoc deputati &c.* Add. Miræ. 2. *don. Belg.* 105. Carpzov *jurispr. for. part.* 2. *const.* 2. *def.* 15. & 20. Goris *advers. tr.* 3 *part* 2. *cap.* 6.

Quæ Beghinæ vocantur. Beghinæ a S.Begga Pipini Landensis filia, si audiamus Miræum lib. 1 *don. Belg. cap.* 112. Si Magnum Chronicon Belgicum, a Lamberto quodam Begghe. De quo loquens de Radulpho episcopo Leodiensi Chronici ejus Auctor ad Ann. 1168. *Radulphus ille*, inquit, *præbendas & beneficia per Udelinum carnificem vendebat, ad quem propter hæc multi confluebant, contra quod homo quidam publice prædicavit, & quidem sine*

sine malitia. Vocabatur ille Lambertus Begghe, a cujus nomine adhuc Beghinæ vocantur, quia primus invenit ordinem Beghinarum, & eis primus castitatis normam verbo & exemplo prædicavit. Mutare his vitæ institutum & transire ad nuptias passim licuit. Miræ. *ibid.* Unde & odiosum & decretis Pontificum Bonifacii VIII. & Joannis XXII. etiam prorsus damnatum. Car. du Fresne *gloss. in Beghinæ.* Reines. *ad Daumium epist.* 107.

III.

Testamentum Stephani ecclesiæ Trajectensis Decani scriptum

Ann. cIↃ. cc. xcv.

In nomine Domini Amen. Universis præsentia visuris Stephanus Dei gratia Decanus ecclesiæ Trajectensis salutem in Domino, qui est omnium vera salus. Cum nihil certius morte hora autem mortis incerta existat, ego Stephanus Decanus prædictus considerans fragilitatem humanæ conditionis, & metuens diem extremum imminere mihi, per Dei gratiam tamen compos mentis meæ licet debilis corpore viros discretos *Giselbertum* dictum *ultra Vecht* sancti Johannis, *Baldewinum* sancti Salvatoris, *Theodoricum* dictum *Ere* sanctæ Mariæ, *Henricum* dictum *de Boicholt* sancti Petri, *Suederum* ac *Stephanum* dictum *de Vyanen* majoris, ecclesiarum Trajectensium Canonicos, nec non *Theodericum* dictum *Gruve*, Capellanum Imperii, in ecclesia majori prædicta, meos eligo, constituo, & ordino manufideles & executores testamenti, ut si me mori contingat, ipsi de rebus meis omnibus & singulis secundum

dum mandatum eis injunctum ordinent & dispo-
nant, condens testamentum meum seu ultimam voluntatem in hunc modum, Inprimis do lego ecclesiæ meæ majori prædictæ redditus duarum librarum annuatim vel viginti libras pro ipsis redditibus. Item ecclesiæ sancti Petri redditus triginta solidorum vel quindecim libras pro ipsis redditibus. Item quinque libras ad structuram ipsius ecclesiæ. Item ecclesiæ sancti Johannis redditus xx. solidorum, vel x. libras pro ipsis redditibus præter redditus xx. solidorum, quos dedi dictæ ecclesiæ pro memoria patris & matris meæ. Item ecclesiæ sanctæ Mariæ redditus triginta solidorum vel quindecim libras pro ipsis redditibus comparandis pro memoria mea in ecclesiis prædictis in anniversario meo perpetuo facienda, & inter præsentes in choro, in vigiliis, & in missa distribuendis, prout præsentiæ distribui solent. Item do lego fratribus domus sanctæ Catharinæ in Trajecto redditus x. solidorum ad opus infirmorum. Item fratribus domus Teutonicæ juxta Trajectum redditus x. solidorum. Item Canonicis Regularibus in Trajecto tantum. Item Conventui sancti Stephani in Oudwica tantum. Item Conventui Dominarum in Oistbroic tantum. Item Conventui albarum Dominarum in Trajecto tantum. Item fratribus Prædicatoribus in Trajecto tantum. Item fratribus Minoribus in Trajecto tantum. Item Beghinis in Curia tantum vel cuilibet cœnobio prædicto quinque libras pro ipsis redditibus comparandis ad pitantiam pro memoria mea in an-

anniversario meo in perpetuum ab ipsis facienda Item domui leprosorum redditus quinque solidorum vel quinquaginta solidos pro ipsis redditibus ad pitantiam dictorum leprosorum in anniversario meo. Item do lego Abbatissæ sancti Servatii viginti solidos denariorum. Item *Juttæ* de *Bosinchem* ibidem tantum. Item *Juttæ* de *Marsen* ibidem decem solidos. Item nepti meæ filii Wilhelmi de Reno apud albas Dominas viginti solidos denariorum. Item fratri *Jacobo* Priori Prædicatorum in Trajecto triginta solidos denariorum. Item fratri *Alexandro* Canonico Regulari duas libras denariorum pro salute animæ meæ. Item do lego aream meam jacentem apud sanctum Petrum ad Capellam sanctæ Mariæ Magdalenæ sitæ in ambitu ecclesiæ beati Petri prædictæ. Et volo quod redditus de dicta area provenientes tam diu ad structuram & reparationem dictæ Capellæ per Decanum ejusdem ecclesiæ & Henricum de Bocholt ponantur, quo usque sacerdos, qui eam adeptus fuerit, celebret in eadem. Item do lego sex libras Lovanienses, in quibus mihi Tydemannus dictus Tydecone manens apud Zutphaniam tenetur ad structuram ipsius Capellæ pro salute animæ meæ. Item do lego *Henrico* dicto *de Bocholt* prædicto domum meam quam inhabito cum omnibus suis attinentiis. Item *Stephano* cognato meo *de Scalcwyc* unum jurnalem jacentem in Galencoep. Item *Jacobo* fratri dicti Stephani quinque libras denariorum. Item *Huberto* coquo famulo meo areas meas sitas in Bosinchem,

chem. Item *Arnoldo de Xanctis* famulo meo culcitram unam cum duobus linteaminibus. Item *Neudekino* servo meo viginti solidos denariorum & decem ulnas panni lanei ad vestes. Item *Johanni* servo meo tantum. Item servo meo dicto *Say* decem solidos denariorum & sex ulnas panni lanei ad tunicam. Item *Frisoni* servo meo tantum. Item volo quod lotrici provideatur. Deductis autem ante omnia expensis exequiarum mearum, & debitis meis etiam prius persolutis. De aliis omnibus quæcunque relinquo vel quæ mihi debentur ex quibuscunque personis committo dispositioni & ordinationi manufidelium meorum, ut ipsi faciant & disponant de eis, prout saluti animæ meæ viderint expedire, & quod inde dignam Deo possint reddere rationem. Et si omnes executioni prædicti testamenti mei interesse nequiverint, volo quod factum illorum qui præsentes fuerint firmum & stabile permaneat, rogans prædictos manufideles, ut ipsi propter Deum velint exequi omnia & singula supradicta. Et ut hæc rata maneant & firma præsens scriptum de mea certa scientia fieri feci & sigillo meo proprio una cum sigillis manufidelium meorum prædictorum sigillari. Et nos manufideles prædicti sigilla nostra ad preces dicti Domini Stephani Decani in testimonium præmissorum duximus apponenda. Actum & datum Trajecti Ann. Domini M. CC. nonagesimo quinto in crastino divisionis Apostolorum.

Decanus ecclesiæ Trajectensis. Inter ceteras Ultrajecti quinque ecclesiæ collegiatæ. Sed quoties nomen non addi-

additur, major semper intelligitur, S. scilicet Martini, seu templum Dominicum. Unde & illud mox, *majori meæ ecclesiæ prædictæ &c.* Vid. *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 30. ut & *seq. testam.*

Capellanum Imperii. Olim etiam Cæsar Canonicus Ultrajecti. Nec id infra dignitatem aut majestatem Cæsaream. Cæsar Romæ etiam, Argentorati, & Aquisgrani Canonicus. Canonicus S. Petri Romæ simulac coronatus. Æneas Sylvius *rer. a Frideric. III. gestar. cap.* 80. *Alba indutus in Canonicum S Petri recipitur.* Late de eo Surius *ad Ann.* 1530. Sed Cæsar, cum esset absens, præbendam dabat Ultrajecti duobus Capellanis, qui pro salute ipsius & imperii Deum jugiter exorarent Capellani hi Imperii. Præbendarii Imperii. Vid. *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 48.

In anniversario meo. Solennis erat dies, & quotannis recurrens, sacris precibusque pro defuncto faciendis. *Jaergetyde.*

Fratribus domus S. Catharinæ. Hi equites Johannitici, qui Hierosolymis Rhodum, Rhodo autem capta, commigrarunt Melitam. Unde & equites Rhodii, equites Melitenses. Johannitici, quod patronum S. Joannem Baptistam adoptassent. Miræ. *de orig. ord. equestr. cap.* 2. In hos, cum devovissent se pro Christo adversus Turcas, quo promtius militarent, & semper essent ad manum iis belli subsidia, opes passim per Europam congestæ invidendæ. Qui eas administrarent, & in bellum sumptus suppeditarent, ubique ex eo ordine. Etiam Ultrajecti. Ubi domus iis & templum ad portam S. Catharinæ, eo nimirum loco, ubi postea arx Vredenburch. Propter jus fraternitatis, & quod passim ut fratres communiter habitabant, etiam *fratres* vulgo dicti. *Fratres militares* in charta Ann. 1458. Οἱ τῆς Ῥόδου φρέριοι est apud Ducam *cap.* VII. *hist.* ἔρχονται ἀπὸ τῆς Ῥόδου φρέριοι *ibid. cap.* 13.

Fratribus domus Teutonicæ juxta Trajectum. Olim domus Teutonica extra urbem Ultrajectum. Unde & passim in chartis, *extra muros Trajectenses, apud mu-*

muros Trajectenses, ut & *juxta Trajectum*, quemadmodum hic. *Buten de mueren der Stadt Utrecht*, in charta Ann. 1317. 1248. &c. Sed cum urbem obsidione Comes Hollandiæ Wilhelmus IV. cinxisset, domo diruta ac dissipata, in urbem equites commigrarunt, & eam ibi ædificarunt, tractatu habito cum episcopo, quæ jam conspici adhuc potest, Ann. 1346. Constat abunde id ex anni ejus charta: *In nomine Domini Amen. Johannes Dei gratia episcopus Trajectensis ad perpetuam rei memoriam. Pateat universis, quod cum domus hospitalis beatæ Mariæ Teutonicorum olim juxta muros Trajectenses cum ecclesia & officinis ejusdem destructa & penitus dissipata noscatur, nec propter certas & rationabiles causas nobis & successoribus nostris, & Civitati nostræ Trajectensi, ac Provinciali, & fratribus dicti Conventus expediret, immo periculosum foret, si dicta Domus restauraretur ibidem, Nos ad honorem Dei, Provinciali & fratribus dictæ domus, pro certa pecuniæ quantitate nobis persoluta, & in usus mensæ nostræ episcopalis conversa, vendidimus, & occasione hujusmodi venditionis dedimus & tradidimus prædium sive aream &c. situm seu sitam in civitate Trajectensi prædicta in loco dicto Sprinckwyck inter viam sive Stigam Capituli ecclesiæ S. Mariæ ex una parte, nec non aream Johannis de Lanscroon civis Trajectensis ex altera &c. ad finem, ut Provincialis & fratres prædicti &c. in eodem prædio ecclesiam, Capellam, & officinas pro conventu necessarias, cum eis placuerit, construendi, cœmiteriumque & sepulturam liberam, cymbala & campanas habendi &c. habeant facultatem &c.*.

Ad pitantiam. Potior quædam portio hæc cibi potusque. *Pitantia* a *pitissando*, quasi dicas, *pitissantia*. Chronic. Windesemens. *lib.* 2 *cap* 46. *in fin. fratribus in refectorio vinum & pitanciam a Priore nostro &c. de gratia speciali impetrando &c.* Vita S. Willibaldi: *Obtulit Deo & S. Bonifacio, cujus ipse quondam fidelis erat discipulus, fratribusque suis Fuldensibus in oblatione villam Kuchese nuncupatam, in pago Sualefeldensi sitam, ut annuo censu Fresones pro sui commemoratione con-*

consolationem, & oblectationem, & pitantiam haberent.

Unam jurnalem jacentem in Galencoep. Jurnalis idem quod jugerum. Donationes Salisburgenses apud Canis. *cap. 12. Severinus quidam dedit jurnales sex.*

IV.

Testamentum Wonnæ viduæ Johannis Sophiæ civis Trajectensis

Ann. cIↄ. cc. xcvii.

In nomine Domini Amen. Cum mori necesse sit, hora autem mortis incerta, ego Wonna relicta quondam Johannis Sophiæ civis Trajectensis, per Dei gratiam compos mentis meæ, licet languens corpore, volens animæ meæ saluti providere testamentum meum seu ultimam voluntatem meam ordino & facio in hunc modum. Inprimis lego ecclesiæ beati Petri Trajectensis nonaginta libras usualis monetæ ad redditus comparandos, de quibus inter ipsius ecclesiæ Canonicos decem solidi in anniversario meo singulis annis æqualiter distribuantur. Item de eisdem redditibus assigno majori ecclesiæ redditus decem solidorum. Item ecclesiæ S. Salvatoris redditus quinque solidorum. Item ecclesiæ S. Johannis Trajectensis. Item ecclesiæ beatæ Mariæ Trajectensis. Item Rectoribus & Capellanis civilis ecclesiæ Trajectensis ad perpetuam mei memoriam in anniversario meo singulis annis faciendam. Item de eisdem redditibus redditus quinque solidorum ad fabricam dictæ civilis ecclesiæ assigno. Totum autem quod superfuit assigno ad dotandum

dum novum altare conſtructum in prædicta eccleſia beati Petri in honore beati Chriſtophori ad meam & quondam Domini Johannis Sophiæ mariti mei ſupradicti perpetuam memoriam faciendam, per perpetuum Vicarium miſſam ibidem ſingulis diebus celebrando, quem Vicarium per Dominum Johannem dictum Cockaert nepotem meum ejuſdem eccleſiæ. . . . . . . Poſt mortem vero ipſius Dn. Gerardi ad duos ſeniores ſacerdotes, qui pro tempore de Capitulo ipſius eccleſiæ fuerint, dicti altaris collatio devolvatur. Has nonaginta libras recipi volo a Domino *Theoderico* dicto *Vrencken*, Scabino Trajectenſi, cum ipſe mihi ſit in ipſa pecuniæ ſumma ex cauſa mutui obligatus. Quas etiam dandas aſſignavi *Giſelberto* dicto *Vrencken*, & *Gerardo* dicto *Vrencken* fratri ſuo, tali conditione videlicet, quod dictam ſummam pecuniæ ſine contradictione debebunt dare & exponere, ubicunque locorum darem vel legarem eandem, Rogans humiliter Prælatos & Capitula eccleſiarum prædictarum, ut ad hoc una cum executoribus teſtamenti mei ſubſcriptis laborare dignentur, quod dicta ſumma pecuniæ in animæ meæ remedium legata a dicto Domino Theoderico & ejus filiis integraliter perſolvatur. Item lego *Giſelberto* dicto *Vrencken* duas partes domus meæ cum omnibus utenſilibus domus meæ. Item tertiam partem prædictæ domus meæ lego *Odæ* ancillæ meæ & Henrico ejus filio. Item lego prædictæ *Odæ* & ejus filio decem libras, quas volo per Dn. *Johannem* dictum *Cockart* recipi, & eis cum

indi-

indiguerint ministrari. Item lego *Sophiæ Beghinæ* tres libras pro exequiis meis faciendis, quas apud fratres Prædicatores fieri volo. Item lego fratri *Nicolao* dicto *Raes* decem solidos. Item fratri *Jacobo de Trajecto* quinque solidos. Item conventui ibidem unam libram. Item fratribus minoribus unam libram. Item pauperibus Beghinis XII. solid. Item *Elsabæ* dictæ de *Suaen* x. solid. Item Conventui albarum Dominarum x. sol. Item *Elburgi* nepti meæ moniali ibidem quinque sol. Item *Sophiæ de A* quinque solidos. Item *Arnoldi* de *Diemen* decem sol. Item Dominæ *Arnoldi* & *Theodorico* ejus filio decem solidos. Item infirmis apud sanctam Katarinam quinque solid. quos per executores testamenti mei distribui volo inter ipsos. Item Conventui S. Servatii x. solidos. Item Hildewardi moniali ibidem quinque solid. Item Johanni dicti Duppen & matri suæ decem sol. Item Machteldi dictæ *Regherin* quinque solidos. Item leprosis quinque solid. Item Sophiæ relictæ Jacobi Laurentii x. sol. Item pro cruce mea redimenda unam libram, quam apud fratres Prædicatores volo poni. Item *Wonnæ* nepti meæ uxori Tidemanni de Covelwade unam libram. Item Sophiæ sorori suæ unam libram. Hæc legata volo de bonis meis in Suecerenghe sitis per executores testamenti mei subscriptos adimpleri. Item lego *Wonnæ* nepti meæ moniali S. Servacii redditus unius libræ de Scuppa recipiendos, quoad vixerit, qui post mortem suam ad heredes meos libere revertentur. Ad cujus testamenti mei executionem

nem eligo & nomino manufideles meos discretum virum Dominum *Johannem* dictum *Cockart* Canonicum prænominatum, & *Giselbertum* dictum *Vrencke* laycum supradictum, Rogans eos ut propter Deum exequi velint supradicta. In cujus rei testimonium præsens testamentum feci sigillo Venerabilis viri Domini Officialis Curiæ Trajectensis, quo utor in præmissis, cum proprium sigillum non habeam, & sigillis executorum testamenti mei, quæ apponi rogavi, in testimonium communiri. Et nos Officialis Curiæ Trajectensis. Johannes dictus Cockart Canonicus, ac Giselbertus dictus Vrencken prænominatus ad preces dictæ Dominæ Wonnæ sigilla nostra duximus in testimonium præsenti literæ apponenda. Datum anno Domini cIↃ. CC. XCVII. in crastino beatorum Viti & Modesti.

Rectoribus & Capellanis civilis ecclesiæ Trajectensis. Civilis ecclesia est, quæ vulgo *de Buyrkerck.* Popularem vocat Snoyus *lib.* 14. *hist.* Templum civicum Hortensius *lib.* 2. *& lib* 3. *hist.* Civilis quod vulgo in ea civium conventus. Convenire in id solita collegia mechanica. In ea civium Comitia. In ea facta plebiscita. *Buyrkerck*, quod vicina majori ecclesiæ. Vid. *lib.* 2. *de Nobil. cap.* 47. Alibi non simpliciter *civilis* dicitur, sed *civilis S. Mariæ*, ut in charta Ann. 1437. *S. Mariæ minoris* in charta Ann. 1395. In alia Ann. 1465. *den Eersamen ende bescheyden Cureyten, Capellanen, Kerckmeysteren, ende gemeyne Parochianen der Parochie van onser liever Vrouwen Kercke te Buyrkerck binnen Utrecht*

Et nos Officialis Curiæ Trajectensis. Curia Trajectensis non hic Curia Provincialis, sed ecclesiastica, episcopalis, cui præerat Officialis, qui & alibi κατ' ἐξοχὴν Officialis Trajectensis. Ad quem rei citati non passim

sim tantum ex dioecesi, verum etiam ex Hollandia, ex Frisia, ex Gelria, ut dixi *d. lib.* 2. *cap.* 21. Major ejus quam Prætoris, qui Ultrajecti, potestas. Prætoris circumscripta erat territorio ipsius urbis. Officialis extendebat se & per totam dioecesin, & per vicinas Provincias. In sacris nimirum. Quod ad Curiam Provincialem, eam demum erexit Carolus V. Imp. ut dixi *ibid. cap.* 42.

V.

Testamentum Werneri Presbyteri Vicarii ecclesiæ S. Johannis

Ann. cIↃ. ccc. III.

In nomine Domini Amen. Ego Wernerus Presbyter Vicarius ecclesiæ S. Salvatoris volens consulere animæ meæ meum tale condidi testamentum. Inprimis igitur eligo meos testamentarios seu manufideles Dominum *Henricum* de *Boechole* S. Petri, Dn. *Th.* dictum *Vrencke*, & Dn. *Jacobum de Onthusen* ecclesiarum Trajectensium Canonicos exorans ipsos devote, ut præsens testamentum fideliter exequantur. Lego igitur pro remedio animæ meæ ecclesiæ meæ prædictæ ipsum agrum dictum *Ghere* cum suis attinentiis, & jacentem in termino jurisdictionis de Jaersvelt versus *Loepwyc*, & alterum dimidium juger terræ jacentis in fine terræ quondam *Volcwini* de *Wedenhorst* versus *Loepwyc*, quem quidem agrum & alterum dimidium juger relicta dicti *Volcwini* & quidam ejus filius colunt, & habent a me in perpetuum pro tribus libris & dimidia boni pagamenti. Item lego prædictæ ecclesiæ meæ duo

jugera terræ jacentia in *Ghoye*, quæ tenet a me *Sprunt* dictus filius *Leyde* in perpetuum pactum duarum librarum boni pagamenti. Item lego prædictæ ecclesiæ meæ unum juger adjacens prædictis duobus jugeribus, quod tenet a me quidam famulus dictus Pawe in perpetuum pactum unius libræ boni pagamenti. Item lego prædictæ ecclesiæ meæ unum juger & tres areas sitas in Wilre, quas emi ab Andrea de Sloten, sub hac forma, quod Capitulum præfatæ ecclesiæ meæ seu eorum Camerarius tollat annis singulis e terris deputatis redditus de prædictis bonis, & det eos *Nicolao* filio fratris mei seniori quoad vitam suam. Post mortem ipsius Nicholai volo, quod Presbyter Canonicus ebdomadarius cum Dyacono & Subdyacono Canonicis conferant eo modo, quo debet conferri, Vicariam meam, postquam vacaverit, uni sacerdoti bonæ vitæ & bonæ famæ. Qui quidem presbyter celebret ad altare, ubi fit memoria animarum ebdomadis alternatis. Et volo quod Presbyter, qui quievit, unam missam celebret de Domina nostra semel in ebdomada ubi velit. Volo etiam quod Presbyter beneficiatus de prædictis bonis meis non sit obligatus ad cantandum *Venite*, nec ad matutinas plus quam ceteri sociorum. Item lego præfatæ ecclesiæ meæ annum gratiæ meæ de Vicaria mea ad comparandos redditus distribuendos in anniversario meo singulis annis inter Canonicos & socios chori presbyteros præsentes in vigiliis & in missa animarum, & volo quod visitent sepulchrum meum in vigiliis cum *placebo* & ceteris psalmis, & missa

missa animarum dicta iterum visitent & dicant commendationem. Item lego de domo mea apud sanctam Mariam, cum ipsa fuerit vendita ad structuram S. Martini sex libras nigrorum Turonensium. Item lego in elemosynam monasterio monialium in *Coesvelt* sex libras nigorum Turonensium. Item lego de eadem domo vendita sex libras nigrorum distribuendas inter pauperes, unicuique denarium, vel panem valentem denarium, in die primi anniversarii mei. Item volo quod solvantur de eadem domo Margaretæ quondam *Gerardi* dicti *Harts* filiæ duodecim libræ & XII. solid. in quibus eidem teneor. Quicquid vero residuum fuerit de eadem domo lego *Huberto* filio *Sophiæ* & *Theoderico* celebranti in Capella sanctæ Crucis sacerdotibus, ut agant memoriam ebdomadis alternatis per circulum primi anni. Item *Belia* filia *Henrici* dicti *Albi* tenetur mihi in sex libras & octo Turonenses regales. Item relicta *Volcwini* & filius ejus tenentur mihi in dimidiam libram de agris in *Loepwyc*. Item *Sprunt* filius *Leyde* tenetur mihi in duas libras, quarum unam habebit *Margareta* prædicta. Item *Pawe* prædictus tenetur mihi de agro suo in decem solidos boni pagamenti. Item de bonis in Wike habebo viginti quinque grossos Turonenses. Item Dn. *Theodoricus* dictus *Bese* apud S. Petrum tenetur mihi in quatuor libras boni pagamenti, & septem solidos nigrorum quatuor denariis minus. De istis creditis & debitis volo quod fiant meæ exequiæ, & de residuo volo, ut dentur cuilibet

 pres-

presbytero chori nostri celebranti quinque solidi nigrorum, ut habeant memoriam meam in vigiliis & in missis. Item lego cuilibet socio presbytero S. Martini, S. Petri, S. Johannis, & S. Mariæ ecclesiarum Trajectensium duodecim denarios nigrorum. Item cum Regulares sanctorum Apostolorum post mortem meam teneantur dare singulis annis *Nicolao* filio fratris mei quinque libras quoad vitam, ego eximo eos ab hoc pacto, dummodo de bonis emptis cum pecunia mea fratribus faciant pitanciam quinque solidorum singulis mensibus in perpetuum tricesimo die ab obitu meo, & habeant mei memoriam specialem in vigiliis & in missis. Si autem facere noluerint volo quod dictus *Nicolaus* tollat singulis annis quinque libras, quoad vixerit, prout in litera super hoc confecta plenius continetur. Item lego Dn. *Heydenrico* socio chori nostri wardecorsium cum suo caputio albi mixti coloris. Item lego *Margaretæ* supradictæ nigras blaveas vestes. Volo quod vestes meæ mixti rubei coloris vendantur, & quicquid inde venerit detur fratribus Teuthonicis, sanctæ Katherinæ majoribus & minoribus fratribus, albis dominabus, S. Servatii monialibus in valle S. Mariæ æquali portione. Item lego Dn. Henrico de Bocholt annulum aureum meliorem & melius superpellicium meum. Alios duos annulos meos do Dn. *Theodorico Krenken*, & Dn. *Jacobo de Outhusen*. Decretales meas, & Institutam, & ceteros libellos meos, & cistam lego *Nicholao* filio fratris mei. Item libellos in quibus inveniet titulum ecclesiæ Varlerensis restituet

tuet ipsi. Item dabit cuidam Dominæ dictæ *Ghena* in Coesvelt quatuor solidos Monasterienses. Item dabit Magistro *Petro* dicto *Gole* duas libras nigrorum Turonensium & recipiet Græcismum meum, quia habet in pignore pro eisdem. Hæc omnia volo firmiter observari & fideliter adimpleri. Et si non valet ut testamentum volo saltem ut valeat ut ultima voluntas mea. In cujus rei testimonium & munimen præsens testamentum seu ultimam meam voluntatem sigillo meo proprio & sigillis Dn. *Henrici de Boecholt*, Dn. *Theoderici Krenkens*, & Dn. *Jacobi de Outhusen* Canonicorum meorum testamentariorum prædictorum, quæ præsentibus apponi rogavi, duxi roborandum. Et nos *Henricus* de *Boecholt*, *Theod. Vrencke*, & *Jacobus de Outhusen* ad preces dicti Werneri presbyteri sigilla nostra præsentibus apposuimus, & prædictis legationibus & ordinationibus interfuisse præsentibus protestamur in robur perpetuum & munimen. Datum anno Domini M. CCC. tertio ante festum beati Petri ad cathedram.

Meos testamentarios. Testamentarius qui adhibetur ad scribendum testamentum *l.* 1. *pr. ff. siq. aliq. test. proh.* Media ætate idem, qui executor testamenti. Qui & *manufidelis*.

In perpetuum pactum. Pactum idem quod *pacht*, quod merces locationis. Pactum perpetuum etiam idem quod emphytensis. Dicebant barbare etiam *pactus*, ut in charta Ann. 1319. *pactos*, *seu pensiones*, *prædictos*, *ut prædicitur*, *non solvens*. Vid. *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 48.

Quidam famulus dictus Pawe. Famulus idem qui nobilis, ministerialis, armiger. *Knaep*, *Knecht*, etiam Belgice. Vid. *lib.* 4. *de Nobilit. cap.* 18.

Presbyter Canonicus ebdomadarius. Etiam inter Canonicos alii Presbyteri, alii Diaconi, Subdiaconi &c. ut dixi *lib. 2. de Nobilit. cap.* 39. Hebdomadarii autem hi, qui integram septimanam per vices singuli dicebant missam. Unde & idem reperitur & Canonicus & Presbyter, seu Sacerdos, aut Curatus in eadem ecclesia, in charta Ann. 1524.

Vicariam meam, postquam vacaverit. Vicaria est sacerdotium, *Vicarius* sacerdos. Fere ubique enim confunduntur hæc Vicarius, Sacerdos, Curatus, Plebanus, Presbyter. Etiam confunduntur *altare* & *Vicaria.* Multa erant altaria in singulis ecclesiis. Sacerdos singulis affixus, qui pro defunctis dicebat missam. Idem etiam qui Altarista. Charta Ann. 1442. *Capellaniam seu Vicariam perpetuam ad altare beatorum Petri, Pauli, & Thomæ Apostolorum in parochiali ecclesia de Doesburch nostræ diœcesis fundatum, & per secularem presbyterum, regi, gebernari, & possideri solitum.* Sic qui dicitur *Vicarius ecclesiæ de Ameronghen* in charta Ann. 1217. dicitur *Priester Cureyt* in alia Ann. 1357. & in alia ejusdem anni *Curatus seu Vicarius* ejusdem ecclesiæ. Charta Ann. 1417. *Item quod Vicarius in crypta seu Rector ibidem altaris sancti Johannis &c.* & mox: *De reliquis vero Vicariis, seu altarium Rectoribus, quorum Vicariarum redditus &c.* In alia ejusdem anni; *quod licet ab olim fructus, redditus, & proventus Vicariorum aut Altaristarum ecclesiæ nostræ absentium &c.* Charta Ann. 1360. *quod executores dicti testamenti seu ultimæ voluntatis suæ erigere, conservare, & dotare deberent unum altare seu Vicariam in ecclesia beatæ Mariæ &c & quod præsentatio seu collatio dicti altaris seu Vicariæ &c.* Sacerdos autem siquis quærat cur *Vicarius* etiam passim, vix aliud est quod dicam, quam quod usus id effecit, *Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.* Faciebat Sacerdos non semper per se. Etiam alium adhibebat, qui expleret ipsius vices. Et hinc quia Sacerdotes functionem invicem commodabant, omnes tandem indistincte, quicunque rem divinam faciebant *Vicarii.* Loquens de sacerdote vetus

quæ-

quædam charta, quæ in Chronico Besvensi apud d'Achery to. 1. *Spicil. Si autem ipse, inquit, vel Presbyter Capellanus, qui ibi pro eo Vicarius fuerit &c.* Ex testamento Cornelii uten Eng Canonici S. Petri Ann. 1378. *Also ick lange jaren beseten hebbe een Vicarye gelegen in die Parochie Kerke van Overlangbroec, ende mogelicke die misse ende dienste daer toe staende soo perfectelyck niet en heb laten doen, als 't wel behoorde, so wil ick dat myn executoren tot behoeff van die selfde Vicarye eens betalen ende uyttrecken sullen hondert gulden &c.* Charta Ann. 1528. *& quoniam Rector parochialis ecclesiæ una cum suo Vicario, quem pro tempore cœpit habere perpetuum &c.* Qui vices supplet Vicarius. Nec de eo dubitatur. Sic Aretini episcopi jactant se Vicarios S. Donati, Mediolanenses autem S. Ambrosii. Mabillon. *Musæ Italic. p.* 182.

Inter Canonicos & socios chori. Chori socii, qui vices Canonicorum; si ipsi rauci aut debiles, ut adjutores excipiunt.

quod visitent sepulchrum meum. Beganghenisse id vulgo dicunt, Charta Ann. 1465. *Voir welcke renten voirsz wy Pastoers ende gemeen Vicarien in der tyt loven voir ons ende voir onse nacomelingen voir Vrouwe Alyt van Hemmen &c ende voir alle die gene, daer syt voir begeerende is, dan aldaer op hoir graf te gaen tot elker maentstont, so wanneer dat myn Vrou voirsz een maent doot geweest heeft, ende comen des 's avonts ter vigelien, ende des smorgens dair na ter missen, ende also voort van maent ter maent tot eeuwigen dagen. Ende hier voir so sellen die Priesters hebben, die dan aldaer syn in der tyt, ende in der kerken behooren, die des savonts ter vygelien, ende des smorgens ter missen comen, ende hoir graf aldaer begaen, mit der Cruce, als dat behoorlic is, tot elker maent stont een pont ende achtien scillinge.* Charta Ann. 1414. *Voort so sal die Priester metten broederen voor den Altaer begangenisse doen met den vespers, met* Miserere *en* de profundis, *ende de commendatien de daer toe behoren, voor Tyman Trinde ende Joncfrou Beatrix sijn wyf, ende hoer kinders, ende hoer twier ouder sielen.*

War-

Wardecorsium. Genus quoddam vestimenti, quod & pectus ambibat. *Warda* idem quod præsidium, tectorium, munimentum.] *Wardecors* infra est *Testam*. 8.

VI.

Testamentum Alveradis Dominæ de Coudekercke

Ann. cIↃ. CCC.

In nomine Domini Amen. Ego *Alveradis* Domina de Coudekercke, filia nobilis matronæ *Hildegondis* Dominæ de *Bredenrode*, fragilitatem præsentis vitæ attendens & omnipotentis Dei æterni judicis retributionem expectans, compos mentis, virtutem habens corporis, standi, eundi, sedendi, & ecclesiam frequentandi, & dominica officia audiendi, testamentum meum disponendo, de propriis bonis meis, quæ possideo in Leyderdorpe, vel in posterum ero possessura, de consensu & voluntate dilecti fratris mei Domini *Theodorici* Dn. de Bredenrode militis, Dn. *Aleydis* sororis meæ, atque heredum meorum, & Florentii de Adrikim fratris mei & tutoris mei facio & ordino in hunc modum. In primis do & lego Domino Abbati & Conventui Egmondensi ibidem quinque libras Hollandenses, ita quod idem cum ejusdem quinque libris decem solidos annui census comparet vel procuret, quos volo quod totus Conventus in anniversario meo habeat, possideat, & utatur quolibet anno ad Pitantiam eorundem, & mei memoriam fideliter fa-

faciendam. Et sic de singulis observandum est Ordinibus & Conventibus infra scriptis, propria habentibus & non petentibus, sive mendicantibus, quibus quinque libræ ad Pitantiam scilicet legatæ. Cuilibet ecclesiæ in Kennemaria do & lego quinque solidos, Parochiali sacerdoti ejusdem ecclesiæ quinque solidos, ecclesiæ de Velsen duas libras, Personæ ibidem sex solidos, Custodi ibidem quinque solidos. Item do & lego pro cruce mea xx. libras, quas fratres S. Johannis Baptistæ in Haerlem sibi reservabunt, quousque commune fuerit Passagium transmarinum, & tunc easdem per suos fratres fideliter transmittent in subsidium terræ sanctæ. Item do & lego Conventui domus sancti Johannis Baptistæ in Haerlem simili modo, sicut prædictum est de Conventu Egmondensi, quinque libras ad pitantiam. Item fratri *Arnoldo* do ibidem unam libram. Item fratri *Mensoni* x. solidos. Item do lego in compensationem rerum injuste acquisitarum xx. libras, ita quod executores mei cum eisdem redditus comparent, qui cedant ad calciamenta pauperibus annuatim. Sed volo & opto quod pars dictarum xx. librarum, vel totum illis potius conferatur, qui docere poterunt testimonio, vel prævia veritate, me ab eis aliqua bona minus juste tempore aliquo & minus legitime possedisse. Item do & lego ecclesiæ de Haerlem tres libras ad lampadem. Item cuilibet Parochiali sacerdoti x. libras & cuilibet Capellano in Haerlem quinque solidos. Item Prædicatoribus in Haerlem duas libras. Item fratribus de

monte

monte Carmelo ibidem duas libras. Item pauperibus Beghinis ibidem duas libras. Item hospitali ibidem unam libram. Capellano ibidem quinque solidos. Item do & lego monialibus in Oye quinque libras ad pitantiam. Item Cristinæ de Teylinge ibidem unam libram. Item Hasekinæ ibidem unam libram. Item Conventui in Rynsburch quinque libras ad Pitanciam. Item Richardi sorori meæ ibidem quinque libras, si in hereditatem a meis non receperit. Item Domino *Ada de Leyden* unam libram. Item do & lego monialibus in Loesduynen quinque libras ad pitanciam. Item monialibus ad campum Regis quinque libras ad Pitanciam. Item do & lego in Trajecto Conventui beatæ Catherinæ quinque libras ad pitanciam. Item hospitali ibidem ad usus pauperum meliorem lectum meum ex toto ordinatum, & meliores vestes meas. Item fratribus Teutonicis apud muros ibidem quinque libras ad pitanciam. Item Terminario Kennemariæ pro tempore existenti unam libram. Item fratribus minoribus ibidem duas libras ad pitantiam. Item fratri Godefrido ibidem unam libram. Item Prædicatoribus ibidem duas libras. Item monialibus apud S. Servacium unam libram. Item albis dominabus ibidem unam libram. Item monialibus in valle beatæ Mariæ unam libram. Item fratribus minoribus in Dordraco duas libras. Item Augustinianis ibidem duas libras. Item ecclesiæ de Coudekercke tres libras. Item hospitali in Leyden x. solidos. Item *Johanni Wonne* fratri meo quindecim libras cum lecto bene præparato.

Vid. Car. du Fresne *gloss. in Terminarii.*

Item

Item domicellæ meæ pro tempore existenti quinque libras. Item filiabus sororis meæ xx. libras, cum quibus Executores mei duas libras annuatim, quoad vitam earum eisdem procurabunt. Item Wiven duas libras. Item eidem par vestium. Item ancillæ meæ pro tempore existenti unam libram. Item servo meo unam libram &c.

Wy Alveraet Vrouwe van Coudekercke doen condt allen luden, die desen brieff sellen sien of hooren lesen, dat wy om salicheden onser sielen Haren *Dirck* van *Poelgeest* ende anders onsen vrienden hebben gemaeckt ene Capelrye van XII. ponden jaerlixer renten te verdienen Haren Amise tot sijnen lyve tot Haerlem in der kercke. Ende wanneer Heer Amys stervet, so sal die Capelrye wesen te verdienen euwelyck enen Priester met dier selver Rente, die hier voorsz staet, na onser doot, daer wy kiesen onse legerstede. Ende dese xv. ponden bewysen wy jaers ende hebben bewyst ende quytgescouden voor Scoute ende voer bueren mit onses mombaers hant in te nemen van 't landt dat heet Ver Riffende camp, of die Vievenne, tote twee merckt tyden van den jare, alse tot Voorscoter merckt, ende totte Valckenborger merckt, ende dese xv. ponden sullen wesen aen payemente als dat lant te huyre gelt. Ende want die rente van dien lande beter is dan xv. ponden, so en sal niemant niet innemen, eer die Pape dat sijne in hevet. Voort ware dat saecke dat dit lant quade, so soude die Pape voort aen sijn seeckerst lant hebben went hy dat sijne hadde. Op dat dit vaste ende stade

stade blyve so hebben wy onsen segel hier ane gehangen. Die Heere van Brederode, Ver Abele uter Wike onse ervenaem, Haer Gerard van Tetroede, Florens van Adrikem onse mombaer om die meerre sekerhede hebben 't mede besegelt, in 't jaer ons Heeren cIɔ. ccc. ende vyf des Saterdags na sinte Martyns dach in den wynter.

Rursum hic testamentum, quo heres non institutus, Sed testamentum, quod mireris, quod heredum consensu sit. Exoleverat jam jus Romanum, quo idem & testatus & intestatus non potest mori, *l. 7. ff. de reg. jur.* Et quod porro ad consensum: Non necesse est, cum testamentum fit, ut vel quisquam consentiat *arg. l. 1. ff. Qu. test. fac poss. l. 32 pr. ff. de her. inst.* Ultro tamen adhibitus aut agnati, aut curatoris, testamentum non vitiat.

Personæ ibidem sex solidos. Persona est Rector ecclesiæ, ad quem spectat ex oblationibus emolumentum pro parte, *cap. 3. ext. de eccles ædif. cap. ult. ut lit. pend.* Fr. de Roye *proleg. ad tit. de jur. patr. cap. 37.* Curabat sacra, & iis præerat, sed curabat & faciebat non per se, sed per alium. Per sacerdotem Vicarium. Charta Anni 1231. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Willebrandus Dei gratia Trajectensis episcopus Omnibus in Christo fidelibus salutem in Christo Jesu. Notum sit omnibus tam posteris quam futuris & præsentibus, quod prædecessor noster piæ memoriæ Godefridus quondam episcopus Trajectensis, relinquens nobis formam caritatis & exemplum, piæ devotionis perpetua donatione tradidit fratribus ecclesiæ beati Martini personatum ecclesiæ de Dalsen, & liberam concessit eis potestatem, ut quandocunque prædicta vacaret ecclesia, decedente sacerdote alium sibi substituerent, & portionem redituum pertinentium ad ecclesiam assignarent eidem, prout consilium & moderata ratio dictaret, ut ipse sacerdos in ecclesia præfata laudabiliter implere posset officium, & epis-*

episcopo, & Archidiacono, & Decano jura debita persolvere, &c. Sustinebat *Personam* etiam totum collegium. Nec mirum, quod sustinebat. Persona passim vir illustris & præ cæteris excellens. Atque adeo illud verum, quod qui in clero excellebant, vulgo dicti *Personæ*, & *Personatus* eorum dignitas. Etiam laici ita dicti, si graves meritis & insignes. *cap. ad aures ext. de rescript.* Jo. Sarisberiens. *epist.* 11. *Asserens ecclesiam suam esse, & se personam ejus &c.* Gesta Consulum Andegavens. in Fulcon. *Affuit autem tunc inter alios proconsulares & personatos viros.* Robert. Monach. *lib.* 7. *hist. Electus est igitur vir sapiens, & personatus, literarum eruditione pollens, & utraque scientia præditus, & ad ordinandum Antiochiam est missus.* Sunt qui personam cum patrono confundunt, sed perperam, ut puto, ut patet ex charta hac, quam habes apud Oudenhove *Beschry. van den Bosch p.* 59. *part* 2. *Wy Arnolt van der genade Gods Hertoghe van Gelre, ende van Gulick, ende Grave van Zutphen, doen condt allen luden, ende bekennen, Also die Patronaetschap, collatie, ende gift rechte der Personagien der Parochie kercke van Geldrop van allen tyden, ende dat niemant levende anders en weyte, of altyt geclevende ende geborende is geweest aen die Heerlicheyt van Geldrop, die men van ons ende onsen Voorvaderen Hertoghen van Gelre ende Greven van Zutphen te leen holt ende geholden heeft, so dat die Heere van Geldrop die Personagie ende Parochie kercke als sy ledich was, ende vaceerde, als een Patroon ende erfgifter gegeven ende gepresenteert heeft den Eerweerdigen Archidiaken van Kempelant in der tyt wesende in der kercken van Ludic bequame personen, om die Personagie ende Parochi-Kercke te regeren. Welcke personen also gepresenteert &c.* Idem tamen quod nonnunquam & *persona* & *patronus* negari non potest. Nec semper *Persona* curabat sacra per quem vellet. Sæpe habebat nihil aliud quam jus tantum præsentandi, ut exemplum apud Miræum est *notit. eccles. Belg. cap.* 152. *Idem autem Abbas ab eisdem Canonicis synodalia jura suscipiens, nobis & ministris*

nostris, quia Persona altaris est, annuatim persolvet, & idoneum Presbyterum communi eorum consilio electum, populo Dei præficiendum, nobis præsentabit, qui de manu nostra curam suscipiat &c. Sæpe ejusdem ecclesiæ & *Persona* & *Patronus* & *Vicarius* distincti, distincto etiam in partes reditu. *Patronus*, qui jus habebat præsentandi personam. *Persona* autem, qui jus præsentandi *Vicarium*. Charta Ann. 1319. *Universis hæc visuris facimus manifestum, firmiter protestando, quod cum ex antiquo ecclesia de Nerden per Vicarium perpetuum ad præsentationem personæ ejusdem ecclesiæ in ipsa institutum consueverit gubernari &c.* & mox: *humiliter supplicarunt, ut nostrum consensum adhiberemus de perpetuanda Vicaria in ecclesia antedicta, &c. cum ibidem redditus* Personatus *a redditibus* Vicariæ *sint distincti, Nos qui patronus ejusdem ecclesiæ sumus &c.* Vicario autem constituto, ne Persona esset aut iners, aut κωφὸν velut πρόσωπον, bona interim curabat & facultates ecclesiæ. Charta Ann. 1371. *ad præsentationem principalis dictæ ecclesiæ Rectoris, quæ* persona *appellatur, ad dictum beneficium instituatur, qui curam dictæ ecclesiæ in spiritualibus gerat, & dictæ ecclesiæ & populo ejusdem, in divinis deserviat, nec non perpetuus Vicarius dictæ ecclesiæ censeatur &c. ipse vero Rector dictæ ecclesiæ principalis ipsi ecclesiæ in temporalibus deserviat, redditus & proventus ejusdem ecclesiæ certos percipiat pro suo beneficio, quod* personatus *censebitur &c.*

Item do lego pro cruce mea. Militatum ituri voto facto adversus Turcas & Saracenos in Syriam vesti crucem assuebant. Deferebant conspicuam in pallio, in toga, & vel pectori affigebant, vel habebant in scapulis, aut dextro humero, prout visum. Plerumque autem e rubro serico. Belli sacri historia apud Mabillon. *Musæ. Italic. part. 2. Simulque etiam disposuit, ut cuncti illuc euntes signum crucis in scapulis re aliqua vestimentis impressum, seu in fronte gestarent, quo tanti itineris religionem atque peregrinationem aliis cernentibus ostendentes ab aliquo non impedirentur.* Ibid. *Et omnes qui ibant suebant cruces in dextro humero imitando Christum, qui*

in

in humero suo portabat crucem eundo ad passionem pro nobis. Anna Comnena *lib.* 10. *hist. Rubras in humeris gestabant cruces. Id insigne & quasi tessera militiæ*. Petr. Monach. *hist. Albigens. cap.* 13. *ideoque quam plurimi nobiles & ignobiles contra hostes crucis armavernnt se in pectoribus signo crucis*. Idem *ibid. cap.* 37. *Percussit eum valide in pectore, in loco, in quo crucis signum affixum erat*. Devovebant se indistincte & viri & fœminæ. Nam & fœminæ in exercitu. Sed cum bello hæ inutiles facile etiam id admissum, ut voto deinceps se exsolverent data pecunia.

Commune fuerit Passagium. Exercitus Christiani iter. *Parochiali sacerdoti*. Parochialis sacerdos, qui affixus ecclesiæ. Capellanus, qui altari. Unde & confunduntur altare & Capellania. Infr. *testam.* 14. *unum altare seu Capellaniam*. Sic & xv. iterum iterumque, ubi & pro missæ seu Sacerdotis officio, *verb. Item do, lego &c. ad alteram Capellaniam in eodem altari officiandam &c.* Ibidem & pro Capella: *ad prædictas Capellas &c. do, lego, ordino, & assigno. In quibus Capellaniis volo, quod Capellani &c.* Capella ædes, conclave, in quo altare & ministerium. Vasa nimirum sacra ad rem divinam necessaria. Capitula Caroli Magni *lib.* 5. *cap.* 182. *Ne Capellæ in nostro Palatio vel aliubi sine permissu episcopi, in cujus est parochia, fiant*. Adrevald. *de miracul. S Bened. cap.* 41. *Inter cetera, quæ huic loco contulit magnifica, affluenti sua largitate, sacerdotale instrumentum, quod ex capella fratris sui Lotharii abstulerat &c. devotissime præbendo concessit*. Eginhardus: *Capellam, id est, ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit &c.* Conclave autem cum dico, non id tantum significo, quod certo loco fixum, verum mobile etiam, ut tentorium. Nam altaria etiam portatilia. Matth. Paris ad Ann. 1249. *Transmisit ei capellam suam pretiosissimam cum reliquiis charissimis*.

ad campum Regis. Wilhelmi scilicet Romanorum, Cœnobium est Delphis, quod Wilhelmus Rex extruxit. *Coninxvelt* vulgo. Vid. *seq. Testam.*

Ver Rissende camp. Fœminæ olim illustres & magi-

ſtratuum uxores *Veren* dictæ, ut jam dixi *lib.* I. *de Nobilit. cap.* 4.

VII.

Teſtamentum Wilhelmi de Egmonde

Ann. cIↄ. ccc. x.

Allen den genen die deſen brief ſellen ſien of hooren leſen doe ick Willaem van Egmonde condt ende kenlick, dat ick machtich myns ſins ende geſonts lyfs, ende by myns ſelfs vryen wille gemaeckt hebbe myn Teſtament om mynre ſielen oorbaer. In den eerſten beſpreecke ick den Clooſter van Egmonde jaerlics een pont gelts myne memorie mede te doene in duſdanigen manieren, dat men dat gelt deelen ſal in den Convent die ghene die ter miſſe ende ter vigilie comen, ende die niet en comen, ſal men niet geven, ten ſy dat ſy by oorlove uytgevaren ſijn. Voort den Clooſter in Rynsburch x. pont myne memorie mede te doen, den Clooſter ter Lee v. pont, den Clooſter te Coninxvelt v. pont, den Clooſter te Looſduynen v. pont, den Jacopynen te Haerlem x. pont, onſer Vrouwen Broeders te Haerlem x. pont, den Beghynen te Haerlem x. pont. Voort ter Capelryen te Rynegom te Sinte Katharine x. pont, jaerlix in te nemen uyt den korten hop, daghelix myne memorie mede te doen, den Deken van Egmonde drie pont, Harren Matheus onſen Capellaen drie pont, Herman den Clerck xxx. ſchellingen in te nemen uyt den langen hop totter tyt toe, dat hy verſien wort

wort mit eene kercke ofte provende. Voort elcke Parochypape van elcker kercke van Kennemerlant x. ſtuyvers, ende elcken Coſter III. ſtuvers, Haren *Florens* den *Perſone* van Lummen drie pont, elcke Capellaen die Capelryen hebben binnen der kercke van Haerlem x. ſtuvers, Haren *Florens* van den *Sande* x. pont, den *Perſone* van Myſen x. pont, Broeder *Nicolaes* van *Weſepe* x. ſtuver, Broeder *Henrick* van *Maſe* x. ſtuvers, Broeder *Henrick* van *Pitvliet* x. pont, Haren *Screvel* den monnick enen ſilveren ſchale. Voert Haren *Gerrit* Scholaſter tot Haerlem x. pont, ende enen . . . . . *Alewyn* x. pont, ende eene coe, Haren *Witten* x. pont, *Baert* x. pont, *Jordaen* x. pont, ende *Gerretgen* mynen neve v. pont, ende den grauwen heynſt, *Peter Jacopsſoon* xxx. ſtuv. ende elck Bode anders binnens huys x. ſtuvers, Joncfrou *Geertruyt* x. pont, *Wildaem* van *Buten* XL. ſchellingen, ende twee coeyen. Voort den cogge, die ik te Medenblick hebbe, bewyſe ick *Willam* van *Scoorle* voor ſyn gelt, dat ik ingenomen hebbe van ſynen lande ende van ſynen renthen. Voort die van den nywen Clooſter by Haerlem x. pont, ende myn groote roode vool, ende al myn harnaſch, ende al dat tot mynen lyve behoort ende III. coeyen, twee bedden, twee dekenen, twee paar ſlaeplakens, ende die door grauwē bonte dekene, ende Haren *Menſe* ſonderlinge mynen cleenen voetnappe. Ende in deſen voorſeyden nywen Clooſter kieſe ick myn legerſtede, ende al dat men mit myn dair brenget, dat begeere ick dat men

dair late. Ware dat ſaecke dat ick doot bleve, ende myn lichaem niet vonde, ſoo begeere ick dat men myn utinge doe in den ſelven Clooſter mit alſulcke dingen, als hier voor beſchreven ſtaen. Ende waerom dat ick 't begeere is, om dat ick 't ſelve geſticht hebbe, ende bidde myn wyve, myn Broeder, ende myn Suſter, dat ſy hem vordelyck ſijn, ende behulpich door Gods wille, ende door mynre ſielen wille, Ende dit voerſeyde teſtament vredelyck mynen wive aen Haren Gerrit den Scholaſter van Haerlem uyttereyken van mynen eerſten renten van der tiende van Warmenhuſen, ende myn onrecht dair mede te betalen, Ende om dat ick wille dat dit vaſte ende ſtade blive heb ick deſen brieff beſegelt mit mynen ſegel, ende om die meerre veſteniſſe ſo heb ick gebeden myne lieve medegeſellinne Margrieten, dat ſij'n beſegelt heeft mit horen ſegel. Gegeven in't jaer ons Heeren cIↃ. ccc. ende x. op St. Gregorius dach.

Haren Gerrit Scholaſter tot Haerlen. Scholæ olim in monaſteriis, in eccleſiis collegiatis. Scholaſticus qui iis præerat. Militiæ eccleſiaſticæ plerumque a teneris devoti, qui eas frequentabant. Scholares vulgo dicti. Caroli Magni Capitula *lib.* 1. *cap.* 71. *Ut ſcholæ legentium puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam, per ſingula monaſteria &c. diſcant.* Flodoard *hiſt. Remenſ lib.* 4. *cap.* 9. *Duas ſcholas Remis, Canonicorum ſcilicet loci atque ruralium clericorum, jam pene dilapſas reſtituit, & evocato Remigio Autiſiodorenſi magiſtro liberalium artium ſtudiis adoleſcentes clericos exerceri fecit &c.* Statuta Trajectenſia *de officio Scholaſtici: Nullus poteſt eſſe Scholaſticus noſter, niſi fuerit Canonicus eccleſiæ noſtræ præbendatus &c.* Vid. *lib.* 2. *de*

No-

Nobilit. cap. 39. De ſcholis autem quod dixi in eccleſiis collegiatis exemplum habemus infra Teſtam. IX. *ſingulis annis dabunt & procurabunt duodecim ſcholaribus pauperibus ſcolas apud eccleſiam beatæ Mariæ frequentantibus duodecim mandata &c.* Vid. Mabillon. *in præfat. ad Secul.* IV. *Act. ord. S. Bened.* §. 184.

Mynen clenen voetnappe. Pelluvium haud dubie, vas pedibus lavandis aptum.

VIII.

Teſtamentum Eliſabethæ Dominæ de Heemskerck

Ann. CIƆ. CCC. XI.

In den name des Vaders, des Soons, des Heyligen Geeſts Amen. Ick Eliſabeth Vrouwe van Heemskercke make condt allen luyden, die deſen brieff ſullen ſien of hooren leſen, dat ick machtich mynre vyf ſinnen mit grooter voordachtichheyd om oirbaer ende ſalicheden mynre ſielen heb gemaakt myn teſtament in deſer manieren als hier na beſcreven ſtaet, dat ick wille ende begeere dat myn erfgenamen volgen ende ſtede houden. Ten eerſten geve ick twee hondert pont ſwarter tornoyſen uyt mynen goede tot Andels in duſdaniger manieren, dat die Commandeur van Sinte Catharinen t' Utrecht ſal opbeuren xx. pont gelts jaerlicx van den voerſeyden goeden, in 't myne erfgenamen hem geven twee hondert pont van rente of van gelde 't eerſt datter of incompt, en daer ſal die voerſeyde Commandeur af leggen vyftich pont in den ſtocke of in de kiſte van den grooten aflaet tot oorbaer ende helpe des heyligen lants; dat ander

gelt datter overblyft van den cc. pont, oft dat van der Renten voorseyt compt boven die vyftich pont voerseyt, dat set ick in die Commandeurs hant ter armen behoef mynre zielen oirbaer mede te doen. Voort geve ick ter Papelycker proeven ter Ouder Kercken in Huysen voor myn siele, ende voor myn ouders sielen, wat so boven seventien pont gelts jaerlycks comt van mynen goede in Maldrickerbroeck. Welcke xvii. pont gelts ick hebbe gegeven *Diderick* van *Hokelem* mynen Broeder uyt den voorsprokenen goede. Geveelt oock hier na, dat men dat goet vercoopen soude, so sel Diederick mynen broeder voorseyt te voren uytnemen van den gelde datter of compt hondert pont ende vyftich, dat ander gelt, dat dair of overblijft, dat sal blyven ter Papelycker provene ter Ouder Kercke in Huysen. Voort bewyse ick enen Knape van Aken elf marck Brabantsche van myns Heren myns Vaders weghen, die hy hem sculdich was ende bleef, die bewyse ick hem te betalen ende te nemen van der eerster renten, deder comt van mynen goede te Jamerlo. Voort beset ick den Jacopynen te Nymmeghen drie pont, den Witten vrouwen te Nymmeghen drie pont, den Jacopynen t' Utrecht seven pont mynre memorie mede te doen, den Jacopynen ten Bosch vier pont. Voort besette ick myn Breviaris vyf Conventen van den Minnebroederen, tot Utrecht, te Deventer, te Cleve, ten Bosch, te Harderwyck. Voort geve ick Machtelde mynre nichten Johans Leckers suster vyf-

vyftich pont aen een peerle, die myne erfgenamen ledigen mogen voor vyftich pont. Voort geve ick *Alidt* myne Suster myne mantel cleder, *Tillen* mynre Joncfrouwe, mynre meghede Cleder, beyde een wardecors, ende een rock van mynen witten clederen, den Prior van den Jacopynen t' Utrecht mynen gouden Caproen mitten voeder, mynre Voetster myn verschte curte mengde Wardecors mit enen groenen rocke, Heylwige myne scarlakens clederen, een wardecors, ende een rock, Margarieten van Oirschot, ende Margarieten van Zeslick myne mantel van scarlaecken sonder vouder, ende mynen bonten pels. Voert beset ick Haren *Diderick* van *Huysen* xx. pont sijnre dochter mede te mannen. Voort *Henrick* ende *Diederick* mynre Suster kinderen haer lycke xx. pont. Eenre *Lysbet* uter Marsche twee koyen. Voert myne nye beste clederen ende myne bonte clocke geve ick ter kercken van Heemskercke, ende ter capellen mede te tymmeren, *Aechtekyn* mynre maecht myne blauwe wardecors, *Jacob* mynen Knape twee die beste merryen, *Studenael* een coeye, den Jacopynen ende den witte broederen te Haerlem myne bonte deecken, ende myne culleƈt. Voert waert saecke dat dit testament niet al betaelt mocht worden, so wil ick dattet aen hem allen gebreecke persoon persoons gelycke. Voert waert sake dat myn erfgenamen dit voorsprokene testament niet uyt en wolden reycken als voerseyt is, ende dair ane leet deden, dat myn Testamentoeren myn testament niet voldoen en

conden, so bid ick enen Edel man ende enen Mogenden mynen lieven Heere den Grave van Gelre, dat hy mynre sielen vrient wesen wil ende sijn, ende hy myn Testamentoren also machtich make, dat sy myne testament voldoen mogen van mynen goede, Ende so set ick al myn goet leen ende eygen in myns Heeren hant des Graven van Gelre voorseyt mit desen selven brieve, ont myn testament vol ende al gedaen wert. Om dat ick wil dat dit testament voerseyt stade ende vast blyve, so heb ick Lysbet voergenoemt myn segel aen desen brief gehangen t' enen oerconde alle der stucken, die hier voersz staen. Ende bidde Eerbaer luden broeder *Jacob* van *Denemarcken* den Commandeur van Sinte Catharynen, Haren *Gerard* van *Heemskercke* mynen Heere, mynen manne, Haren *Diederic* van *Huysen* Ridders, ende Johan Lecker Knape, die ick tot myne Testamentoers kiese, dat sy haer segel mitten mynen aen desen brieff willen hangen. Ende wy Testamentoren voergenoempt om beden wille *Veren Elizabethe* voerseyt hangen onse segelen aen desen brieff mit horen segelle, t' enen oercunde alle den stucken, die hier voor bescreven staen, die voor ons gesciet sijn. Gegheven in den jare ons Heeren cIↄ. ccc. ende elve, des Sonnendachs voor St. Andries dach des Apostels.

Al dat hier boven geschreven staet dat geloven wy Elisabeth ende Testamentoren voergenoemt.

Dat

Dat die Commandeur van Sinte Katherinen t' Utrecht. Præfectus equitum Rhodiorum, quorum statio Ultrajecti. Stationes ipsorum variæ ob amplissimas facultates, Harlemi, Medioburgi, Veteraquini, Weerdæ, Montforti, Hermelæ & alibi. Sic in charta Ann. 1370. *Broeder Henrick Witte Commandeur des Godshuys van Sinte Katherinen t' Utrecht ordins des heyligen Hospitaels Sint Johans van Jerusalem.* In charta Ann. 1434. *Gerrit van Schoten Commelduyr van Sint Johans ordre tot Haerlem.* In charta Ann. 1300. *Theodoricus de A. Commendator ordinis B. Johannis Baptistæ & domus S. Catharinæ in Trajecto.* Charta Ann. 1526. *Wy Broeder Cornelis Stael Commanduyr tot Hermelen Sinte Jans ordens des heyligen Hospitaels van Jerusalem, Heemraide van wegen des Baliers van Sunte Kathrynen t' Utrecht &c. Balier* idem quod Præfectus. *Balye* idem quod domus, quod statio, aut Præfectura. Qui omnibus præerat in diœcesi dictus *Lant-commanduyr*, Præfectus Provincialis, ut & *Groot-Commanduyr.* Sic in Necrologio, vel ut Belgice se habet titulus, *Feyt en Dootboeck der Graven van Hollant*, quod Hagæ in Camera Rationum, ubi agitur de cæde Wilhelmi IV. apud Frisios. *Syn lichaem wert gevonden van den Eerwaerdigen Heere in Gode Heer Marten van Lockema Groot-Commandeur van St. Johans ordre die hem dede begraven &c.* Præfecturæ ad diœcesin seu Præfectum Trajectensem spectantes erant hæ; Buyren, Oudewater, Hermelen, Wemelingen, Ingen, 's Heeren Lo, Montfoert, Kerckwerf, Weerden. Parebant omnes qui his præerant Præfecto Trajectensi adacti in verba ejus juramento ut sequitur:

Vid. supra epist. 159.

Nos Commendatores & fratres ordinis sancti Johannis Hierosolymitani domus sive Conventus sanctæ Catharinæ Trajectensis juramus, quod posthac fideles & obedientes erimus in omnibus, & per omnia licita quidem & honesta, Reverendo & dignissimo Domino nostro fratri Henrico Barck Bajulino & Commendatori nostro. Non erimus consilio, auxilio, aut favori, ut sinistrum & indecens aliquid ei obveniat, aut injuriam ab aliquo in ordinis

aut

aut Conventus nostri præjudicium & detrimentum patiatur, sed inde eundem tanquam fideles & obedientiæ filii tuebimur atque defendemus, omniaque alia & singula, quæ ad bonos, fideles, & obedientes Commendatores, & Conventuales Dominos ac fratres spectant & pertinent, fideliter faciemus. Quod nos sic Deus adjuvet, & omnes sancti ejus. Fr. Jacobus Wynen Prior, Fr. Joannes Welmans Commendator in Buren, Fr. Arnoldus Herus Commendator in Weerden, Fr. Henricus van der Hooch Schaffenaer tot Hermelen, Fr. Gerardus Zasius Commendator Montfortius, Fr. Johannes Voet, Fr. Arnoldus Loeff, Fr. Gerardus Zasius, Fr. Christophorus van Amerongben, Fr. Theodoricus die Greeff, Fr. Johannes Ridder, Fr. Petrus Schurerius, Fr. Ghysbertus Aschius, Fr. Theodoricus Falke, Fr. Johannes Quintius.

Voort besette ick myn Breviaris vyf Conventen &c. Exemplaria ergo quinque. Qui alioquin unius usus in locis tam dissitis. Breviarium erat liber ecclesiasticum officium compendio complectens. Joannes de Janua: *Quidam liber, in quo est totum officium diurnum & nocturnum, dicitur Breviarius.* Titulus est libri in Bibliotheca Casinensi Alexio Comneno imperante olim scripti: *Incipit Breviarium sive Ordo officiorum per totam anni decursionem.*

Ende myn cullect. Culleet est culcitra, pulvinar, *peulwe*.

IX.

Testamentum Gerardi Albi Canonici

Ann. CIↃ. CCC. XII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen. Ego *Gerardus* dictus *Albus* Dei gratia majoris ecclesiæ Trajectensis, sancti Petri, & sanctæ Mariæ Trajectensium ecclesiarum Canonicus, memor conditio-

ditionis humanæ, quam ſemper comitatur nimia fragilitas, cui ab ipſo vitæ principio mortis imperium dominatur, loquelæ & memoriæ in me integritate vigente, licet æger corpore ſaluti animæ meæ providi conſulendum, de veri & æterni Dei miſericordia confidens, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit, qui etiam, ut ſuum redimeret populum unigenitum, Salvatorem guſtare voluit calicem paſſionis, conſiderans diem ſolutionis meæ incertum exiſtere, hoc præſens teſtamentum meum ſive ultimam voluntatem meam ordino, facio, & diſpono in modum, qui inferius conſcribitur. Cujus quidem teſtamenti mei ſive ultimæ voluntatis meæ eligo & ordino executores ſive manufideles meos, Venerabiles viros Dominos *Florentium* Præpoſitum & Archidiaconum Trajectenſem, *Engelbertum* Scholaſticum ſanctæ Mariæ, *Jacobum* de *Houtshoerne* meum Concanonicum majoris prædictæ, *Dygerum* dictum Zoudenbalch ſancti Petri Trajectenſis Canonicos, quos humiliter rogo propter Deum, ut de bonis meis tam domibus clauſtralibus, quam clenodiis, utenſilibus, quam etiam de annis gratiæ meæ in eccleſia beatæ Mariæ prædicta ordinent & diſponant, prout inferius conſcribetur, & ſaluti animæ meæ ſalubrius viderint expedire. Cum nihil enim ſit quod magis hominibus debeatur quam ut ſupremæ voluntatis, poſtquam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium *C. de ſacroſ. eccleſ. l.* 1. Hinc eſt quod meam ſepulturam eligo apud eccleſiam beatæ Mariæ Trajectenſis

ſis prædictam in Capella mea nova ibidem. Cui quidem Capellæ do, lego, & aſſigno quinquaginta libras Turonenſium nigrorum reddituum annuatim, quos quidem redditus eidem Capellæ aſſigno. Inprimis videlicet unam vertellam terræ jacentem in Marſen ſolventem annuatim quatuor libras & decem ſolidos boni pagamenti. Item do lego, & aſſigno eidem Capellæ quatuor libras boni pagamenti, quas habeo in domo Dn. *Johannis Friſonis* Concanonici mei in eccleſia beatæ Mariæ prædicta. Quarum quatuor librarum redditus a nunc recipiuntur ab eadem domo, donec in dictis redditibus prædictæ quatuor libræ eidem Capellæ ſive Capellanis inibi exiſtentibus ſingulis annis eidem aſſignentur, prout in literis ſuper hoc confectis continetur. Item aſſigno eidem Capellæ duas libras boni pagamenti annuorum reddituum, quas habeo in domo Dn. *Rudolphi* dicti *Burggrave* mei Concanonici modo quo ſupra, & ſecundum continentiam literarum ſuper hoc datarum & confectarum. Item aſſigno eidem Capellæ unam libram boni pagamenti reddituum annuorum in area quam inhabitat *Henricus Spiker*. Item duas libras boni pagamenti in area quam olim inhabitabat *Hermannus* dictus *Villebont*. Item aſſigno eidem Capellæ duas areas jacentes in *Oudella* ſuper ſtigam, quæ vulgariter *Juttenſteghe* nuncupatur, quarum una ſolvit annatim tres libras Turonenſium nigrorum, alia vero area unam libram boni pagamenti. Item volo & ordino, ut executores mei prænominati, quicquid de dicta ſumma, videlicet quinquaginta Turo-

to-

tonensium parvorum reddituum, defecit & non assignatum fuit in redditibus, de bonis meis paratioribus, sive scyphis argenteis, domibus, aut aliis bonis quibuscunque emant & emi procurent, quam citius potuerint, in bonis & certis redditibus, quod eorum industriæ & conscientiis duxi committendum, & eidem Capellæ dari procurent & assignari. Item volo ut in eadem Capella sint perpetuo duo Presbyteri sive Capellam officiantes eandem singulariter, quivis suam septimanam celebrando. Item volo ut Presbyteri pro tempore existentes de redditibus prædictis, videlicet quinquaginta libris Turonensium nigrorum prædictæ Capellæ assignatis & adhuc emendis, qualibet quadragesima in perpetuum singulis annis dabunt & administrari procurabunt duodecim scolaribus pauperibus scolas apud ecclesiam beatæ Mariæ frequentantibus duodecim mandata, secundum quod scolaribus ibidem a Capitulo dantur & singulis annis ministrantur. Qui Presbyteri pro tempore ipsam Capellam officiantes si remissi vel negligentes fuerint in administratione mandatorum prædictorum, a Decano ipsius ecclesiæ pro tempore existenti ad solutionem plenariam eorundem mandatorum compellantur. Item ne dicta Capella propter negligentiam patronorum suis debitis officiis defraudetur, volo & ordino, ut medietatem ipsius Capellæ sive Capellaniæ, quæ adhuc dotanda est, executores mei prædicti Nicolao dicto *Spiker* conferant, si eam clericus Nicolaus duxerit acceptare, vel alteri personæ idoneæ ad præsens una vice conferendi

M. CCC. duodecimo in craſtino beati Ambroſii epiſcopi.

Majoris eccleſiæ, S. Petri, & S. Mariæ Trajectenſium eccleſiarum Canonicus. Plura in unum beneficia conferri non poſſunt, *c. de multa ext. de præb. & dign.* Ziegler. *ad c. audita ext. de reſtit. ſpoliat.* Verum temporis progreſſu, cum ambitio præpotuiſſet, ſpreti canones & abjecti. Senſim ita interpretati rem, ut plura uni non poſſint dari in eadem eccleſia. Etſi ne id quidem diu obtinuit. Statuta vetera eccleſiaſtica condita olim Ultrajecti, cum Theodoricus de Are ibi rerum potiretur: *Nullus in una eccleſia duo vel plura habeat beneficia.*

Ut de bonis meis, tam domibus clauſtralibus. Ædes Canonicorum *clauſtrales* dictæ Ultrajecti, quod incluſi primum clauſtro ut Canonici Regulares. Vid. *lib. 2. de nobilit. cap.* 2. Seculares poſtquam facti, appellatio tamen clauſtri in ædibus adhuc hæſit. In eccleſiæ enim ambitu, ubi ſolius cleri jurisdictio & territorium, a reliqua urbis parte diſtinctæ & ſecretæ. Earum quaſi emphyteutæ. Licuit de iis diſponere & inter vivos, & teſtamento, ſed non ſimpliciter & abſolute. Vendebant clericis, ſi vellent vendere, (laicis vix licuit) & vendebant auctoritate & conſenſu Capituli. Vendebant etiam ſub modo, nec ultra vitam emptoris. Ubi obiiſſet quis, non tranſmittebat in heredes. Capitulum tum vendebat, ſi nihil moriens diſpoſuiſſet, Capituli proprie enim ædes. Heredibus vix quicquam aliud quam melioratio debebatur. Charta Ann. 1535. *Decanus & Capitulum eccleſiæ S. Johannis Trajectenſis &c. facimus manifeſtum, quod nos ex ſpeciali gratia & ſingulari favore conceſſimus & concedimus Rev. patri & eximio domino, Dn. Johanni Vorſtio a Loenbeke U. jur. Doctori, Decano eccleſiæ Trajectenſis, ad vitam ſuam domum & aream cum omnibus attinentiis ſuis, quas olim Rever. pater & dominus Dn. Philibertus Naturelli Præpoſitus & Archidiaconus eccleſiæ Trajectenſis antedictæ poſſidere & inhabitare ſolebat, ſituatas infra ambitum, emunitatem, & jurisdictionem eccleſiæ noſtræ prædictæ &c.*

sub annuo pacto octo scudatorum aureorum antiquorum monetæ Regis Franciæ &c. & quinque florenorum aureorum Johannis Ducis Bavariæ &c. item quatuor adhuc consimilium florenorum &c. persolvendo pro una in S. Victoris &c. & pro altera medietatibus Paschæ deinde proxime & immediate sequentis festivitatibus &c. conditionibus, modis, & formis infrascriptis, videlicet quod præfatus D. Johannes Vorstius &c. non poterit dictas domum & aream vendere, nec impignorare, locare, aut alienare, nisi de nostro expresso consensu & beneplacito, & quocunque tempore idem &c. earundem domus & areæ meliorationes vendere velit, quod illa venditio fiet secundum statuta & consuetudines ecclesiæ nostræ, &c. Salvo tamen quod heredes seu executores sui præfatas domum & aream infra mensem post obitum suum vendere teneantur juxta statuta ecclesiæ &c. Et in eventum, quo prædicti heredes &c. negligentes fuerint &c. quod extunc nos Decanus & Capitulum easdem domum & aream publicæ venditioni exponere poterimus &c. & pecuniæ & emolumenta ex venditione meliorationum &c. disponentur & converti debebunt, prout D. Joannes Vorstius &c. de eisdem fieri voluerit & ordinaverit &c. Dixi *quasi emphyteutæ*. Emphyteutæ enim non dicuntur. Emptores potius & domini, etsi tantum ad vitam & ad tempus præfinitum. Vocem certe *emphyteusis* in chartis non reperi. Addam, quo res clarior sit, chartam Ann. 1362. *Aernout Heere van Yselsteyne maken cont ende kenlick allen luden, dat wy overdragen sijn mit Eersamen luden onsen lieven Heeren ende vrienden den Proesst ende 't gemeyn Capittel tot sinte Johans t' Utrecht eens coops van den huyse in hoere montade gelegen, dat voertyts des Dom-proessts Heeren Florens van Jutfaes, ende nu Heeren Heynrics van Mierlaer, Domproessts t' Utrecht was, dier Godt genadich sy, in manieren als hier nae beschreven staet. In den eersten, dat wy dit voorseyde huys mit allen sijnen toebehoren bruken sullen, ende nae onsen wille bewoonen, also langhe alse wy leven, ende daer uyt jaerlix betalen den Capittel van St. Jan voersz vyf pont Utrechts payements, &c. Voort sullen*

Infra duos menses infra Testam. XI.

len wy dit huys in gherake houden van dake, ende van andere saken, so dat wy 't mit eeren verantwoerden moghen, noch van dien coste oft anders, dat wire ane timmeren, den Heeren voersz ghene cost of onraed af rekenen, mer dat aen den huse te bliven tot onser doet. Oec sijn 't voerwaerde, dat wy dit huys of dese coop niemant in die hant setten en moghen noch overgeven &c. Ende wanneer wy by Gods genaden aflivich worden, so sal dit voersz huys mit sijnen toebehoren vry, los, ende ledich weder comen aen den Heeren ende Capittel van St. Jans voersz sonder enighe aentale van onsen erfnamen, of van ymande van onser weghen &c. De laico singulare est. Laici vix admissi, ne vel puerperiis, vel mulierum consortiis, vel aliis sordidis negotiis violaretur claustralis honor. Unde & varia Statuta, & aliquoties repetita, de laicis ad ejusmodi emptionem non admittendis, ut majoris ecclesiæ Ann. 1552. ecclesiæ S. Petri Ann. 1434. & aliis aliarum. Cæterum quod licuit disponere etiam testamento, exemplum habet Lector in seqq. Testam. x. & xi.

Vertellam terræ jacentem in Marsen. Vertella Belgis *een viertel.* Quarta pars jugeris. Sed frequentius vox effertur per F. quam per V.

In Oudelle super stigam. Ecclesiæ S. Salvatoris territorium *Oudella* erat. *Oudella* locus Ultrajecti a ponte S. Pauli ad Helmichii pontem & ultra per novam fossam extendens se. Dixi in præfatione ad Anonymum quem edidi Ann. 1690.

Duodecim mandata. Mandatum hic nihil aliud, quam annonæ, pecuniarum, aut cujusvis alterius rei largitio, concessio. Charta Ann. 1437. *Salvo quod Præpositus dictæ ecclesiæ pro tempore existens teneretur consuetum servitium in choro dictæ ecclesiæ, nec non ministrationem, quæ alio nomine* mandatum *nuncupatur, singulis annis per totam quadragesimam pro pauperibus in die Cœnæ Domini, pro Decano, Scholastico &c. facere more consueto.* Mandatum autem idcirco, quod, cum abluuntur pedes pauperum in Coena Domini, singulis sportula data aut eleemosyna, chorus cantet tum illud Christi,

Mandatum novum do vobis. Notabilis est charta cujusdam sacerdotis Wilhelmi de Wede Ann. 1414. ubi & ita: *En dan sal onse Priester mette Procuratoers dat ambocht beginnen van der mandaten, alse gewoenlic is in andere Godshusen, ende daer sellen sy der siecke voeten dwaen, ende dan sel men geven elken broeder die daer is, ende den tween Priesteren elck een mandaet, dat is te weten, een broot van anderhalf kerve, ende een niewe scottel mit appel ende noten. Voort soo selmen drie werven onder dat ambocht wyn schencken, alse gewoonlic is te Buerkerck, ende sullen wy mede doen geven alle jaer eweliken den Susteren, de after opter Hofstede voersz wonen een take wyns, sulcks alse dat ten tappe loopt tot hoere mandaet, om dat sy bidden voor Tyman, Trinde, ende Joncfrouw Beatrix sijnen wyve &c. Ende die geen die op dat huys te Blidensteyn sijn woen heeft, &c. die sel altoos hebben tot euwigen dagen des witten Donderdachs een volle mandaet, ende een vlessche wyns &c.*

X.

Testamentum Gerardi de Reden ecclesiæ S. Johannis Præpositi

Ann. cIↃ. CCC. XVIII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, patris & filii & Spiritus Sancti. Quia scriptum est; *Fili memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Idcirco ego *Gerardus* de *Reden* Præpositus ecclesiæ sancti Johannis Trajectensis sanus mente, licet corpore languens, cupiens meæ vitæ novissima ordinare ad laudem Dei, & ut remissionem meorum peccatorum a domino nostro Jesu Christo valeam optinere, de bonis a deo michi collatis meum facio, constituo, & ordino testa-

testamentum ſeu ultimam voluntatem in hunc modum: Inprimis volo & ordino, quod debita mea & exequiæ meæ plenarie perſolvantur per executores meos, ac hujus teſtamenti mei manufideles inferius nominandos. Inſuper hujus teſtamenti mei executoribus do & concedo plenam & liberam poteſtatem exigendi, petendi, levandi, recipiendi, quitandi omnia credita mea, quæ mihi debentur a quibuſcunque perſonis meis debitoribus, cedens pure & ſimpliciter meis executoribus infra ſcriptis omnes actiones & jura competentes ac comperentia contra quoſcunque meos debitores. Præterea ego *Gerardus* prædictus ob ſalutem animæ meæ domum meam clauſtralem lego eccleſiæ ſancti Johannis, & volo & ordino, quod dicta domus vendatur per meos executores, & de pretio dictæ domus emantur redditus perpetui ad memoriam meam ſingulis menſibus in eccleſia ſancti Johannis prædicta faciendam, penſione tamen hactenus ſuper dicta domo habita in ſuo priſtino ſtatu permanente. Item lego dictæ eccleſiæ ſancti Johannis fructus præbendæ meæ, quam habeo in eccleſia ſancti Johannis prædicta, mihi poſt obitum meum ex anno gratiæ competentes ad memoriam meam in dicta eccleſia ſingulis menſibus faciendam, ut ſuperius eſt expreſſum. De redditibus vero, qui in die memoriæ meæ diſtribuentur ſingulis menſibus, volo quod Canonici præſentes in vigiliis & miſſa animarum ac viſitatione mei ſepulchri habeant tres partes, ſocii vero chori quartam recipiant, dum tamen

præsentes ibi fuerint modo supradicto. Item lego ecclesiæ sancti Johannis prædictæ sexaginta libras nigrorum Turonensium ad comparandos annuos redditus, quos assigno & ordino distribui, ut prius, inter Canonicos & socios dictæ ecclesiæ sancti Johannis in quolibet anniversario meo in choro præsentes in vigiliis & missa animarum, ac sepulchrum meum visitantes, dum mei memoria celebratur. Item instituo duplex festum in ecclesia sancti Johannis prædicta in die beati Vincentii celebrandum, ad quod festum lego eidem ecclesiæ sancti Johannis annuos redditus duarum librarum nigrorum Turonensium de bonis meis comparandos, dividendos inter Canonicos præsentes, dum dictum festum celebratur. Item lego annuas ecclesiæ sancti Johannis prædictæ duas libras nigrorum Turonensium, quas volo assignari & assigno, seu lego *Herburgi* commoranti cum *Arnoldo* fratre meo, quoad vivet, post cujus mortem volo ut cedant ad augmentum memoriæ meæ. Item lego cuilibet executori meo cifum cum pede argenteum. Cetera vero bona mea, quæ ultra solutionem expensarum funeris mei, debitorum & legatorum meorum prædictorum, superfuerint, dispositioni executorum seu manufidelium hujusmodi testamenti mei infra scriptorum ordinanda committo. Quibus executoribus per fideicomissum injungo, ut ipsi dicta bona superflua, siqua fuerint, in pios usus convertant, prout saluti animæ meæ eis melius videbitur expedire. Si vero bona mea ad præmissa omnia plenarie exe-

Sic scribebant pro *scyphum*.

quen-

quenda non suffecerint, extunc do executoribus hujusmodi testamenti infra scriptis potestatem mutandi, variandi, & detrahendi aliquid a quolibet legatorum prædictorum, prout eis visum fuerit expediens, seu etiam oportunum. Hujusmodi vero testamenti mei seu ultimæ meæ voluntatis eligo seu constituo executores seu manufideles, videlicet Venerabiles viros, dominos *Florentium de Jutfaes* Præpositum majoris, Rodolfum dictum Koc, *Everardum de Bane*, ac *Gerardum de Clivo* Canonicos sancti Johannis, ecclesiarum Trajectensium. Et hæc prædicta ordinatio est mea ultima voluntas, quam valere volo jure testamenti. Quæ si jure testamenti non valet, valeat saltem jure codicillorum seu jure meæ ultimæ voluntatis. Hoc tamen adjecto, quod si omnes his exequendis induci non poterunt, tres vel duo aut unus eorum tantum ea nihilominus exequatur. Et hoc quidem testamentum meum condidi in præsentia discretorum virorum dominorum Florentii Præpositi majoris, *Rodolfi de Koc, Everardi de Bane*, & *Gerardi de Clivo*, Canonicorum sancti Johannis ecclesiarum Trajectensium, executorum testamenti mei prædictorum, ac aliorum testium ad præmissa vocatorum specialiter & rogatorum, ut testes essent in præmissis. In quorum omnium præmissorum testimonium & munimen meum sigillum ego Gerardus de Reden testator prædictus præsenti testamento meo apposui, ac prædictis executoribus hujus testamenti mei humiliter supplicavi, ut ipsi sigilla sua apponerent in testimonium veritatis. Et nos *Florentius* Præ-

positus, *Rodolfus*, *Everardus*, & *Gerardus* Canonici executores prædicti confitemur sigilla nostra ad rogatum dicti testatoris præsentibus apposuisse & præmissæ ordinationi seu testamento dicti testatoris interfuisse vocati & rogati cum pluribus aliis testibus fide dignis, ac onus hujusmodi testamenti in nos assumpsisse. Actum, ordinatum, & datum per me Gerardum testatorem prædictum in dicta domo mea claustrali Ann. Domini M. CCC. decimo octavo feria secunda post nativitatem beati Johannis Baptistæ.

Frequens mentio hic & alibi emptionis redituum. Usuras secundum Canones pacisci non licet, *cap. tua nos & cap seq. ext. de usur. cap.* 1. *& cap. debitores ext. de jurej.* Usuræ prorsus vetitæ, & per totum orbem Catholicum, ut ait Amaya *lib.* 3. *obs. cap.* 2. *n.* 99. Propter verba scilicet Christi *Luc.* 6. *vers.* 35. *δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες*, *Mutuum date nihil inde sperantes*, Covarr. *lib.* 3. *var. res. cap* 1. Gutierr. *de juram. confirm. part* 1. *cap.* 2. Molin. *de just. & jur.* 2. *disp.* 303. *& seq.* Ne iners tamen & otiosa maneret domi pecunia, permissa emptio usurarum, seu redituum annuorum. Usuras enim abominati dixerunt *reditus* non *usuras*, ut mercem reditus considerantes, sortem autem ut pretium. Mansit sic revera res, sed nomen rei mutatum. Ne videretur tamen falsa & imaginaria tantum emptio, expresse etiam placuit, ne sors unquam posset repeti, ut nec pretium potest re vendita. Morn. *ad pr. ff. de usur.* Receptum tamen, ut si debitor, qui nunquam solvit, quod debet, bonis ex causa debiti possessis & venditis, creditor si prior tempore, & nemo eo potior, & sortem auferat & usuras. Morn. *ibid. & ad l.* 2. *ff. de reb. cred. & ad l socium* 60. *ff. pro soc.* Contra apud Romanos & extra eum casum & sors potest peti, & sors cum usuris. Unde & Ca-

len-

lendarii tam frequens mentio in Pandectis & passim apud ſcriptores claſſicos. Sic apud Horatium :

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Apud Ovidium *lib. 2. de remed. amor.*

Qui puteal Janumque timet, celereſque Kalendas,
Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.

Apud Ariſtophan. *in Nebul.*

- - - - - ἐγὼ δ᾽ ἀπόλλυμαι
Ὁρῶν ἄγουσαν τὴν σελήνην εἰκάδας,
Οἱ γὰρ τόκοι χωροῦσιν

Apud eundem *ibid.*

Ὑπὸ γὰρ τόκων, χρηστῶν τε δυσκολωτάτων
Ἄγομαι, φέρομαι, τὰ χρήματα ἐνεχυράζομαι.

Atque ita & apud nos. Nec Chriſtus adverſatur, gratis pauperi dari jubens, & uſuram improbam tantum vetans, damnatam etiam a Romanis, *l. 20. C. ex quo cauſ. irr. inf.* Wiſſenb. *ad Pand.* 1. *exerc.* 42.

X I.

Teſtamentum Henrici Vrencke Canonici & Theſaurarii S. Petri Trajectenſis

Ann. cIↃ. CCC. XXII.

In Dei nomine Amen. Quoniam mori neceſſe eſt, & nihil certius morte, hora autem mortis incerta, Igitur ego *Henricus* dictus *Vrencke* Canonicus ac Theſaurarius eccleſiæ S. Petri Trajectenſis, compos mente & corpore, volens extremum diem mortis meæ per diſpoſitionem rerum mearum prævenire, & ſaluti animæ meæ providere manufideles meos, ſive ultimæ voluntatis meæ, ac præſentis mei teſtamenti, ac om-

 nium

nium contentorum in eodem , executores eligo, ordino , & constituo discretos viros Dominos *Henricum* de *Loenresloot* Decanum ecclesiæ S. Iohannis Trajectensis , *Fredericum* dictum *Osse-kyn* Canonicum ecclesiæ S. Mariæ Trajectensis, & *Theodoricum* dictum *Braem* perpetuum Vicarium ecclesiæ S. Petri Trajectensis , rogans eos ac finaliter volens, ut ipsi omnia, quæ dedero, sive legavero , infra scripti fideliter exequantur. Inprimis igitur committo manufidelibus meis prædictis, ut domum meam claustralem, quam inhabito, vendant Dn. *VValtero de Blomensteyn* meo Concanonico, si eam emere voluerit infra duos menses post obitum meum proxime sequentes. Wilhelmo alioquin. . . . . . . Quibus ambobus Waltero videlicet ac Wilhelmo infra terminum præfatum domum meam emere recusantibus vel negligentibus, volo, quod extunc manufideles mei vendant eandem cuicunque Concanonicorum meorum voluerint pro pecunia qua potuerint ampliori. De qua summa pecuniæ , & quæ de fructibus sive proventibus beneficiorum meorum infra tempus gratiæ meæ provenire post mortem meam poterunt, volo, ut redditus, quanto ampliores poterunt, comparentur per manufideles meos prædictos, quanto ocyus obtulerit se facultas. De quibus redditibus do & lego xx. solidorum bonorum redditus Canonicis meis in choro præsentibus , Sociis chori mei in vigiliis , & in missa animarum, ac visitatione sepulchri præsentibus quinque solidorum bonorum redditus, Custodi ecclesiæ meæ de compulsatione anniversarii mei,

mei, ac *Gerardi* dicti *Vrenken* fratris mei, quinque solidorum bonorum redditus, ac pauperibus scholaribus videlicet choralibus v. solid. bonorum redditus, in anniversario meo singulis annis ministrandos. Omnes vero alios redditus comparatos de bonis meis & comparandos do, lego, & assigno ad meliorandum seu augmentandum redditus altaris in ecclesia mea prædicta facti modo & dotati in honore beati Christophori martyris. Cujus quidem altaris collationem volo, quod Dn. *Nicolaus* dictus *Vrese* Concanonicus meus & consanguineus habeat, quoad vixerit, & post ejus mortem Dn. *Petrus de Dordraco* meus Concanonicus, si supervixerit. Ipsis vero ambobus defunctis ad Decanum ecclesiæ prædictæ pro tempore existentem & personaliter residentem dicti altaris collatio pertinebit, ita scilicet quod idem Decanus infra octo dies, postquam ad ejus præsentiam & notitiam devenerit dictum altare vacare, viro ydoneo & actu presbytero de eodem pure & simpliciter propter Deum providebit. Si vero Decanus non residet in dicta ecclesia vel infra dictum terminum non conferat ipsum altare, ut præmittitur, extunc ad seniorem Canonicum Capitularem dictæ ecclesiæ residentem personaliter sub dictis conditionibus ipsius altaris collatio devolvetur. Et sic de Canonico in Canonicum successive cadet collatio sub dictis conditionibus, si Decanus & senior Canonicus in ipsius collatione fuerint negligentes. Alia vero omnia bona mea mobilia & immobilia ubicunque existentia & undecunque provenientia

tia committo manufidelibus meis prædictis, sic ab ipsis exequenda, ordinanda, disponenda, minuenda, si necesse fuerit, quæ data, ordinata, & legata a me sint vel fuerint, ac etiam augmentanda, prout saluti animæ meæ ipsis visum fuerit expediens, Dans & concedens eisdem executoribus meis prædictis & cuilibet eorum plenam licentiam & liberam potestatem, ut sine omni conditione & contradictione heredum meorum vel alterius cujuscunque personæ, auctoritate eorum propria bona mea omnia & singula ubicunque locorum existentia, mobilia & immobilia, possint invadere, adire, petere, & recipere, & ad prædicta legata, & donata, omnia & singula exequenda, ut præmittitur, & adimplenda, actiones meas quascunque super creditis meis petendis, & levandis, & aliis quibuscunque modis in eosdem totaliter transferendo, servato tamen quod si duo eorum invicem concordaverint de ordinatione seu dispositione, petitione, seu receptione aliquorum meorum bonorum seu reddituum minuendo, vel augmentando, aut disponendo, & recipiendo eosdem, tertius nequaquam valeat reclamare. Sed si contingat aliquem vel aliquos dictorum meorum executorum ante executionem omnium præmissorum seu dispositionem bonorum meorum decedere, alius vel alii superstes seu superstites ipsorum executorum nihilominus prædicta omnia & singula exequantur; legatis vero de utensilibus domus meæ, ac aliis bonis meis mobilibus & immobilibus, prout in literis super hoc confectis, sigillo Canonicatus mei sigillatis patet,

sem-

semper in suo robore duraturis. Sed ante omnia volo, ut meæ fiant exequiæ, & debita mea, siquæ fuerint, persolvantur. Hæc autem valere volo jure testamenti vel alterius cujuslibet ultimæ voluntatis. Quod si jure testamenti non valeant, valeant saltem jure codicillorum, prout melius valere debeant & possint. In cujus rei testimonium præsens testamentum meum sigillo Canonicatus mei, quia sigillo Thesaurariæ meæ adhuc careo, est clausum. Et ad majorem evidentiam sigilla manufidelium meorum prædictorum una cum sigillo Canonicatus mei præsentibus sunt appensa. Et nos *Henricus* de *Loenresloet* Decanus ecclesiæ S. Johannis Trajectensis, *Fredericus* dictus Offekyn Canonicus ecclesiæ S. Mariæ Trajectensis, & *Theodericus* dictus Braem perpetuus Vicarius in ecclesia S. Petri Trajectensis, manufideles prædicti, ad preces Dn. *Henrici* dicti *Vrenke* Canonici ac Thesaurarii prædicti onus executionis hujusmodi testamenti in nos recepimus, & sigilla nostra his præsentibus duximus apponenda. Datum anno Domini cIɔ. ccc. vicesimo secundo, in crastino festivitatis beati Petri ad vincula.

Cujus quidem altaris collationem volo, &c. Duplex est collatio, libera & necessaria. Libera est cum beneficium collator confert cui vult. Necessaria cum confert ad nutum præsentantis. Nec ulla tamen simplex & absoluta necessitas, sed si dignus qui præsentatur. Qui præsentat patronus. Et hinc jus patronatus. Ut autem recte accipiamus rem, non tantum, qui præsentat, verum etiam qui confert, liberam habens conferendi potestatem, patronus, ut infra *Testam. ult. & post eum suus verus & legitimus heres & successor, unicus tamen, vel si plures fuerint, senior natu inter eos sit verus*

verus Patronus & collator ultimæ Capellaniæ per me perius ordinatæ &c. Plerumque autem sic se habet r Ecclesia cum vacat, præsentatio prius fit. Cum libera est collatio, quemadmodum hic, ut & *d. Testam. & Testam.* 14. *pr.* Alteserr. ad *cap. per nost. ext. de jur. patr.*

XII.

Testamentum Dn. Cunegundis de Virnenborch vidua viri nobilis Johannis in Erkele

Ann. CIↃ. CCC. XXVIII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen Nos *Cunegundis* de *Virnenburch* relicta felicis recordationis nobilis viri Dn. *Johannis* Dn. quondam in *Erkele*; licet debilis corpore, mentis tamen divina favente gratia compos, & sana, volentes de bonis & rebus nostris ad salutem animæ nostræ disponere, modo qui sequitur nostrum condimus testamentum, seu voluntatem ultimam ordinamus. Inprimis volumus & ordinamus, quod omnia debita nostra integraliter persolvantur, prout inferius annotantur. Primo videlicet tenemur Marckmanno tantum, quantum appreciatur pannus, quem ad usus nostros habuimus pro warkotio griseo, ac pannus ille, quem habuit Magister *Johannes Physicus* pro warkotio ab eodem. Item tenemur eidem tantum quantum pro culta nostra dederat facienda. Item tenemur *Petro* Apothecario tantum pro quanto species & electuaria per eum missa nobis voluerit æstimare. Item tenemur *Petro Mediolano* civi Coloniensi tantum quantum vasa argentea, quæ nobis fieri pro-

procuraverat supra summam a nobis habitam videlicet LXX. aureos dixerit constitisse. Insuper damus, conferimus, & legamus fratribus minoribus in *Buna*, apud quas nostram elegimus sepulturam cappam, surhotium, & thunicam de scharleto, sertum nostrum, quod vulgariter *schene* dicitur, ac quatuor tapetia rubea pro ornatu chori ibidem perpetuo reservanda. Item fratribus Prædicatoribus in Colonia mantellum & warhotium de eodem scharleto, triaque tapetia viridia pro ornatu chori ibidem similiter retinenda. Item amitæ nostræ Abbatissæ sororum sanctæ Claræ in *Nuss* cappam & tunicam de rubeo cameleto. Item fratribus minoribus in Colonia tegumentum melius lecti nostri. Item sororibus sanctæ Claræ ibidem warhotium cum tunica grisei cameleti. Item sororibus Prædicatorum ibidem ad sanctam Gertrudem tunicam rubeam. Item fratribus minoribus in Andernaca cultam lecti nostri meliorem. Item fratri Theodorico Confessori nostro ordinis Prædicatorum surhotium cum warkotio blavii coloris. Item fratri *Johanni* de *Broel* Confessori Domini nostri Archiepiscopi Coloniensis cappam de eodem blavio. Item fratri *Engelberto* de *Landenberg* & fratri *Johanni Physico* ordinis Minorum warhotium cum tunica de blavio supradicto. Item fratri *Meynero* ejusdem ordinis, qui nostrum testamentum conscripserat, duas marcas. Item *Trudæ* pedissequæ nostræ xxx. libras, nigrum scrinium cum peplis, pellicium unum quod *merderin* dicitur, & sorraturam novam caputii hermelinam. Item *Machtildi* consan-

ſanguineæ noſtræ par veſtium glaucarum. I *Henrico* famulo noſtro duas marcas, & par ſtium breviarum. Item *Mechtildi* ancillæ no: cum tunica griſea duas marcas. Item *Joh.* famulo noſtro & *Hadewigi* ancillæ noſtræ, cı bet eorum tunicam & mantellum griſeum, ſolus de veſtibus prædictis non eſt forratus, autem mea veſtimenta ſupradicta & cum ſuis ı raturis propriis, cunctis & ſingulis locis & peı nis, cunctis & ſingulis quibus legata ſunt, præſcribitur, conferantur. Reliqua autem c nia utenſilia & ſupellectilia noſtra hic non preſſa nec legata, nec manufidelibus noſtris minata, *Trudæ* pediſſequæ noſtræ & Mecht(conſanguineæ noſtræ ſupradictis, prout ſunt, mus, conferimus, & legamus. Hoc eſt teſ mentum noſtrum, quod fecimus jure te: menti. Quod ſi non valebit jure teſtamen ſaltem valeat jure codicillorum, & cujuſcun(alterius ultimæ voluntatis, ad quod fideliter efficaciter exequendum noſtros elegimus & c(ſtituimus manufideles viros Reverendos & no les, dominum videlicet *Everardum* Commenda rem patruum noſtrum, nec non germanos ı ſtros, Dominum Præpoſitum Bunenſem, & Cl riepiſcopum Trevirenſem, quos rogamus, r nemus, & exhortamur ſuppliciter & devote, q tenus prædicta omnia & ſingula, tam debi quam legata, prout ordinavimus, dedimus, legavimus, poſt obitum noſtrum, quanto ci poterunt, per ſe vel alios, ſolvendo, diſ buendo, conferendo fideliter exequantur. Si v

qı

quod absit aliquis istorum ante executionem hujus testamenti nostri absentare, impediri, vel mori contigerit, quod communiter omnibus commisimus hoc singulis eorum stantibus prædictis conditionibus, & ne prædicta exequutio impediatur, seu differatur, eorum uni seu pluribus committimus faciendum, eorum super hoc conscientiam honerantes. Acta sunt hæc præsentibus prædictis manufidelibus nostris ad hoc specialiter advocatis. In quorum omnium robur, testimonium, & munimen hoc præsens testamentum nostrum sigillis supradictorum Venerabilium virorum manufidelium nostrorum petimus commmuniri, sigillum nostrum una cum sigillis ipsorum præsentibus apponendo. Et nos *Everardus* Præpositus & Choriepiscopus manufideles præfati sigilla nostra præsentibus apponenda duximus in præmissorum omnium robur & testimonium ac inviolabilem firmitatem, promittentes supradictæ testatrici consanguineæ ac sorori nostræ bona fide prædicta omnia & singula, prout rogati sumus per ipsam solvere, distribuere, ac conferre post ejus obitum si ipsam, quod absit, mori contigerit, cum citius poterimus, sicut saluti animæ ejus videbimus expedire. Actum & datum anno Domini M. CCC. vicesimo octavo in festo sancti Jacobi Apostoli.

Pro warkotio griseo. Warhotium scribitur & *warkotium* (sic reperi in membrana) ut *surhotium* & *surcotium*. Vestis genus incognitum. Nam nec meminit Du Cange, nec quisquam alius, quod sciam. Forsan pectorale est. Nam mox cum *surcotio* aut *surhotio* conjungitur. *Surcotium*, superhumerale. Statuta Gerardi

Archiepiscopi Coloniensis Ann. 1260. cap. 5. *Statu mus inhibendo, ne aliquis monachorum surcotiis, calig coloratis, calceis nodatis &c. utatur.*

Quantum pro culta nostra. Culta idem quod culc tra, ut supra dicitur, *een culleɛt.* Rursum mox occurrit *Item fratribus minoribus in Andernaco cultam lecti nostri meliorem.* Du Cange de ea nihil.

Cappam & tunicam de rubeo cameleto. Differunt cappa & caputium. Caputium capitis tegumentum. Cappa totius corporis. Pallii interdum instar. Interdum laxa & talaris assuto ei caputio. Anonymus in vita S. Vodali Benedicti *n.* 10. *Tollens pallium suum, quod vulgo cappa vocatur.* Chronic. Windesemense *lib.* 2. *cap.* 6. *Nullam in plicis seu rugis capparum, tunicarum, subtilium, vel superpelliciorum curiositatem retinere voluerunt.* Alibi tamen confunduntur, & *cappa* idem quod *caputium*, seu quod capitis ornamentum. Atque ita & accipit Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 31. Quid Belgis *een cap* notum. Togam cum significat, significat quamcunque, secularem nonnunquam, interdum clericalem, nec tantum Canonicam, ut *seq. testam.* & Chronic. Fontanellens. *cap.* 10. Concilii Troslejani *cap.* 6. apud Orderic. Vitalem *lib.* 8. *p.* 711. verum etiam monachalem. Wlfinus Boetius de vita S. Juniani Abbatis: *Vestis ejus cilicina de caprarum pilis, quæ in modum caracallæ, quam nunc cappam vocamus.* Smaragdus Abbas S. Michaelis in agro Virdunensi ad *caput* 55. *Regulæ S. Benedicti; Cucullam dicit ille quod nos modo cappam dicimus.* Walafridus de vita S. Othmari *cap.* 2. *ita ut interdum sine tunica sola cappa contectus ad monasterium remearet.* Mabillon. *præfat. ad Acta SS. ord. S. Bened. secul.* IX.

Cum peplis, pelliceum omne, quod merderin &c. Peplum idem quod velum. *Merderin* mustelæ seu martis Scythicæ pellis nobilis. Vulgo *marters vel, een sabel. Forratura* est suffultura, pannus subductitius. *Voering*, ut vulgo dicimus. Unde & vox est detorta.

Cho-

Choriepiscopum Trevirensem. De Chorepiscopis dixi *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 40.

XIII.

Testamentum Walteri de Zulen Canonici Trajectensis

Ann. cIↃ. ccc. xxviii.

In Dei nomine Amen. Ego Walterus de Zulen Canonicus ecclesiæ Trajectensis advertens quod corpus licet fatiscens jaceat recline, nihilominus mente vigens ratio, opitulante Salvatoris gratia, potest juris beneficio mortis diem inevitabilem rerum temporalium dispositione ad salutem animæ prævenire. Illius igitur misericordia, qui affluenter dat omnibus & non improperat, mentis & rationis compos, licet artuum meorum virtute corporea destitutus volensque supremis meis judiciis, & animæ meæ suffragiis, ac curæ mei temporalis patrimonii post vitæ meæ præsentis exitum, prout desursum promittitur a patre luminum providere salubriter, meum testamentum, voluntatem meam ultimam, seu codicillos dispono & ordino in hunc modum. Inprimis statuo, volo, & mando, quod omnia debita mea præsentia & futura, de quibus ad præsens constat, vel legitime constare poterit in futurum de paratioribus bonis meis primo & principaliter integre persolvantur. Item lego ecclesiæ meæ prædictæ unius libræ boni pagamenti redditus annuos, quos volo annuatim distribui secundum ejusdem ecclesiæ consuetudinem inter eos, qui pro-

processioni faciendæ annis singulis ibidem in d
commemorationis sacratissimi corporis & sanguin
Domini & delationis ejusdem intererunt. Quar
processionem fieri volo in cappis seticis. Item vol
& mando, quod per totum anni circulum una an
tiphona de virgine genitrice Dei Maria in ecclesi
mea Trajectensi quolibet die post completoriun
immediate per illos, qui vesperis & completoriis
ibidem tunc intersuerunt, solempniter decantetur,
illosque Canonicos & Chorisocios, qui vesperis
& completoriis, nec non antiphonæ decantationi
intersuerunt, volens temporalibus stipendiis invitare, volo quod illis & nullis aliis, etiam
quocunque impedimento seu causa detentis, dentur præsentiæ reddituum quinque librarum, quas
michi in dicta ecclesia comparavi, & tantarum,
quantæ de fructibus præbendæ meæ ibidem ex
anno gratiæ, ex pretio venditionis domus meæ
claustralis comparari poterunt secundum dispositionem & ordinationem executorum seu manufidelium infrascriptorum hujus meæ præsentis ultimæ voluntatis. Item lego ecclesiæ meæ Trajectensi prædictæ unius libræ boni pagamenti redditus distribuendos in anniversario Dominæ *Bertæ*
matris meæ. Item lego eidem ecclesiæ duodecim
librarum dictæ monetæ redditus annuos pro memoria mea mensurnali & anniversario in ecclesia
Trajectensi perpetuo facienda distribuendos inter
Canonicos & socios præsentes in vigiliis & animarum missis, & visitatione sepulturæ meæ juxta consuetudinem ecclesiæ antedictæ. Item lego
sacerdotibus tam Canonicis quam Chori sociis in
die

die anniversarii mei in dicta ecclesia missas animarum celebrantibus unius libræ dictæ monetæ redditus inter eosdem æqualiter dividendos, Item lego sancti Salvatoris, sancti Petri, sancti Johannis, sanctæ Mariæ, sanctorum Apostolorum, Albarum Dominarum, sancti Servatii Trajectensis, sancti Stephani in Oudwica, sancti Vincentii in claustro Dominarum, & vallis sanctæ Mariæ Trajectensis diœcesis ecclesiis & monasteriis, cuilibet ex eis, unius libræ dictæ monetæ annuos redditus inter præsentes in die commemorationis anniversarii mei secundum ipsarum ecclesiarum & monasteriorum consuetudines dividendos. Et hos redditus annuos per infrascriptos executores meos sic solvi & redimi volo posse, ut solvendo pro qualibet libra reddituum decem libras ejusdem monetæ ad ultra in nichilo teneantur. Item lego fabricæ dictæ ecclesiæ Trajectensis viginti libras nigrorum. Item lego Abbatissæ & Conventui sancti Servatii prædicti triginta libras ejusdem monetæ, cum dormitorium suum præsens duxerint restaurandum. Item lego fabricæ fratrum Minorum Trajecti quinque libras boni pagamenti. Item ejusdem Minoribus ad pitantiam quinque libras & fratribus Prædicatoribus ad pitantiam quinque libras. Item fraternitati fratrum *Kalendarii* quinque libras ejusdem monetæ ad redditus annuos comparandos. Item lego cuilibet sororum mearum tam religiosis quam aliis unum sciphum argenteum cum baso, hoc salvo quod optimus scyphorum cum suis pertinentiis apud dilectum meum Patrem remaneat.

Item lego ſororibus meis religioſis veſtes meas meliores & de vario tres petias. Item lego *Giſelberto Sloyer* clerico veſtes meas novas forratas ſindone. Familiares vero meos alios volo per executores meos prædictos remunerari, prout eiſdem executoribus videbitur expedire. Et hæc legata exſolvi volo per eoſdem executores de paratioribus bonis meis. Exequias meas ut decet per executores meos prædictos fieri volo. Cætera vero omnia bona volo ad prædictum patrem jure hereditario integraliter devolvi voluntate mea ultima & legatis prædictis primitus exſolutis. Hujus autem meæ ultimæ voluntatis & teſtamenti executores & manufideles eſſe volo dilectos meos dominum *Aubertum de Boſinchem* meum Concanonicum, Magiſtrum *Hugonem Vuſtinc*, & *Petrum* patrem meum prædictum, quibus & eorum cuilibet in ſolidum mando & committo executionem omnium prædictorum, cedens & mandans eiſdem omnia jura & actiones mihi contra quoſcunque homines competentes, & poteſtatem auctoritate propria bona mea quæcunque vendendi, alienandi, & quomodolibet alias prout eis placuerit diſponendi uſque ad præfatam executionem præmiſſorum omnium & fidelem. Et hanc meam ultimam voluntatem aſſero eſſe, quam valere volo jure teſtamenti. Quod ſi jure teſtamenti non valeat, volo valere jure codicillorum, vel cujuſlibet alterius ultimæ voluntatis. In quorum teſtimonium ſigillum meum una cum ſigillo dictorum meorum Executorum duxi præſentibus apponendum. Et nos *Hubertus*, *Petrus*, & *Hugo* exe-

executores prædicti ad preces dicti Walteri onus executionis hujusmodi acceptavimus juxta suæ voluntatis præsentis continentiam, & in præmissorum testimonium hanc literam, testamentum, seu voluntatem ultimam sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari. Actum & datum feria sexta post festum Penthecostes anno Domini M. CCC. vicesimo octavo.

In die commemorationis sacratissimi corporis & sanguinis Domini. Festum corporis Dominici unde initium olim sumpserit exponit Æneas Sylvius *lib. 4. comment. Apud Vulsinienses sacerdos quidam*, inquit, *cum rem divinam perageret, atque in sacramento altaris divinitatem humanitatemque Christi Salvatoris adesse dubitaret, mox hostia in conspectu ejus cruentata fidem egit, miraculosusque sanguis corporale totum, super quo jacebat, obsignavit. Quæ res ab Urbano Quarto Pontifice maximo plane cognita & approbata est: atque hinc celebritas sacratissimi Christi corporis instituta, quæ quotannis toto in orbe Christiano, summa populorum devotione, ac solemnitate peragitur.*

Una antiphona de virgine genitrice Dei Maria. Antiphona est cantus ecclesiasticus alternus, reciprocus, cum a duobus nimirum choris, alternatim canuntur hymni, ut

Sancta Maria	*Tu illum adjuva.*
Sancta Deipara	*Tu illum protege.*
Virgo sanctissima	*Quæso exaudi nos.*

Atque ita deinceps.

quolibet die post completorium. Canonicorum officium est cantu laudare Deum, diurnis horis nocturnisque preces ad Deum fundere. Et id *cursus* Canonicus. Cursus est universum divinum officium statis horis diurnis nocturnisque distinctum. Post vigilias sequebantur Matutinæ, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Quod media erat nocte. Hieronymus in epitaphio Paulæ: *Mane, hora tertia, sexta, nona,* ve-

vespera, nocte media, per ordinem psalterium recitab. Ratherii Veronensis Synodica ad Presbyteros ap d'Achery *to.* 2. *Spicileg. Omni nocte ad nocturnos sur te, cursum vestrum certis horis decantate.*

pro memoria mea mensurnali. Defuncti facta comm moratio solenni sacrificio, & fusis ad Deum precibi non annis tantum singulis, sed & septimo & tricesin ab obitu ejus die. Tricesimus vulgo *maentstont.* Si *dertichste*, Verum anniversarius mensurnali solemnio ut in veteri Statuto ecclesiæ S. Salvatoris: *Ad om nem discordiam in ecclesia nostra evitandam & confusio nem tollendam ordinamus, quod in omnibus anniversarii & memoriis defunctorum peragendis, in quibus post vigilias & post missam animarum visitatio sepulchri fuerit facienda, semper visitatio sepulchri cujuslibet anniversarii præferenda est cuilibet visitationi sepulchri memoriæ mensurnalis, aut plurium memoriæ mensurnalium si simul concurrant, ex eo quod cujuslibet defuncti memoria anniversalis solemnior reputatur ipsa memoria mensurnali &c.*

fraternitati fratrum Kalendarii. Kalendaria, collegia ad pias causas erecta, quod initio cujusque mensis conventus fratrum, sic dicta. Duo ejusmodi Ultrajecti. Statuta habeo alterius, manuscripta, & prolixiora, quam ut inseri hic possint.

cum baso. Basin, fulcrum intelligit.

& de vario tres petias Petia est certa pars, fragmentum, frustum, particula. Petia etiam terræ passim pro modo agri.

XIV.

Testamentum Florentii Præpositi Trajectensis

Ann. cIↃ. CCC. XXXIII.

In nomine Domini Amen. Pateat universis præsentes literas inspecturis, quod nos Florentius Dei

Dei gratia Præpositus & Archidiaconus Trajectensis, corporis & mentis compotes, advertentes nichil morte fore certius, nichilque incertius ejus hora, propter quod inevitabilem & incertam horam hujusmodi volentes ad honorem omnipotentis Dei, animæque nostræ salutem, rerum nostrarum temporalium dispositione, prout ex alto permittitur, prævenire, nostrum testamentum, codicillos, seu voluntatem ultimam ordinamus & disponimus in hunc modum: Inprimis volumus & mandamus, quod omnia debita nostra, de quibus constat ad præsens, aut quomodolibet constare poterit in futurum de primis & paratioribus nostris per executores nostros universales hujus nostræ ultimæ voluntatis inferius designatos plene ante omnia creditoribus nostris persolvantur. Item corpus nostrum exanime ad ecclesiam sancti Johannis Trajectensis more funerum efferri volumus, & ibidem exequias nostras funerales more Canonici ibidem defuncti fieri volumus una vice, & funeralia, quæ cum corpore hujusmodi ibidem apportata seu deducta fuerint, apud dictam ecclesiam volumus remanere, dehinc dictum corpus ad ecclesiam nostram Trajectensem deportari volumus, & ibidem apud eam nostram eligimus ecclesiasticam sepulturam exequias funerales more Prælati defuncti fieri volumus & mandamus. Item ad honorem Dei & beati Martini patroni nostri fundamus & eligimus in eadem ecclesia Trajectensi unum altare seu Capellaniam juxta locum sepulturæ nostræ collocandam, quam dotamus & ad dotem ipsius assigna-

 gna-

gnamus undecim jugera terræ ſita in parochia de *Houten* in juriſdictione temporali de Ghoy, de quibus octo jugera terræ, dempta menſura, *Hont* vulgariter appellata, in loco dicto Lopic, inter terram Roveri de Montforde a parte ſuperiori & terram eccleſiæ ſanctæ Mariæ Trajectenſis a parte inferiori, ac tria jugera & una menſura, dicta vulgariter *Hont* in loco dicto Oeſtrem, inter terram Dn. Clementiæ Dn. de Sconouwen a parte ſuperiori, & terram Werneri Gerardi filii Philippi a parte inferiori ſita noſcuntur, nec non bona ſita in parochia de Doerne, quæ emimus erga Theodoricum de Walenborch ſolventia annuatim tredecim modios ſiliginis, & unum *ſcepel* menſuræ Amersfordenſis, nec non quadraginta groſſos Turonenſes, & ſeptem pullos, ac foveam ſive laqueum anatum cum juribus & pertinentiis eorundem præſentibus & futuris. Ad quam Capellaniam legamus vaſa, libros, & alia ornamenta Capellæ noſtræ. Quam quidem Capellaniam ex nunc Petro de Sciplede presbytero Capellano noſtro conferimus, ſibique providemus de eadem, niſi de alio competenti beneficio ſibi providerimus ſeu procuraverimus provideri. Ipſam vero Capellaniam poſt diſceſſum noſtrum, quoties ipſam vacare contigerit per executores ſingulares, per nos in dicta eccleſia deputandos inferius, conferri volumus, quamdiu aliquis ſuperſtes fuerit de eiſdem. Ipſis vero ſublatis de medio dictam Capellaniam per Decanum & Capitulum ibidem conferri volumus perſonæ ydoneæ in ſacerdotio conſtitutæ. Item Præpoſituræ ejuſdem ec-

ecclesiæ Trajectensis legamus bona dicta *Offenweert*, & bona quondam Johannis Witte sita in parochia de Coten Trajectensis diœceseos, ita quod successor noster Præpositus ipsa suæ mensæ retinere debeat, & nulli in feudum assignare vel alias alienare non possit. Item volumus & mandamus quod servitia præbendalis ecclesiæ nostræ Trajectensis prædictæ perpetuis temporibus Canonicis ejusdem ecclesiæ tantum & non aliis beneficiatis ibidem fiat in valore similis servitiæ præbendalis ecclesiæ sancti Salvatoris Trajectensis. Ad quod legamus & assignamus Capitulo ecclesiæ nostræ prædictæ bona, quæ comparavimus in Maerscalkerweert, nec non bona & decimas in veno quondam Ottonis de Veno, & in Zeyst quondam Johannis de Zeyst, quæ a manibus laicorum redemimus, & eidem nostræ ecclesiæ fecimus aduniri, nec non redditus annuos triginta librarum nigrorum Turonensium, quas adhuc comparabimus. Alioquin ipsas per executores nostros universales inferius nominandos de bonis nostris volumus comparari, ita quod dictum Capitulum fructus dictorum bonorum & decimarum percipiat, & officiato Præpositi averiam adhuc debitam in subsidium administret. Item eidem ecclesiæ nostræ Trajectensi legamus omnes fructus & emolumenta, quæ nobis proventura sunt ex annis gratiæ ibidem, ita quod executores nostri singulares prædicti ipsos & ipsa colligant, & redditus perpetuos inde comparent, dividendos perpetuo inter personas præsentes ad memoriam felicis recordationis Florentii olim Comitis Hol-

Hollandiæ, nec non ad feſtivitatem beati Thyburtii, ac memoriam noſtram menſurnalem, facta participatione Theſaurario pro candelis, & Campanario pro labore compulſationis ſecundum ordinationem dictorum noſtrorum executorum ſingularium & conſuetudinem eccleſiæ antedictæ. Horum autem legatorum eccleſiæ noſtræ prædictæ executores, diſpoſitores, & manufideles eligimus & nominamus dilectos noſtros Henricum Decanum, Suederum ſcholaſticum, & Giſelbertum theſaurarium ejuſdem eccleſiæ Trajectenſis. Item eadem noſtra voluntate ultima legamus eccleſiæ ſancti Salvatoris Trajectenſis centum libras nigrorum Turonenſium, quas Decano & Capitulo ibidem tradidimus in pecunia numerata, nec non fructus & emolumenta anni gratiæ nobis competentis ibidem, & volumina juris uriuſque, quæ Dn. Albernus cognatus noſter Canonicus ibidem a nobis habet in commodato, ſalvo eidem ipſorum uſufructu, ſed in diſpoſitionem ſingularium executorum per nos inferius ſignandorum, ſeu quibus hoc commiſerint, una cum fructibus dicti anni gratiæ in redditus annuos ad memoriam noſtram menſurnalem peragendam ibidem, dividendos inter præſentes facta participatione Theſaurario & Campanario pro candelis & compulſatione ſecundum ipſius eccleſiæ conſuetudinem, committendos. Horum autem legatorum eccleſiæ ſancti Salvatoris prædictæ nominamus & eligimus executores, diſpoſitores, & manufideles dilectos noſtros *Johannem* de Hoye & *Albernum* prædictum Canonicos eccleſiæ prædictæ. Item le-

legamus ecclesiæ sancti Petri Trajectensis quadringentas libras ejusdem monetæ, quas Decano & Capitulo ibidem tradidimus in pecunia numerata, nec non fructus & emolumenta annorum gratiæ nobis competentium ibidem secundum dispositionem singularium executorum per nos inferius signandorum, seu ipsorum quibus hoc commiserint in redditus annuos ad memoriam nostram mensurnalem peragendam ibidem inter præsentes dividendos, facta perticipatione *Thesaurario & Campanario* pro candelis & compulsatione secundum ipsius ecclesiæ consuetudinem committendos. Horum autem legatorum ecclesiæ sancti Petri prædictæ nominamus & eligimus executores, dispositores, & manufideles dilectos nostros *Johannem* de Leyden Thesaurarium, nec non *Hermannum* de Jutfaes cognatum nostrum Canonicos ecclesiæ sancti Petri prædictæ. Item simili voluntate legamus ecclesiæ sancti Johannis Trajectensis decimas in Baerne, quas de manibus laycorum redemimus, ipsasque eidem ecclesiæ sancti Johannis rite incorporari fecimus, nec non fructus & emolumenta anni gratiæ prædictorum secundum dispositionem singularium executorum per nos inferius signandorum, seu ipsorum quibus hoc commiserint, in redditus annuos ad divisionis festivitatem Apostolorum, nec non decantationis pro se in festo beati Nycolai, & ad memoriam nostram mensurnalem peragendam, ibidem dividendos inter præsentes, facta participatione Thesaurario & Campanario pro candelis & compulsatione

tione secundum ipsius ecclesiæ consuetudinem committendos. Item legamus eidem ecclesiæ sancti Johannis *Bibliam* nostram majorem in duobus voluminibus constitutam. Horum autem legatorum ecclesiæ sancti Johannis prædictæ nominamus & eligimus executores, dispositores, & manufideles dilectos nostros *Bartoldum* de Daventria & *Henricum* de Reno cognatum nostrum Canonicos ecclesiæ sancti Johannis prædictæ. Item in eadem voluntate legamus ecclesiæ sanctæ Mariæ Trajectensis trecentas libras ejusdem monetæ, nec non fructus & emolumenta annorum gratiæ nobis competentium ibidem secundum dispositionem singularium executorum per nos inferius signandorum, seu ipsorum quibus hoc commiserint in redditus annuos ad memoriam nostram mensurnalem peragendam ibidem inter præsentes dividendos, facta perticipatione Thesaurario & Campanario pro candelis & compulsatione secundum consuetudinem ipsius ecclesiæ committendos. Horum autem legatorum ecclesiæ sanctæ Mariæ prædictæ nominamus & eligimus executores, dispositores, & manufideles dilectos Magistrum *Hugonem Braem* & *Johannem de Jutfaes* cognatum nostrum Canonicos ecclesiæ sanctæ Mariæ prædictæ. Item legamus domui sancti Spiritus Trajectensi, centum libras dictæ monetæ ad augendum numerum egentium personarum ibidem in duobus. Cætera vero bona nostra tam mobilia quam immobilia, jura & actiones in quibuscunque rebus consistentia & consistentes, præsentia & futura, per manus universalium

versalium Executorum nostrorum nominandorum inferius in pecunias numeratas redigi volumus & pauperibus vagis per eosdem speciatim usque ad consumptionem eorundem fideliter elargiri. Hos autem universales executores esse volumus, mandamus, & nominamus dilectos nostros, Magistrum *Hugonem* Braem prædictum, Giselbertum filium Dn. Iohannis, nec non *Jacobum* filium Alphardi, cives Trajectenses, vasallos nostros & fideles, hoc salvo quod ipsis jam dictis executoribus nostris, quod Deus avertat, in hujusmodi executione dissidentibus prævaleat ipsius Magistri Hugonis in eadem executione desiderium & voluntas. Quibus & eorum cuilibet in solidum damus tenore præsentium plenam & liberam potestatem, & mandatum speciale, se de bonis nostris omnibus prædictis auctoritate propria intromittendi, ipsaque vendendi, alienandi, commutandi, distrahendi, & alias prout ipsis visum fuerit disponendi, nec non super ipsis & ipsorum occasione coram quibuscunque judicibus agendi & defendendi, ac alia omnia & singula faciendi, quæ circa præmissa oportuna fuerint, etiamsi mandatum exigant speciale, cedentes & mandantes eisdem omnia jura, actiones, & rei persecutiones nobis ipsorum occasione contra quoscunque competentes & competentia, præsentia & futura, constituentes eosdem Procuratores in rem suam, quibus & eorum cuilibet legamus sedecim libras dictæ monetæ in laboris hujusmodi recompensam. Quod si aliquem ex dictis executoribus tam singularibus quam universalibus

verſalibus prius quam nos decedere, ſeu impotentem ad executionem præmiſſorum contingat, ſalvum ſit nobis loco ſui per lit noſtro ſigillo ſigillatas alium ſubrogare. quod alia legata per codicillos eodem ſigillc gillatos poſſimus prout voluerimus ordinare. l etiam executores ab omni onere ſatiſdatior exactione, & redditione computi & rationi: certa ſcientia propter legalitatem ipſorum p tus relevamus, & ab his eſſe liberos & imr nes. Et hanc noſtram voluntatem ultimam aſſerimus, quam valere volumus omni forma modo quibus melius valere poterit de conſ tudine civitatis & diœceſis Trajectenſis eti de jure. Subſcriptum : *Nos Florentius gratia Præpoſitus & Archidiaconus Tra ctenſis.*

In Dei nomine Amen. Anno nativitatis juſdem M. CCC. XXX. tertio, indictione prii menſis Aprilis die penultima, hora quaſi p meridiem in mei Notarii publici, nec non *A gonis Vuſtinc* clerici Trajectenſis ſimilis Not: publici ſubſcriptorum, ac teſtium infraſcrip rum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatoru conſtitutus vir Venerabilis Dn. *Florentius* P poſitus & Archidiaconus Trajectenſis manu p pria tenens cartam conglobatam, & ſigillo bis conſignatam, cui manu ſua ſe ſubſcripſerat prima facie apparebat, de ſcripti recitatione p poſuit in hunc modum. Nos Florentius Dei g tia Præpoſitus & Archidiaconus Trajectenſis ram vobis Notariis & teſtibus hic præſentil

p

profitemur, & asserimus quod in hac carta, quam manibus nostris tenemus sigillo nostro sigillata testamentum nuncupativum, voluntatem nostram ultimam, & codicillos, mentis & rationis compotes conscribi fecimus, & protestamur contenta in ipsa puram fore ultimam voluntatem, quam valere & prævalere volumus omnibus & singulis aliis testamentis, codicillis, seu ultimis dispositionibus & voluntatibus nostris, ante præsentem horam per nos habitis sive gestis, omni modo, jure, & forma, quibus melius valere poterit de consuetudine seu de jure, & rogamus dilectos nostros Dominos, Henricum Decanum, Suederum Scolasticum, Giselbertum Thesaurarium majoris, Johannem de Hoye, & Albernum de Jutfaes sancti Salvatoris, Iohannem de Leyden & Hermannum de Iutfaes sancti Petri, Bartoldum de Daventria, & Henricum de Reno sancti Iohannis, Iohannem de Iutfaes, & Magistrum Hugonem Braem sanctæ Mariæ ecclesiarum Trajectensium Canonicos, nec non Giselbertum filium Dn. Iohannis & Iacobum filium Alphardi cives Trajectenses, quos præsentis ultimæ voluntatis nostræ sub certis modo & forma executores & manufideles deputamus, quatenus divinæ remunerationis nostrarumque partium interventu onus executionis hujusmodi in se velint recipere, præmissaque omnia & singula reverenter exequi, prout confidimus de eisdem. Has quoque præsentis nostræ voluntatis ultimæ tabulas & alios codicillos adhuc per nos forsitan ordinandos post discessum nostrum in archivo ecclesiæ nostræ vo-

 lu-

lumus conservari. In quorum testimonium nos manu propria subscripsimus, hocque instrumentum publicum per infrascriptum Notarium conscribi mandavimus, & sigilli nostri prædicti appensione communiri. Acta sunt hæc in domo habitationis Dn. Florentii Præpositi & Archidiaconi prædicti, sita infra emunitatem ecclesiæ sancti Iohannis Trajectensis, præsentibus ibidem discretis viris Rotardo dicto Cosyn, Henrico de Rees, Gerardo de Breda clerico, Bartholomeo fratre Dn. Goeswini, Gerardo de Zessic sartore, Magistro Symone carpentario, & Nycolao Nycholai filii Ghoudekinæ testibus, anno, indictione, mense, die, & hora prædictis.

Et ego Petrus Matthiæ clericus Trajectensis, Romani imperii auctoritate Notarius publicus præmissis omnibus & singulis una cum dicto Hugone Vustinc eadem auctoritate Notario publico & testibus prædictis præsens interfui, ea vidi & audivi, & ad mandatum Dn. Præpositi & Archidiaconi ipsa in hanc publicam formam redegi, meoque signo signavi.

Ego quoque Hugo dictus Vustinc clericus Trajectensis ejusdem sacri Romani imperii auctoritate Notarius publicus præmissis omnibus & singulis per Petrum Matthiæ Notarium publicum præscriptum conscriptis una cum eodem & testibus prædictis præsens interfui, ea vidi & audivi, & huic instrumento publico me subscripsi, signoque hoc signavi rogatus & requisitus anno, indictione, mense, die, & hora, quibus supra.

Et nos Henricus Decanus, Suederus Scolasticus, & Giselbertus Thesaurarius majoris, Iohannes de Goy, & Albernus de Iutfaes sancti Salvatoris, Iohannes de Leyden, & Hermannus de Iutfaes sancti Petri, Bartoldus de Daventria & Henricus de Reno sancti Iohannis, Iohannes de Iutfaes, & Hugo dictus Braem sanctæ Mariæ ecclesiarum Trajectensium Canonici, nec non Giselbertus filius Domini Iohannis & Iacobus filius Alphardi cives Trajectenses executores hujusmodi ultimæ voluntatis, per Dominum Præpositum & Archidiaconum prædictum deputati similiter & rogati, onus executionis hujusmodi sponte ad honorem Dei & rogatum dicti Domini Præpositi & Archidiaconi in nos recipimus, & bona fide secundum Deum & rectam conscientiam promittimus juxta possibilitatem nostram fideliter adimplere. In quorum testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum &c.

& ibidem exequias nostras funerales more Canonici: Morem habes expressum Statutis Synodalibus, quæ facta tempore episcopi Theodorici de Are Ann. 1209. & renovata sub Wilbrando Ann. 1233. *Mortuo Prælato vel Canonico in nocte sive in die, significetur Campanariis omnium ecclesiarum, ut audito signo ecclesiæ, in qua mortuus est, compulsatio fiat in omnibus ecclesiis. Idem fiat cum effertur, vel sepelitur. Hoc etiam fiat in septimo, in tricesimo, & in anniversario primo. Fideicommissarii dent cuilibet campanario* XII. *denarios. Candelæ in vigiliis exequiarum* IV. *ponantur, & in Missa quatuor. Candelæ plus non habeant quam libram ceræ. Aliæ novem sint de tribus libris. Omnes conveniant ad psalterium, qui sani sunt. Infirmi mittant pro se. Qui sa-*

sanus est, & non venerit, Camerarius accipiat XII *narios de præbenda sua, & faciat legi psalteria.* S *firmus nuntium non miserit, simili pœna puniatur.* *nes remaneant, donec sepulchrum clausum fuerit.* *qualibet ecclesia habeatur legenda & stola, & ho custodes ecclesiarum procuretur. Quilibet Canonicu fra tricesimum legat vel legi faciat psalterium pro a defuncti, Omnes conveniant ad septimum, tricesin & anniversarium primum.* Statuta ipsa jam olim di in notis ad Anonymum Ann. 1690. *cap.* 15.

servitia præbendalis. Fuerunt olim Ultrajecti, passim alibi per Europam, Canonici Regulares. I & bona communia. Communis eorum victus. dem claustro inclusi. Vid. *lib.* 2. *de Nobil. cap.* 2. culares postquam facti divisa etiam bona. Sua cui habitatio. Sua cuique pars & præbenda assign Quædam tantum ex his relicta in commune. Quo data dispositio & administratio Præposito, reditu certa parte quotannis ab eodem inter fratres div Et hæc servitia præbendalis, ministratio, mandatu Charta Ann. 1291. *Nos Stephanus Præpositus, Gisel tus Decanus, & Capitulum ecclesiæ beati Petri Tr ctensis &c. Noverint tam præsentes quam posteri, q olim propter quendam conflictum habitum per bonæ moriæ Ottonem de Lippe episcopum ecclesiæ Trajecte &c. bona Præpositura ecclesiæ nostræ in Drenthia jac tia redditibus, pensionibus, sive pactis eorundem bo rum debitis, nostræ Præposituræ dudum subjectis, spoli fuerunt, & a nobis quasi penitus alienata &c. de qu cum aliis bonis ad Præposituram nostram spectant Præpositus ecclesiæ nostræ pro tempore a fundatione ip ecclesiæ nostræ consuevit Decano, Capitulo, & offici ecclesiæ nostræ prædictæ servire singulis annis per to annum quolibet mense de denariis in tredecim florenis octo solidis, de tritico in viginti duobus modiis & di dio, de siligine in quadraginta quinque maldris anti mensuræ, & de brasio in totidem maldris ipsis dom sine defectu procuratis. Postmodum &c.* Add. *lib.* 2. *Nobilit. cap.* 24. *p.* 438. *& seq. cap. p.* 458. Atque

primum placuit, ne Capitulo esset gravis ob amplitudinem possessionum & superbiret Præpositus, nimiæ ipsius potestati quodammodo hac ratione & plus habendi cupiditati quasi freno injecto. Alloquens Præpositum Wazo Leodiensis episcopus apud Anselm. *hist. Leodiens cap.* 85. *Jubetur etiam inter plures*, inquit, *monasterii bona dividere, ne Præpositus solus tenens omnia possit superbire. Alioquin si licenter id feceris, jam non præes Canonicis, sed servis & eleemosynariis tuis.*

in veno. id est, terra palustri.

averiam adhuc debitam. Annonam, pecuniam. Rigord. ad Ann. 1196 *Taxata pactione, quod salvis corporibus suis, & averis, & equis, & armis cum pace recederent.*

testamentum nuncupativum. Ut sit nuncupativum, non sufficit, si testator dicat. *Hoc est testamentum meum*, aut *Hæc charta continet testamentum, seu ultimam voluntatem meam.* Requiritur ut clara voce heredum nomina pronuntiet, *l.* 21. *pr. ff. Qu. test. fac. pos.* §. *ult. Just. de testam. ord.* ut & legatariorum & fideicommissariorum, *l.* 8. *C. Qu. test. fac. poss.* ut audiant testes, quid & quantum cuique velit præstari quem instituat & qua ex parte, *l.* 21. §. 2. *C. de testam.* Nihil horum hic factum. Sed totum id adscribendum Notariorum inscitiæ, quorum omnis consistit ars, omnis quæstus in formulis & instrumentis, ut ait Viglius ad §. *sed cum* 3. *Inst. de testam. ord.* Ipsis id imputandum, quod discrimen inter scriptum & nuncupativum testamentum propemodum jam nullum, nec ullum nuncupativum in Gallia habeat vim, nisi & solenni modo in scripturam redactum. Choppin. *lib.* 2. *de morib. Paris. tit* 4. *n.* 4. Unde & id quod clausum, & quod scriptum revera, nuncupativum tamen vocant. Covarr. *ad cap. cum tibi n.* 5. *ext. de testam.* Clar. *lib.* 3. *Sent.* §. *testamenta* 4. *n.* 3. Herbaj. *rer. quot. cap.* 8.

XV.

Testamentum Jacobi presbyteri de Alsmeer

Ann. CIↃ. CCC. XLII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & filii & Spiritus sancti Amen. Universis ad quos præsentia pervenerint præsentibus & futuris *Jacobus* investitus ecclesiæ de *Alsmeer* presbyter diœcesis Trajectensis notitiam rei gestæ & salutem in Domino sempiternam. Vobis universis per præsentium recitatorium pateat literarum, quod ego Jacobus prædictus de gratia illius, qui omnibus invocantibus se tribuit affluenter, sanus mentis & compos rationis, licet valetudine corporea aliquantulum destitutus, intendens inevitabile humanæ conditionis debitum bonorum meorum dispositione & testamenti seu extremæ meæ voluntatis ordinatione prævenire, codicillos sive extremam meam voluntatem meorum bonorum prædictorum feci & ordinavi, facio & ordino in his scriptis secundum formam inferius annotatam. Inprimis do, lego, & assigno redditus annuos viginti librarum Hollandensium denariorum legalium & bonorum ad unam Capellaniam sive altare in ecclesia de Winmoede dictæ diœcesis fundandam & construendam in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, sanctæ Mariæ, & sanctorum omnium, ob salutem animarum felicis recordationis Dominorum *Guidonis de Hannonia*, *Jacobi de Ousthoerne* episcoporum Trajectensium, *Phi-*

Philippi de *Duvenvoerde* parentum meorum & omnium benefactorum meorum & meæ. Et hujus redditus recipientur ex bonis meis infra scriptis ad dictam Capellaniam seu altare per me relictis, quæ bona ad eandem Capellaniam seu altare do, lego, & assigno testamentaliter in his scriptis. Primo quinque libras & xiv. stuseros ex sex jugeribus terræ arabilis in parochia de *Ryswyc*, vulgariter dictis *opten sneet*, quæ tenet & possidet Theodoricus dictus Waelkint sub tali annua pensione. Item quatuor libras & xv. stuferos ex quinque jugeribus terræ arabilis sitis in dicta parochia de *Ryswyc* in fine sex jugerum prædictorum inter terram Gisonis de Gent ex uno latere, & terram Domini Danielis de Merwede militis ex alio latere, quæ habet sub annua pensione relicta dicti Bok. Item tres libras ex duodecim jugeribus terræ arabilis sitæ in parochia de *Kerckwerve* inter terram dictam *Rysburgh merske* & terram dictam *Oestgheest geest*, quæ tenet & possidet Theodericus Iohannis & senior ejus filia sub annua pensione. Item sex libras ex quinque jugeribus terræ sitis apud *Wateringhe* inter terram Dominorum Theutonicorum ab Occidentali parte & terram monialium de Lee ab orientali parte, quæ tenet & possidet sub annua pensione Iohannes Claessone. Item xv. solidos, ex tribus campis, quæ vulgariter *acker* dicuntur de terra, quam emi erga Baldewinum Feukinis ab occidentali parte dictæ terræ mensurandis. Item do, lego, & assigno annuos reditus viginti librarum Hollandensium ad alteram Capellaniam in eodem

altari officiandam ob salutem animarum prædictarum & meæ, quæ annuatim recipientur ex bonis meis, quæ sequuntur, quæ ad hoc do lego & assigno in his scriptis testamentaliter. Primo recipientur VII. libræ & X. solidi ex XII. jugeribus terræ sitis in jurisdictione Domini *VVilhelmi* de *Ousthorne* inter terram *Gerardi Spronc* de *Ousthorne*, & terram *Ernesti* filii Domini *VVilhelmi*, quæ *Doedondys* habet sub annua pensione. Item quadraginta unus solidi ex 4. jugeribus terræ sitis super *VVenesse* prope terram *Hobbonis* filii Sawen a fine maris hinc inde. Item tres libræ ex tribus jugeribns terræ sitis in Officio de Wermonde inter terram religiosæ matronæ Abbatissæ monasterii de *Rynsburgh* ex parte una & terram Domini de *Valckenborch* ex altera, quæ *VVilhelmus* Arnoldi habet sub annua pensione. Item quinquaginta quinque solidi ex quinque jugeribus cum dimidio terræ sitis in *Officio* Theoderici de Alcmade in palude ibidem, quæ *Niclaus Hannensen* habet sub annua pensione. Item viginti solidi ex tribus jugeribus terræ sitis ex alia parte terræ *Hobbonis*, quæ *Petrus Hannensoen* habet sub annua pensione. Item tres libræ & XIV. solidi ex tribus jugeribus terræ cum dimidio, quam emi erga Dominum Comitem in orientali parte ejusdem terræ usque ad terram in Floren, quam ego colo ad præsens, & post illam terram in Floren ulterius mensurandis. Prædictas vero terras meas particulariter expressas cum redditibus earum particulariter expressis, prout in futurum iidem reditus crescere vel decrescere poterunt, ad

præ-

prædictas Capellas cum extrema voluntate mea testamentaliter do, lego, ordino, & assigno. In quibus Capellaniis volo, quod Capellani eorum personaliter resideant, & antequam conferantur eisdem, seu ad illas admittantur, promittant personaliter residere in eisdem. Volo insuper, ut post meum decessum Dominus Johannes de Polanen miles, & post eum suus verus & legitimus heres & Successor, unicus tamen, vel si plures fuerint senior natus inter eos sit verus *Patronus*, & collator ultimæ Capellaniæ per me superius ordinatæ, Dominus vero Abbas monasterii Egmondensis, qui pro tempore fuerit sit verus patronus & collator primæ Capellaniæ subscriptæ, quod infra duos menses post vacationem alterutrius dictarum Capellaniarum, quilibet Patronorum prædictorum seu collatorum eam conferat alicui personæ dignæ & ydoneæ, prout eis Dominus inspirabit. Alioquin post lapsum duorum mensium *Capellaniæ* hujus collationem vacantis ad Dominum episcopum Trajectensem, qui pro tempore fuerit, illa vice statuo & ordino pertinere. Item eligo sepulturam nostram in ecclesia de Wermoede & ibidem volo sepeliri. Præterea do, lego, & assigno duos agros jacentes contra magnam salicem pro una medietate *Curato* in *VVermoede* ad meam perpetuam memoriam faciendam, & ad meum sepulchrum visitandum, quando missam celebrabit, & pro alia medietate sancto Spiritui ad distribuendos proximis meis indigentibus sotulares. Præterea dedi & legavi, do & lego Balduino filio Fokinis, & ejus nunc uxori

filiæ meæ naturali viginti libras Hollandensium denariorum eisdem per manufideles meos exsolvendas, antequam ipsi ad bona mea vel utensilia manus apponant, de primis & promtioribus bonis meis, quæ post me relinquo, ut dicti conjuges animæ meæ salutis curam pie gerant, pro ut decere ipsis spero confidenter. Item si Dominus Abbas Egmondensis non solvit mihi ante mortem meam illas quinquaginta libras, quas ad præsens mihi debet, volo, & extrema voluntate mea ordino, quod Clara filia dictorum conjugum quinquaginta libras habeat & tollat nomine testamenti. Item do & lego *Margaretæ Screvelants*, quadraginta solidos. Item Catherinæ filiæ *Giselberti* de Scoten quadraginta solidos. Item *Godeldi* relictæ Boydekyns quadraginta solidos, Item Dominæ *Bertæ* de Alcmade moniali in Lee viginti solidos. Item Dominæ *Aleydi* de Alcmade moniali in Rynsburgh XL. sol. Item Dominæ *Aleydi* de *Duvenvoerde* viginti sol. Item communi Conventui tres libras statim per manus distribuendas. Item lego cuilibet sacerdoti ad meam sepulturam venienti XII. den. Item cuilibet Custodi ibidem venienti & in ecclesia sua, ut moris est, pulsanti XII. den. Item cuilibet clerico vel scolari ibidem venienti, II. den. Item do & lego structuræ novæ fabricæ sancti Martini in Trajecto XX. sol. Item do & lego præbendæ sacerdotali in *Aelsmeer* duo jugera terræ sita in dicta parochia, in campo dicto *Urckencamp*. Item ecclesiæ ibidem XX. sol. Item Custodi ibidem X. solid. Item do & lego cuilibet manufidelium meo-

meorum & executorum testamenti Investiti de Wermoede x. solid. Item Custodi ibidem quinque solidos. Item ecclesiæ de Wermoede xx. sol. Item Jacobitis in Haerlem x. sol. fratribus minoribus in Trajecto x sol. Item do & lego cuilibet manufidelium meorum & executorum testamenti mei unum sciphum argenteum XL. solidorum. Item do & lego ad augmentationem Capellæ de *Alcmade* x. sol. Item do & lego Domino *Simoni* Capellano meo & meæ ecclesiæ eosdem. Et quod fateor & his præsentibus recognosco me nullam hereditatem a meis parentibus recepisse, sed omnia bona mea quæ habeo a divinis & eleemosinis fidelium acquisivi, ita quod non audeo illa bona sic acquisita heredibus meis relinquere, & aliis operibus piis debitis subtrahere in animæ meæ periculum. Idcirco cætera bona mea testamentum meum supercrescentia volo quod infra scripti mei testamenti executores ordinent & disponant, pro ut saluti animæ meæ crediderint expedire. Ad hæc autem exequenda & fideliter adimplenda fideicommissarios & manufideles, & extremæ meæ voluntatis & testamenti executores elegi, feci, & constitui, & etiam ordinavi, eligo, facio, constituo, & ordino per præsentes viros providos & honestos honorabilem & Religiosum virum Dominum Abbatem Egmondensem, *Johannem* de *Polanen* militem, & *Johannem* Investitum ecclesiæ de *Sassenhem*, ac *Baldewinum* filium Foikinis laycum, bona mea omnia præsentia & futura, & cre-

credita, jus & proprietatem, & poſſeſſionem, actiones reales & perſonales, utiles & directas in bonis, pro bonis, & ad bona prædicta in ipſos totaliter transferendo, & ipſos Procuratores in rem ſuam conſtituendo. Item quod morte mea ſecuta liceat eis bona apprehendere, propria eorum auctoritate tenere, & expendere, & erogare, ut pro his deinceps ſuo nomine agere & defendere poſſint & experiri, volens ut in omnibus ordinare & diſponere poſſint libere qualibet contradictione ceſſante, prout ſaluti animæ meæ ipſiſque ſecundum rectas eorum conſcientias videbitur oportunum, ipſos ab onere ſatisdandi & neceſſitate inventarii bonorum meorum conficiendi, & poſt executionem de ipſa executione rationem reddendi, tenore præſentium omni modo relevando, eorum fidem & induſtriam omni modo eligens, quam præcipio & judico ab omnibus aliis omni favore, quorum intereſſe poterit, inſequendam. Præſentem vero mei teſtamenti ordinationem ſive codicillos valere volo jure teſtamenti, ſive jure codicillorum, aut alterius cujuslibet voluntatis extremæ, prout melius valere poterit & debebit, quam omnibus teſtamenti aut extremæ voluntatis ordinationibus prius a me conditis & factis volo anteferri & ſtabilem in ſuo robore perdurare. Inſuper ſi contingat me in hoc præſenti teſtamento aliquid addere, ſubtrahere, vel mutare verbo, vel ſcripto, volo quod hæc in ſuo robore maneant, & quod Executores mei prædicti mutata, addita, & ſubtracta hujuſmodi exequantur juxta meam ultimam vo-

lun-

luntatem, simili & eadem auctoritate superius expressa. Præterea si contingeret me ante mortem meam cum ultima voluntate mea finaliter exprimere, & specificare verbis vel scriptis personam, vel personas ordinandas ad *Capellanias* supradictas, volo quod supradicti Patroni de ipsis ordinent, & quilibet eorum, prout ad ipsum pertinebit, secundum quod intellexerint in hoc meam fore ultimam voluntatem. In cujus rei testimonium præsentes literas exinde conscribi, & publicari, & per infrascriptum Notarium publicum fieri instrumentum mandavi, quibus una cum sigillis Dominorum Abbatis Egmondensis, *Johannis* de Polanen, & *Johannis* Investiti de Sassenem executorum & manu fidelium meorum prædictorum, quæ huic scripto apponenda rogavi, sigillum meum proprium est appensum. Actum & datum Wermoude in domo habitationis meæ. Anno a nativitate Domini M. CCC. quadragesimo secundo secundum usum & consuetudinem civitatis & diœcescos Trajectensis, Indictione x. die octava mensis Martii, hora quasi completorii, præsentibus discretis viris *Johanne* de Zanden, *Theod.* de *Alcmade*, Henrico filio Florentii, *Giselberto* filio Nicholai, *Gerardo* Ducke, & *Baldewino* filio Foikinis, cum aliis astantibus fide dignis diœcesis Trajectensis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego *Johannes* dictus *Meyersone* clericus Morinensis diœcesis publicus auctoritate imperiali Notarius &c. Et nos *Hugo* permissione divina Abbas monasterii Egmondensis, *Johannes* de *Polanen* miles, & Johannes Investitus ecclesiæ

de

de Sassenem Executores præfati onus executionis præsentis in nos suscipientes, & nos velle exequi, prout possibiliter fuerit, fideliter promittentes, ad preces prædicti *Jacobi* testatoris sigilla nostra, una cum sigillo suo rogati præsentibus apponi fecimus in robur & munimen omnium præmissorum. Et ego *Baldwinus* filius *Foykinis* quartus cum prædictis Dominis executoribus Executor onus executionis hujus in me suscipio, & ad exequendum fideliter cum eisdem me obligo, quod sigillo etiam sub sigillis Dominorum executorum prædictorum huic scripto appositis recognosco.

sitis in officio de Wermonde. Officium idem quod *Ambacht.* Ambacht idem quod territorium. Aliter etiam *een ban.* Charta Ann. 1336. *in officio de Tholoyse, & in terra, quæ vulgariter dicitur Polre, in officio & jurisdictione temporali Joannis de Tholoyse.* Alia Ann. 1233. *& jam nominatis fidelibus nostris dedi in feodum jurisdictionem, quæ Ambacht dicitur &c.* Charta Ann 1142. *dat huys ten Hamme mit seven morgen lants, daer dat huys op staet, gelegen in den banne van Vleuten &c. ende mit twaelf mergen lants gelegen op Bilevelt in den Ambochte, dat Heer Jacob van Lichtenberch plach toe te behooren &c.*

Sotulares. Sotulares sunt calcei. Alibi *Subtalares* & *Subtolares.* Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 34. *Subtolares quod sub talo sunt, quasi subtalares.* Papias: *Subtalares, genus calceamenti, quasi sub talo proprie.*

ita quod non audeo illa bona sic acquisita &c. Quod ad bona clericorum solebat distingui. Libere de iis disponebant, quæ vel ante clericatum vel successione agnatorum aut parentum quæsita. Quæsita tempore clericatus aut ejusdem occasione relinquebant ecclesiæ. Præferre extraneum in his nefas. Capitula Caroli Magni *lib.* 1. *cap.* 156. *Ut unusquisque presbyter res, quas post diem consecrationis adquisierit, proprias ecclesiæ relinquat.* Gregor. Magnus *lib.* 9. *epist.* 14. *Sacris canonum legibus*

legibus noscitur esse definitum, ut in his, quæ antistes episcopatus tempore acquisiverit, non alius nisi sola succedat ecclesia. Bosquet. *ad Innocent.* 1. *epist.* 19. Alteserr. *ad Gregor. epist. lib.* 5. *pr.* Exemplum in Remigio habes apud Flodoardum *hist. Remens. lib.* 1. *cap.* 18. Hincmar. *in ejus vit.* Denotabant autem pauperes potissimum per ecclesiam, præsertim prisci illi Patres, non ministros ecclesiæ. Ambros. contr. Symmachum: *Nihil ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Possessio ecclesiæ sumptus est egenorum.* Mox cum clerum universum, cum ventri deditos & inertiæ, cum otio passim abutentes referrent in censum pauperum, cum irrita haberent testamenta, quibus nihil Curioni aut Sacerdoti relictum, & religioni & Reipublicæ in exitium res vertit. Vid. Lucium 1. *placit.* 5. *& miscell. exercit. advers. Wesel. cap* 4. Bodin. 5. *de republ.* 2. *sect.* 532. Argentr. *ad consf. Britan. art.* 79. *gl.* 3. *n.* 1. Morn. *ad l.* 1. *C. de sacros. eccles.*

FINIS.

R E-

RERUM INDEX VERBORUMQUE.

A.

Anni

C.

Chri-

D.

E.

Ec

G.

Gutæ,

H.

I.

M. *Maent-*

M.

Pa-

Pygmæi

R.

S.

Sur-

Ve-

W.

War-

Z.

FINIS.



Digitized by Google